Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

6503

Digitized by Google

DE

VARIOLARVM MORBORVMQVE

CONTAGIOSORVM

ORIGINE, CAVSA, ATQVE FACILI EXTINCTIONE

FERDINANDO QVARTO

VTRIVSQVE SICILIÆ, ET HIERVSALEM REGI HVMANISSIMO
HISPANIARVM INFANTI
&c. &c. &c.

PRINCIPIQVE SVO MVNIFICENTISSIMO

NVNC PRIMVM PROPOSITA SIMVL ATQVE DEMONSTRATA

A PRESBYTERO PHIL. ET MED. DOCT.

FRANCISCO MARIA SCVDERI

CATINÆ ARCHIATRO

ET IN REGIO EIVSDEM VRBIS TOTIVSQVE SICILIÆ REGNI GYMNASIO
M. P. P. P. P.

PARS PRIMA.

Acceſſerunt in calce totius Operis De horrendiſſima HYDROPHOBIA, *deque* ATRÆBILIS *mortiſera Excretione Obſervationes Medico-Practicæ.*

NEAPOLI
TYPIS, ET AVSPICIIS REGIIS.
MDCCLXXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

AUCTORIS VOTUM.

HYDRAM, non quidem *Lernæam*, Argivis tantummodo infestam, sed aliam truculentiorem, pluribusque capitibus sævientem, toti *Europæ*, quinimo universo Terrarum *Orbi* funestissimam, ex difficillimis *Scholarum* latebris summo conatu eductam, acrique contentione in medium positam, coram MAGNANIMO REGE PRINCIPEQUE meo FERDINANDO QUARTO, nutu magis quam imperio facillime evertendam, trucidandam, prorsusque extinguendam Ego primus admoveo. *Lernæa* sane non alia fuit, quam *Argiæ* Palus, noxiis exhalationibus proximis vicinis mortifera; quam HERCULES ubi exsiccare curasset, & divinos promeruit honores, & suis rebus gestis ære perennius Monumentum exegit. Hæc vero, quam Ego ante REGIS mei OCULOS pono, *Pestis* est *Variolosa*, plurium *Pestilitatum* matrix feracissima; ipsa *Bubonica Peste* ferocior; ab *Æthiopicis* Paludibus in reliquam *Africam*, *Europam*, *Asiam*, *Americam*, in Humani Generis *internecionem* immaniter irrupta; innumeris Hominum excidiis, multisque REGUM, atque IMPERATORUM necibus per tot sæcula infamis, &... (proh dolor! loquar, an sileam?...) & INVICTISSIMÆ BORBONICÆ AUSTRIACÆQUE GENTIS hostis nequior & pertinacior.

Sum-

Summopere quidem admirari nos subit, quod, dum DEUS OPT. MAX. Summis Potestatibus dederit vel in rebus maxime arduis idem *posse*, quod *velint*; dum *Belli*, *Bubonicæ Pestis*, cæterarumque rerum omnibus communia dira discrimina probe a sese noverint propellere, crudelem tamen *Variolosæ Pestis* in SEIPSOS Principatum hucusque excutere minime potuerint; sed hujusce lethiferi *Monstri* Immanitati ubique, & quovis tempore EORUM non pauci victas dederint manus. Atrox enim hæc *Hydra* Summam Romani Imperii Potentiam haud pertimescens, LUCIUM VERUM, *Marci Aurelii Antonini Imperatoris* Collegam, peremit (*a*): inexplebilem Saracenorum furorem parvipendens, ALSAFFAGUM CALIFAM obtruncavit (*b*): insontem invadens *Americam*, invictum QUETLAVACAM *Messici Imperatorem* interfecit (*c*). *Germania* quot Imperatores, Regios, Regiasque Principes non desideravit a Variolis de medio sublatos, non sine Imperii perturbatione? PRINCIPEM equidem AUSTRIACUM (*d*); FERDINANDUM QUINTUM, Romanorum REGEM jam consalutatum (*e*); Regiam Principem MARIAM AUSTRIACAM (*f*); Principem GEORGIUM HASSIÆ Lantgravium (*g*); Imperatorem JOSEPHUM PRIMUM (*h*); egregium SAXONIÆ PRINCIPEM atque ELECTOREM (*i*); & postmodum excelsam AUSTRIÆ ARCIDUCEM, CLEMENTISSIMÆ REGINÆ meæ Sororem (*l*), scelesta Variolosæ Pestis falce e vivis abscissos *Teutonici Populi* comploraruntt. *Britannia* expirante sæculo decimoseptimo REGINAM suam ab execrabili

(a) Æræ noſtræ anno 160. Ex *Eloy* Diz. Stor. della Medic. Tom.III. p.98. Trad. cum nostra in Pestim a Galeno adumbratam explanatione §. 427.
(b) Anno Salutis 753. Ex *Freindio* Oper. Medic. Epist. ad Mead. Hist. X. p.97.
(c) . . . . 1530. Ex *Robertsonio* Stor. di America Lib.V. p.279. Trad.
(d) . . . . 1650. Ex *Swietenio* Tom. IX. in Boerhaav. §.1403. p.113.
(e) . . . . 1654. Ex *Dolce* Enciclop. Lib. IV. Cap. VI. §. III. p.352.
(f) . . . . 1660. Ex *Mangeto* Tom.IV. B. M. P. p.773.
(g) . . . . 1675. Ex *Mangeto* ibid. p. 769.
(h) . . . . 1711. Ex *De la Condamine* Memor. I. sull' Innest. Part. III. p. 121. Trad.
(i) . . . . 1762. Ex *Trallesio* Vexatiss. nostra ætate, etc. apud *De Haen* Opusc. Physico-Medic. Tom. III. p. 161. ſeqq.
(l) Ex eodem Epist. Apologet. apud eumdem, ibid. p. 49.

crabili hoc *Monstro* absumptam luxit (*a*). *Gallia* LUDOVICUM DELPHINUM a Variolis ereptum ingemuit (*b*); atque Regem LUDOVICUM DECIMUMQUINTUM in summum vitæ discrimen ab hac *Lue* conjectum perhorruit (*c*). Quorsum vero vetera, nec omnia mihi comperta, IMPERATORUM, REGUM, PRINCIPUM, MAGNATUMQUE a *Variolosa Peste* occisorum exempla congerere? Nos, nos, nedum elapsi, sed adhuc & labentis anni tragicam scenam, quam immanis hæc *Hydra* prolusit, non absque animi dolore spectavimus, dum *Lusitanis* BRASILIENSEM PRINCIPEM; *Hispanis*, *Reipublicæque Litterariæ* INFANTEM DM. GABRIELEM, & paulo ante, hujus Uxorem DM. MARIANNAM (*), horumque tenellulum GNATUM; *Nobis* vero, heu quam præpropere, nimiumque aspere, atque contra PARENTUM Populorumque Spem, in *Siculæ* Reipublicæ mœrorem, *Neapolis* perniciem, REGIARUMQUE Ædium vastitatem, intra brevissimum triginta dierum curriculum, amabiles rerumque dulcissimos PRINCIPES JANUARIUM (**) & CAROLUM (***) crudeliter abstulit; quod semper acerbum habebimus!

Tantorum in REGES patratorum Malorum non alia semper extitit, etiamnumque præsto est causa, quam præconcepta ex falsissimis *Hypothesibus* promanans Opinio illa, qua hactenus creditum fuit, *Hominum unumquemque ineluctabili* FATO *Variolas pati debere*. Sed absit futilis jactantiæ culpa; Veritasque præluceat. Improbi a me suscepti Labores, vitæ Discrimina, Impensæ, reique domesticæ Jactura ex voto tandem cesserunt; dum ex intimius evoluta Variolarum, Morborumque Contagiosorum *Origine* ac *Natura* in demonstratis jam dedi *Variolas*, *Morbillos* atque *Ru-*

(a) Ex eodem loc. s. c. p. 218.
(b) Anno 1711. Ex *De la Condamine* loc. s. c. p. 122.
(c) . . . . 1752. Ex eodem ibid.
(*) Die 28. Octobris 1788.
(**) Die 2. Januarii 1789.
(***) Die 31. Januarii 1789.

Rubeolas; cæterasque *contagiosas* Febres; harum principum Pestilitatum infaustas progenies; *Ardentes* scilicet *Phreniticasque*; *Intermittentes Malignas*; *Anginosas*; *Dysentericas*; *Petechiales*; *Tussiculosas*, aliosque hujusce generis *pestilentes acutos Morbos*, totam *Europam* a sæculo fere decimo perpetuis hucusque cladibus depopulantes, sine ullo sumptu, brevissimo temporis intervallo, expeditissimoque negotio, *una*, nimirum, *primorum ab ipsorum quolibet infectorum a sanis* SEPARATIONE, facillime ex Europæis Nationibus per SUMMOS PRINCIPES longe abigi, prorsusque posse exturbari. Demonstrationis mehercule meæ *Summa* ad unum mei REGIS IMPERIUM delata fuit, statimac ejus *Theoretica Pars* a probis præstantissimisque Judicibus ad decernendum selectis hanc obtinuit Sententiam: *Propositam Variolarum, Morborumque Contagiosorum* EXTINCTIONEM RATIONI, EXPERIENTIÆ, *ac Magnorum Medicorum* AUCTORITATI *innixam*; *non vero per Præcepta*, *Sanctionesque*, *sed Regiis Consiliis Monitisque absolvendam*. Ast POPULI SALUS, *Suprema illa Lex*, quam SAPIENTISSIMUS REX libenter colit, atque tutatur, illiusque, maximo Imperiorum detrimento præstantiori in parte jamdiu amissæ, in naturalem statum restituendæ summa REGUM POTESTAS, privatis judiciis metienda non erit. Quod si olim pro extinguendis, atque ab *Europa* propulsandis difficillimis illis diuturnisque Pestilitatibus *Lepra* ac *Elephantiasi*, undeviginti millia Nosocomia (*), contaminatorum SEPARATIONI dicata, magnanimo ausu EUROPÆ PRINCIPES in suis Ditionibus exstruenda curarunt, ubi exitum certum (qui prospere contigit) consequuturum assequuti fuere; quisnam modo sibi suadere velit, EOSDEM, UNA SEPARATIONIS MULTA certissimam Pestilitatum omnium in *Europa* EXTINCTIONEM nactos, ac harum quamlibet semel apud nos extinctam nunquam & nuspiam sponte & sine exotico contagio iterum surrecturam, privatorum consiliis ad eam consequendam sese subscribere velle?

AU-

(*) M. De Lille Philoſophie de la Nature Tom. II. Par. II. Liv. II. pag. 266.

AUGUSTISSIMUM REGEM, PRINCIPEMQUE meum quod spectat, hujusce bonæ Spei clarissimum mihi præstitit argumentum, quod ex SUO gratiosissimo Mandato Opus hocce meum *Regio sub prælo* sudavit, & ex EJUS MUNIFICENTIA, adversis obnitentibus votis, jam in Publicum prodit. Quod vero longe magis me reficit & recreat id quidem est, quod inter Sapientissimas illas Leges, quas pro SUA SANCTI LEUCII instituenda REPUBLICA nuperrime sancivit, & illa præcellet (*), qua diligentissime cautum est, ut quicumque ex invidenda ea delecta SOCIETATE aliquo *contagioso* Morbo sive *acuto*, sive *chronico* correptus fuerit, *protinus a sanis separetur*, *inque domum salutifero huic Operi dedicatam*, *Regiisque sumptibus innixam firmatamque apposite curandus asportetur*: quod felix faustumque sit. Hinc nobis auspicari fas est, expectatam Pestilentiarum EXTINCTIONEM, humanissimis hisce Legibus indictam, per amplissimas SUAS Ditiones SE quantocyus exacturum, ea acceptiori Methodo, quam hîc memorari non vereor, *delectis* scilicet *ubique*, *ad illam assequendam tantummodo necessariis*, SALUTIS PUBLICÆ *Curatoribus*.

Quapropter maximam, qua IPSE REX CLEMENTISSIMUS cæteros Principes antecellit, HUMANITATEM SUAM, enixe deprecari, iterumque obtestari non desinam, ut GLORIAM, AUGUSTO NOMINI SUO pro debellatis tot Pestilitatibus, proque magnanimo, quod reliquis daturus est Principibus, Exemplo, tam a proximis, quam a seris Nepotibus adjudicandam, in multos dies differre ne amplius patiatur; sed citissime adversus Variolas BORBONICÆ PROGENIEI sit Servator æternus; *Siciliæ*, hominibus jam exhaustæ, velox præsidium; expeditum *Neapolis* tutamen; *Europæ* totius præsentissimus Liberator.

Equi-

(*) Origine della Popolazione di S. LEUCIO, ec. Colle Leggi, ec. di FERDINANDO QUARTO Re delle Sicilie. Cap.II. §.XV. pag.XLVIII. Napoli 1789. Nella Stamperia Reale.

Digitized by Google

Equidem, dum alia Magna gerit, atque MAGNANIMUS Maxima meditatur: dum Res utriusque *Siciliæ* Moribus ornat, & Legibus emendat; pervigiles ocuLos suos minime præteribit magnum hoc FACINUS, quod ab IPSO REGE HUMANISSIMO timidi expetunt Patres, pavidæ Matres exoptánt, exhorrescentes efflagitant Pueri. Quod si a Sapientissimis Imperatoribus ratum fuit, gloriosiorem utilioremque rem esse unum servasse civem, quam millenos hostes interimisse, universi Humani Generis *Incolumitati*, tam sævis Pestibus jam divexatæ, ubi probe IPSE consuluerit, quisnam præteritorum, aut futurorum HEROUM unquam fuit, aut adesse poterit, qui ab EO promeritas LAUDES nedum exsuperare, sed vel exæquare valeat? Sane, si Fata hæc aspera rumpat, omnes quotquot sunt ubique Gentes hoc EIDEM statuendum curabunt TROPHÆUM, eædemque probabunt:

FERDINANDO QVARTO
SICILIARVM REGI
TETERRIMAE MALORVM COHORTIS
QVAE MISERE DIV IN HVMANVM GENVS
INCVBVIT
PROPVLSATORI
VOTA PVBLICA

OPE-

OPERIS

DISQUISITIONES, ET JUDICIA.

1. UT primum ex comperta Variolarum Contagioſorumque Morborum Origine *Europæ* prorſus exotica, omnimodam apud eamdem, & quidem facillimam illorum *Extinctionem* obtineri poſſe nactus ſum, probe intellexi qualemcumque hacce ſuper re Demonſtrationem in Humani Generis Bonum numquam fore ceſſuram, niſi *Poteſtas Publica*, cujus *Suprema Lex eſt Populi Salus*, hanc Veritatem ratam haberet, & ad illam aſſequendam operam daret, ſuamque interponeret Auctoritatem. Utut ob Rei Novitatem me in agonem deſcenſurum eſſe cognoverim, haud tamen hæſi quin, relictis ſecundo die menſis Septembris anni 1786. Patriis laribus, Clementiſſimum Regem Principemque meum FERDINANDUM QUARTUM adirem. Propoſitum itaque Inſtitutum Regis juſſu Neapolitanæ *Publicæ Sanitatis* Præſulibus diſcutiendum committitur; ab hiſque ad rei Medicæ Præſtantiſſimos Viros Doctiſſimum *Joſephum Melchiorem Vairum*, nunc Regis Medicum Cubicularium, ac Præcl. *Franciſcum Dulcium* intimius perpendendum devolvitur. Humaniſſimum ab hiſce Diſertiſſimis Viris Judicium Opus, ac Inſtitutum meum ſortita ſunt die ſexto Martii 1787.. Illud enim *inter ſummæ Utilitatis Opera adnumerandum* eſſe putarunt (*a*): Variolarum Contagioſorumque Morborum per me propoſita Extinctio, *Rationi*, *Experientiæ*, ac Magnorum Medicorum *Auctoritati* innixa ab ipſis decreta fuit: Infectorum vero *Separatio*, qua una illa obtineri debeat, quinque difficultatibus implicita atque obnoxia; quarum hæc fuerunt momenta: I. *Fruſtra quovis in Regno Variolarum* Extinctio *expectanda eſſet, ubi omnes* Europæ *Principes ſub idem tempus ad illam in ditionibus ſuis præſcribendam non convenerint*; II. *Si Variolarum* Miaſmata *aeris vehiculo ab una in aliam Regionem tranſmeare poterunt, ſique eadem ſub primo Varioloſæ Febris impetu ab ægrotis in ſanos tranſilirent; circumſpectiones omnes pro inhibendo eorum contagio vel prorſus inutiles, vel ferme infinitæ evadant neceſſe erit*; III. *A quibuſnam expetenda eſſet enormis illa pecuniarum ſumma pro erigendis Noſocomiis, conſtruendis rhedis, quibus tranſferri deberent Variolati, exſolvendis Medicorum, Chirurgorum, Famulorumque ſtipendiis apprime neceſſaria?*; IV. *Qui ſperandum, quominus Variolatorum Famuli, induſiorum lintearumque tabo conta-*

(*a*) Confer. Commentariolum noſtrum, cujus titulus: *Supplemento alla Memoria, per ſervire alla facile Eſtinzione del Vajuolo ec. pag.* 4. *Napoli* 1788.

taminatorum Purgatrices, *aliique illis addicti*, *acceſſu ad Civitatem pro neceſſariis parandis*, *Varioloſum contagium*, *quo certe ſcaterent*, *civibus non concedent?* V. *Denique tyrannicum fore*, *lactentes variolatos Pueros e Matrum uberibus avellere*, *longeque ab eis aſportare*, *quod ſine maxima Familiarum perturbatione nec obtineri nec perfici poterit*.

2. Hoc in me maximæ humanitatis, & ſummi erga Genus Humanum amoris pleniſſimo Judicio, hi in Arte Medica præſtantiſſimi ingenuique Viri me hortari viſi ſunt, ut in re tam gravi haud probe hactenus definita, nec bene perpenſa, eorum perplexitatibus magis, quam objectationibus appoſitis ſatisfacere ſedulo ſtuderem.

3. Quoad *primam* itaque difficultatem, exempla in medium attuli omnimodæ apud totam *Europam Extinctionis*, nedum acutarum Peſtilitatum facillime abſolvendæ, ſed & diuturnarum difficilioris executionis, a cunctis Sapientiſſimis *Europæ* Principibus ſtrenue ſub idem tempus peractæ atque abſolutæ: quorum primum illud fuit ab *Inviciſſima Venetorum Republica* adverſus *Bubonicam* Peſtim ſaluberrimum Inventum. Quum enim ad totum fere decimumquintum ſæculum hæc hominum vaſtatrix Lues nullo ſepimento, nulliſque coercitionibus vallata, ſæpiſſime ab una in aliam Civitatem, ab hac in illam Regionem impune per totam *Europam* diſcurreret, Sapientiſſimi *Veneti*, ut eam in vinculis conjicerent, prorſuſque e ſuis Ditionibus exturbarent, anno 1484. quadraginta dierum cuſtodias in ſuis portubus ſuiſque finibus adverſus ea labe vel ſuſpectos invexerunt ſimul atque ſanciverunt: unde factum eſt, ut reliqui *Europæ* Principes repente ſaluberrimam hanc Inſtitutionem amplexarentur: ex quo tempore, *Bubonica* Peſtilitate ab Europæis Nationibus exulare coacta, quæ poſtmodum ejus ſævitiem paſſæ ſunt Europæ Civitates vel Provinciæ, hominum dolo vel incuria paſſæ ſunt. *Conf. hic* §.487. Quum itaque in *demonſtratis* habuiſſem (*Concl. XXIV.* §.309. *&* *Concl. XXXI.* §.407.) Varioloſam Peſtim excidiis, cruciatibus, oculorum, & totius corporis vaſtatione, ſimul & conſectariis Peſtilitatibus ipſa *Bubonica* Peſte ferociorem exiſtere, atque plurimis nominibus exſecrabiliorem, nulli dubitandum eſſe repoſui, quin omnes Europæ Principes, ſimulac aſſequuti fuerint, Variolas natura ſuis Ditionibus exoticas ab ipſis prorſus & facillime exturbari poſſe, de Humano Genere benemerentes, deque Subditorum felicitate, quinimo & ſuarum Progenierum perennitate ſolliciti magno huic Operi ſtrenue operam dare velint. Alterum, quod inſtiti excitavique *Extinctionis* Exemplum fuit binarum illarum Peſtilitatum, quas earum inextricabilis indoles ac natura inexpugnabiles inque ævum duraturas reddidiſſe videbatur, *Lepræ* nimirum & *Elephantiaſis*, ad ſepulcrum uſque, quos arripuerant, comitantium, & generationis adminiculo in contaminatorum filios ne-

po-

poteſque ſeſe infeliciter propagantium. Quæ tamen a ſæculo duodecimo per totum decimumquintum in *Europam* longe lateque diffuſæ, extructis ubique ejus Provinciarum ex Publica Auctoritate undeviginti millibus Noſocomiis, hiſce Peſtibus infectorum *Separationi* dicatis (*a*), vel ad ſæcula bina officio ſumptuque maximo firmatis ſervatiſque, ab Europæis Nationibus tandem exulare coactæ ſunt. *Confer.* §. 456. *&* *Concl. XXXIX.* Quî igitur dubitandum, ut Sapientiſſimi Europæ Principes probe admoniti Varioloſam Peſtim, nullo Noſocomiorum ſumptuumque apparatu, ſed expeditiſſimo negotio intra binorum vel trium annorum curriculum facillime extingui a ſuiſque Ditionibus propulſari poſſe, libenter ac æquo animo in hoc Inſtitutum non omnes conveniant? Demus enimvero non convenire; at non inde inferendum, Variolas in utriuſque *Siciliæ* Regno ſemel extinctas, perpetuo ab exteris Nationibus iterum atque tertio in idem epidemice fore graſſaturas. Qui enim in ipſum Variolati advenæ pervenerint, quum hæc Peſtis cunctis vel agricolis pateat, minimeque amplius obvelari poſſit, percommode ab hominum commercio illico ſejungi queunt, ac vigentibus cæteris exequutu facillimis cautionibus, ne contagium proſeminent, pertractari: quinimo minime dubitandum, quin, indicta in utriuſque *Siciliæ* Regni portubus atque limitibus Variolatorum *Separationis Multa*, qui ad Nos ex reliquis venient Nationibus, probe ſibi caveant, ne hac Peſte, nulla arte obtegenda, contaminati accedant. Neque ulla ob id futura erit Commercii deminutio; ſicuti conſtituta pro *Bubonica* Peſte *Multa* nihil officit, quominus a *Turcia*, hujus Luis Nutricula, qui diſcedunt Mercatores totam peragrent *Europam*: quæ vero ſi unquam eſſe poterit, certe viginti, triginta, forſan plura millia Subditorum capita ab unis Variolis in Regis Ditionibus quotannis contrucidata, longe plurimi facienda ſunt, quam quod ex deminuto rerum Commercio Ærarium Regium ſuſcipiet detrimentum.

4. Binas illas problematicas perplexitates, ſecundo loco ſignatas, exploratis ratiſque Obſervationibus ex intima Variolarum Hiſtoria, earumque Natura expetitis, & §.466. *Phœnom. XIV. & XVI.* hic adnotatis, explere viſus ſum. Quodcumque Objectum plurima in ſe continet momenta, quæ omnia ſimul conſideranda ſunt ad genuinam ejus naturam aſſequendam: unde nil mirum, ſi illorum aliqua Viros vel diſertiſſimos, potioribus ſtudiis deditos, prætereant; dum alicui eadem paulo intimius, ardentius, pertinaciuſque perſcrutanti ſeſe clara exhibeant. In compertis igitur habendum, Variolarum & ipſius *Bubonicæ* Peſtis *Miaſmata*, nedum ab una in aliam Regionem, ab hac in

b 2 illam

(a) Confer. De Lille Philoſoſie de la Nature Tom.II. Part.II. Liv.II. p.266.

illam Civitatem minime tranſilire poſſe, ſed neque ex quavis in proximam domum tranſmeare: aliter ſtatutæ adverſus *Bubonicam* Luem vel media in infecta Civitate ſalutiferæ Cuſtodiæ in irritum ceſſiſſent. Pariter compertum eſt, Variolas, Bubones, Anthraces, *Exanthemata* quælibet tum demum contagioſa evadere, quum ad Suppurationis, ſive dicamus, Maturationis *Stadium* pervenerint, *Hiſtoria*, *Obſervationibus* atque *Analogia*, tribus illis momentis, quibus detectæ hactenus Veritates innixæ comperiuntur, id clare teſtantibus. *Confer. hic* §.466. *Phænom. XVI.*

5. Tertiam quod pertinet difficultatem, per me adſtructis pro extinguendis Variolis Cautionibus minime adverſari demonſtravi. Quavis enim in Civitate, vel Pago Variolis epidemice graſſantibus, nullam propoſui Variolatorum a Sanis *Separationem*, ſed alias tantummodo Circumſpectiones pro inhibenda contagii propagatione; quæ quidem nec Noſocomia, nec rhedas, neque magnum expoſtulant famulitium, ut hic §.499.; ſed ſatius exiſtimavi, ut quouſque hujuſce Peſtis contagium deflagraverit & prorſus extinguatur, (& extinguitur ſane deficiente eidem Puerorum pabulo, quod quotidiana evincit Obſervatio), qui ex Variolis reſurgunt, per duos menſes alias non adeant Civitates, Peſtim certe proſeminaturi; & qui eam adhuc non ſunt paſſi, ex ſanis locis in coinquinatos non veniant, indubie contagione arripiendi. *Confer.* §. 492.

6. Ut perplexitatem numero IV. indicatam experientiſſimi Judices deponerent, attuli iteratas Obſervationes, §.488. recenſitas, & præſertim a *Swietenio* (§.489.) in *Collegio Thereſiano* inſtitutas; quibus clare liquet probis Circumſpectionibus effici poſſe, ne qui contaminatis inſerviunt contagium ſanis affricent.

7. Pro quinta & ultima, atque nimis humana difficultate humaniſſimos Judices enixe rogavi, ut perpenderent Varioloſæ Peſtis excidia; intolerabiles Variolatorum angores; frequentes cæcitates; membrorum detruncationes; pulchritudinis damna; Familiarum ſæpius nobiliſſimarum interneciones; Principum, Regum, Imperatorumque vitæ diſcrimina, nec raro funeſtos interitus; univerſæque Reipublicæ haud facile numerandas calamitates, quæ Variolas ubique gentium Fato veluti ineluctabili conſequuntur; decernerentque an æquius utiliuſque eſſet hæc publica diraque infortunia, una a Matris uberibus Pueruli variolati avulſione declinari longeque abigi, quam ipſius parcere mœrori quin adhuc & damno. Nil vero obſtat, quominus Mater ipſa, humaniſſime cæteroquin excipienda, ſolitudinis tædium ad binos menſes cum filiolo ſuſtineat; quum Bonum Publicum privato ſemper anteferendum ſit.

8. Hiſce, aliiſque rationum momentis conflatum Commentariolum, vi-

vigeſimonono die ejuſdem Menſis Martii *Publicæ Sanitatis* Præſulibus obtuli. Ex horum Collegis bini delecti ſunt Curatores, qui rei ulterius diſquirendæ privatim præeſſent, Ill. Principes *Sanctæ Agathæ*, & *Ripæ*. Ab his alii bini ad Inſtitutum additi Judices Celeberrimi *D. Dominicus Cotunnius*, ac *D. Vincentius Petagna*. Interea temporis mihi renunciatum, Præclariſſimum *D. Michaelem Sarconium* inſtare, utpote qui ab anno 1770. ipſiſſimum meum Argumentum pertractaſſet, typiſque feciſſet publicum; indeque ſe in hanc diſquiſitionem immittere velle, meque forſan *plagiarium* indicare. Ejus igitur cæteroquin elaboratiſſimum Opus comparatum nimis feſtinanter a me evolvendum fuit: expulſoque *plagii* timore, eductiſque ab illo duodeviginti Propoſitionibus a meo Inſtituto, forte jam typis compendiarie tunc vulgato, longe diſſitis (*Confer. Addit. XVIII. num. 9.*, & *XXV. num. 2.* & 3.) alium effeci Commentariolum, quo apud *Sanitatis Publicæ* Præſules ab hac culpa me expurgare curavi. Vigeſimo ſexto Aprilis Judicium coram his Præſulibus indictum, & Ill. *Sarconius* huic præſto fuit, ſuamque exagitavit cauſam; ſed qui Opus meum libraverant Integerrimi Judices *Vairus* ac *Dulcius*, qui cum laudatis *Cotunnio*, & *Petagna* præerant, me longe aliam tenuiſſe viam retulerunt. Meum igitur Argumentum certamini committitur, mihique novis difficultatibus ſtante pede in uno, quo modulo potui, ſatisfaciendum fuit. Confecta diſquiſitione a diſertiſſimis Judicibus res ſic fuit definita: *Propoſitam Variolarum Morborumque Contagioſorum Extinctionem non per præcepta, ſanctioneſque, ſed Regiis conſiliis monitiſque abſolvendam*. In his efformandis Inſtitutionibus aliqui ex *Sanitatis* Præſulibus Illuſtri *Sarconio* partem dare ſatagebant. Mihi itaque, negotium meum recte peragenti, hujuſcemodi injuriæ, tradito illis die 29. ejuſdem Menſis libello, querela inſtituenda fuit. Res voto ceſſit, & conſtruendarum Inſtitutionum onus mihi uni demandatum fuit. In his concinnandis non alius mihi inſtitit labor, quam ut quæ Latino ſermone ſub Legum nomenclatione in hoc Opere indicaveram, in Italicum converterem, Legum rigore prætermiſſo. Die igitur tertio Maii harum Inſtitutionum Autographum *Sanitatis* Præſulibus obtuli, iiſdem fere numeris abſolutum, ac in citato noſtro Commentario (*a*) legitur. Præſulum mandato prælaudatis Judicibus, qui de eo cognoſcerent, committitur. Horum Judicium, ad 29. diem menſis Julii protractum, illud fuit, ut *Inſtitutiones ſatis bene conſtructæ*, *Variolarumque Extinctioni abſolvendæ peraptæ*, definitæ fuerint, at *quæ Hominum Cœtus perturbare valuerint* (*b*). Inſuperabilem rem quum probe cognoverim, ſatius habui *Publicæ Sanitatis* Præſulum ad Regem Renunciationem urgere, quæ

(a) Pag. 11. ſeqq.
(b) Ibid. p. 57.

quæ decimoquarto die menſis Auguſti, diſquiſitionum judiciorumque præcipua momenta comprehendens (*Confer. cit. Comment.* (*a*)) ad AUGUSTUM PRINCIPEM delata eſt. Perpenſo *Sanitatis* Præſulum ſuffragio, Opus hocce quod typis daretur, expectandum mihi fuerat, maxime quod *Regio Diplomate* idipſum probatum fuit (*Confer. cit. Comment.* (*b*)). Quinque exceſſerant menſes, quum alio Regio mandato Clariſſimorum Virorum *DD. Dominici Cotunnii*, *Dominici Cyrilli*, & *Antonii Sementino* calculo idem denuo ſubjiciendum fuit, ut perpenderent num typis & auſpiciis Regiis in publicum prodire dignum eſſet. Imperatis obtemperavi: redditoque novis Judicibus Opere, quæ hujuſce rei novitas mihi attulit incommoda detrimentaque impavide ſuſtinui. Decimo die Maii elapſi anni 1788. hi diſertiſſimi Viri, ut de Opere Sententiam ferrent, conventum inicre. Longius quam par erat diſceptatum. Adverſum perſentiens Judicium, Humaniſſimum adii *Cyrillum*, quumque cognoverim æquiſſimum hunc Virum Renuntiationem, cujus concinnandæ junior Socius onus ſibi aſſumpſerat, minime obſignaturum, ſi æquivocam inveniret; cum iterum atque tertio enixe rogavi, ut illam, qualiſcunque eſſet, ſubſcriberet, quo me a longiori tædio liberaret. Sapiens hic meis indulſit precibus. Data itaque ad HUMANISSIMUM REGEM eorum Relatio, cujus mihi pernegatum exemplar. Tum ipſorum alicujus Diſcipuli quidam muſſitare, aliqui obgannire, unus vel alter Operis veluti miſereri cœperunt. Res erat integra, & omnium ſcius prudenſque, quin & ut id judicii genus quovis modo definitum qui rogaveram, JUSTISSIMUM adii REGEM, non aliud, quam prolatæ Sententiæ Exemplar ab eo impetraturus, ut perpenderem Operis culpam, qua in publicum prodire typiſque Regiis committi indignum ratum fuerat. (*Confer. Addit. XXV. n.* 1.). Sed vicit, qua cæteros Principes præcellit, REGIS HUMANITAS maxima, eximiaque MUNIFICENTIA, unde & Relationis Exemplar ſignatum mihi tradi, & Opus typis Regiis in lucem prodire demandatum fuit, ut ex Regio Diplomate 27. Maii 1788., quod grato attentoque animo tuendum mihi ſemper erit. Hæc *Benevolum Lectorem* latere minime decebat.

9. Quanam methodo, & quanam dictione in hocce conſcribendo Opere uſus fuerim, quemquam morari non expedit. Inſtituti pondus nec ſcribendi ordine, nec locutionis vi exæquare unquam potui, quum ejus Objectum unius Hominis haud firmum robur longe ſuperet. Satius itaque habui Opus hocce in binas diſcernere Partes: quumque ejus *Summam* unica conſtituit Propoſitio, *Epidemicos*, ſcilicet, *omnes Morbos eſſe Europæ exoticos, ab ipſaque eorum Acutos facillime expelli poſſe*, ilium

(a) Pag. 54. ſeqq.
(b) Pag. 97. ſeqq.

illum ſelegi partitionis ordinem, quem reliquarum Propoſitionum, in illam recidentium, nexus aptiorem reddidiſſe mihi viſus ſum. Haud abrupta rerum ſerie, demonſtrandas Propoſitiones quaquaverſum ex intimis Obſervationum viſceribus eductas ſecretaſque appoſui, uti & ab illis promanantes Concluſiones. In *Additionibus*, quas pro diluenda a poſtremis Judicibus inuſta Operi macula, *in ipſo*, nimirum, ***non adeſſe Repertum aliquod integre novum, quod aliquid utilitatis Reipublicæ afferre valeat***, urgente Operis Editione, extempore, & quandoque nimis properato adumbrare coactus ſum, nulla mihi ſuperfuit horula, ſub qua in illis ordinandis cogitare potuiſſem. Dicendi genus illud mihi arriſit, quod ad Hiſtoriam potius, quam ad Oratoriam pertineret. Quantum maxime potui perſpicuum, planum, nec nimis exquiſitum, minime vero barbarum horridumque reddere contendi. A præclariſſimis Auctoribus excerptas Obſervationes, Morborumque Epidemicorum Hiſtorias ut plurimum eorumdemmet verbis Operi inferendas neceſſarium autumavi. In ipſo enim non de *Apoplexia*, *Pleuritide*, *Affectu Hypochondriaco*, vel *Hyſterico* pertractandum fuit, ut perquiſitis apud millenos Auctores, qui de hiſce ſcripſerunt, undique membris, aliis quidem verbis (& ſæpiſſime iiſdem, ſuppreſſo tamen Auctoris nomine, ex quo illa conraduntur) ſed non aliis rebus, Corpus veluti novum conflarem, Tironibuſque imponerem; ſed *Analogia*, *Syntheſique* Propoſitiones hactenus non vulgatæ, vel minimum hucuſque deſpectæ, demonſtrandæ mihi ita fuerunt, ut vel ab invitis aſſenſum extorquere valuerint. Unde qui mihi adhuc in faciem Opus alienis verbis maxima ex parte conſtruxiſſe obtruſerunt, (nec deerunt qui in poſterum culpabunt), apertiſſime declarant ſeſe Inſtituti mei momentum minime aſſequutos eſſe, nec Rei dignitatem pro merito æſtimaſſe. Cæterum humani in me plurimum agnoſcens, pro iis, in quos lapſus ſum, erroribus, tam longe abeſt, ut Ingenuorum Virorum juſtum calculum rectamque cenſuram pertimeſcam, quin potius ex animo efflagitem: utpote Humani Generis Utilitati, Bonoque certe ceſſuram. Quæ hucuſque paſſus ſum adverſa, aſpera, dura, incompta, difficilia, reticere juvat. Honeſtam Utilemque Cauſam Agitanti contemptus omnes contemnendi fuere: quum probe memor fuiſſem illius Immortalis *Linnæi* moniti (a): „ *Adverſariorum tela nunquam retorſi, acerrima convitia, inſimulationes, cavillationes, buccinationes (præſtantiorum longe Virorum, omni ævo, laboris præmia) tranquillo animo ſuſtinui, nec ſuis Auctoribus hæc invideo, ſi inde ipſis apud vulgus gloria major. Fero hæc, quæ in me ne capillum quidem mutant; & cur non ferrem iniquos, qui a veris Botanicis & quidem conſummatiſſimis, quibus aſſurgere debent illi, ſummis cumulatus ſim encomiis!* “

(a) Spec. Plantar. Tom. I. ad Lectorem.

. . . . Ἐμοὶ δὲ τὸ μέν τι τῶν μὴ εὑρημένων ἐξευρίσκειν, ὅ, τι ϗ εὑρεθὲν κρέσσον ἢ ἀνεξεύρετον, ξυνέσιος δοκέει ἐπιθύμημά τε ϗ ἔργον εἶναι· ϗ τὸ τὰ ἡμίεργα ἐς τέλος ἐξεργάζεσθαι ὡσαύτως.

. . . . Mihi vero invenire aliquid eorum, quæ nondum inventa sunt, quod ipsum notum, quam occultum eſſe præſtet, Scientiæ votum ac Opus eſſe videtur: ſimiliterque & ſemiperfecta ad finem perducere & abſolvere.

Hippocrates De Arte Num.I.

SCRI-

SCRIBENDI OCCASIO.

SIqui civilis hominum ſocietatis, hiſce noſtris temporibus, infenſiſſimi ſint oſores; neque tamen humanitatem ipſam atque recte ratiocinandi facultatem omnino exuerint, vel inviti cum cordatis viris omnibus fateantur oportet, Supremas Orbis Poteſtates eo ſaltem munere in humani generis Bonum conſtitutas eſſe, ut ſub quocunque omnium ſaluti impendente diſcrimine, dum ignarum atque incertum vulgus in contraria ſcinditur ſtudia, ipſæ doctiſſimis firmiſſimiſque illuſtratæ conſiliis, ac heroicis impulſæ virtutibus, Imperii vires pro Reipublicæ incolumitate affatim inſumant, & quandoque, ne illa peſſum iret, quamprovide exhauriant.

Veritatis hujuſce luculentum exhibent teſtimonium illæ, eximiis cumulandæ laudibus, ab Europæis Principibus ſtatutæ leges, quibus proviſum eſt, ut Peſtilentiæ ſemina, morigeros cultoſque Europæorum cœtus, ſi iis libere divagari daretur, funditus depopulatura, ab hominum feraciſſimis orientalibus Regionibus, & maxime ab Auſtrali Æthiopica plaga, ubi ſuum habent ortum ſuumque domicilium, in Europeas Nationes natura ſaluberrimas, per mare perve terras vel nunquam invehantur, vel infeliciter invecta vinculis ſepimentiſque anguſtum in locum coerceantur.

Quid enim dulcius, utilius quid, quidve optabilius hominibus ab homine tandem præſtari poterit, quam civium ſaluti conſulere, eoſque tutari a truculentiſſimo hoſte, quem non ſapientia neque ſtultitia; non pax non bellum; non excelſæ regum turres aut pauperum tabernæ; honorum culmina, nec nominis obſcuritas, morum elegantia neque ruſticitas; non maſcula corporis virtus aut imbecillitas, vultus amœnitas nec turpitudo; non ætatis ſexuſque vigor aut infirmitas; preces nec minæ; nulla denique animi corporiſve conditio arcere unquam, vel mitigare ita valuerit, ut non in omnes aperte immaniterque ſuam exerceret ſæviendi poteſtatem?

Cunctis quidem viventibus binæ inſitæ ſunt a Summo rerum omnium Creatore phyſicæ leges; *ſui* nimirum *conſervatio*, atque *ſpeciei propagatio*. *Principio*, inquit Romanus ille ſapiens Marcus Tullius Cicero (*a*), *generi animantium omni eſt a natura tributum*, *ut* SE VITAM CORPUSQUE TUEATUR, *declinetque ea*, *quæ nocitura videantur*, *omniaque quæcumque ad vivendum ſint neceſſaria inquirat*; *ut paſtum*, *ut latibula*, *ut alia ejuſdem generis*. *Commune etiam animantium omnium eſt* CONJUNCTIONIS APPETITUS PROCREANDI CAUSA, *& cura quædam eorum*, *quæ procreata ſunt*.

Etſi vero organicæ partes, quibus contexta ſunt cunctorum viventium admiranda corpora, varia & inter ſeſe longe diſſita ad obeunda munia, conſtructæ conſpiciantur; ſi tamen profundiori committentur perquiſitioni, omnes, veluti circuli lineæ ad centrum ductæ, in id perpetuo concurrere comperientur, ut vitam vel in ævum (ſi datum foret) tectam ſartamque ſervent atque cuſtodiant.

Hoc animantibus innatum principium ab incorrupto rationis lumine utentibus hominibus, ceteris vitæ commodis utilitatibuſque ſemper prælatum fuit. *Pyrrhum*, inquit Ludovicus Cælius Rhodiginus (*b*), *qui Epirotis imperitavit*; *quique poſt Alexandrum rei militaris prudentiſſimus eſt adjudicatus*, *ferunt*, *ubi immolaturus templa inviſeret*, *non regni ampliorem modum*, *non de hoſte victoriam præſignem*, *neque item gloriam illuſtriorem*, *aut divitias*, *& id genus alia*, *quibus mortalium plerique attoniti inhiant*; *ſed ſanitatem modo a Diis comprecari ſolitum*: *ceu parte hac bene conſtituta*, *proſperius ceſſura viderentur omnia*. *Nam ſi toto ſinu ſeſe affundat fortunæ afflatus*, *abſit autem valetudo recta*, *nullum illinc profluit emolumentum*, *quod juvet*. *Propterea* ANTIOCHUM *cognomento* SOTERA *prælio cum Galatis congreſſurum legimus in quietem arbitratum Alexandrum ſibi aſſiſtere*, *monereque*, *ut priuſquam in aciem milites perduceret*, *non aliud pro-*

(*a*) De Offic. lib. 1. pag. 464.
(*b*) Lection. antiq. lib. IV. cap. XXIII. p. 186.

Digitized by Google

proponeret illis ſignum, *quam* hygienen, *id eſt*, *bene valere, quod*, *quum is non neglexiſſet*, *nobilem de hoſtibus victoriam eſt aſſequutus*. *Scimus porro* Mandatorum *librum ab Imperatoribus dari ſolitum*, *in quo præceptum primum erat* de Sanitatis cura. PYTHAGORAS *quoque in epiſtolis non alia eſt uſus conſalutatione*, *quam ut juberet* Hygienen. *Id inſtitutum &* Pythagorici *mox ſervarunt*, *veluti animæ corporique nil amplius congrueret*; *hoc uno hominis bona univerſa comprehenderentur*. *Quin &* Symbolum, *quo inter compares uterentur*, *dicebatur* Ygeia, *id eſt* Sanitas. Quorſum vero humana, hac ſuper re, congerere documenta, ſi vel ipſius ÆTERNI NUMINIS oraculo (*a*) definitum ſit, quod *Non eſt cenſus ſupra cenſum ſalutis corporis*?

Id vero ſummæ ceteroquin humanitatis atque pietatis officium haud ipſorum Principum maxima caret uſura, maximoque emolumento. In confeſſo enim eſt apud politices Scriptores Regnorum ſummorumque Imperiorum tutamen, robur atque potentiam vel una ſubditorum populorum multitudine frequentiaque firmari.

Quantacumque ſit cunctis Principibus illimitata dominandi poteſtas; feraces argenti aurique fodinæ; opum magnificentia; interminati provinciarum fines; ditiſſima fortiſſimaque per mare perque terras armamentaria: vel pro nihilo hæc fere reputanda forent, ſi eoſdem affluens hominum concurſus deſtituerit; quum, deficiente virorum robore, hoſtium præſto erunt incurſiones; & mortalium penuria agri vel frugiferiſſimi tribulis, ſentibus atque tetro obumbrentur ſilentio; obliterentur fere artes omnes; mercimoniarum ſemper erit curta ſupellex; egeſtas longe lateque peragrabit, & Regnorum inde Imperiorumque neceſſe eſt conſequatur interitus, uti quamoptime norunt rerum politicarum ſagaciſſimi.

Quot præterea eximiis excepti ſunt laudibus atque honoribus qui divinam ſcientiam Medicam perdocte callentes, ejuſdemque artificialem operam diſerte ſcitiſſimeque navantes, morbos vel omnes e republica conati ſunt avertere,

 cam-

(*a*) Eccleſiaſt. cap. XXX. verſ. 26.

Digitized by Google

eamque ab iiſdem incolumem magna ex parte ſervare? Unde, ſpretis profani vulgi, in ſacram meſſem temerariam falcem ignaviter mittentis, improbis criminationibus, a viris doctiſſimis juſtiſſimiſque vitæ & ſanitatis præſules atque rectores, optimeque de humano genere merentes omni ævo ſunt conſalutati, tantique habiti, ut a ſuperſtitioſis hominibus divinos quandoque conſecuti ſint honores, vel ſaltem illud a Marco Tullio Cicerone prolatum elogium (*a*), quod *Homines ad Deos nulla re propius accedunt, quam ſalutem hominibus dando*.

Aſt proh dolor! Dum Europa a tot ſolertiſſimis invictiſſimiſque moderata Principibus ab hoſte infeſtiſſimo, qualis *bubonica* Peſtis eſt, ſedulo ſibi ſemper cavit: Dum acutiſſimorum ingeniorum feraciſſima, undique & quovis ævo, ſed maxime nuperis temporibus, non ſecus ac olim Græcia, uti in omni ſcientiarum genere, ita & in re Medica ſummos protulit viros doctrina exornatos, moribus graves, ingenio acres, ſtudio rerumque omnium peritia ſapientum numero recenſendos: Dum regia magnanimitate eorum non paucos, ut ad majora artis Medicæ incrementa excogitanda provocaret, ad ſuprema evexit honorum culmina, opibuſque ditavit; interea temporis, arcano ſummi Numinis judicio, aliam vel *bubonica* ferociorem Peſtim, quam multis retro ſæculis, dum perpetuis diriſque bellis diſcruciabatur, medicis deſtituta luminibus, veluti inſcia in plenum admiſit ſinum, noſtra autem tempeſtate utut *phyſicis*, *chymicis*, *anatomicis* atque *botanicis* expolita inventis, illuſtrataque doctrinis, etiamnum torpens & nimio prehenſa ſopore, nutrit, fovet, amplectitur, &, quod mirum, eidem tanquam herculeæ lerneæ hydræ humanas addicit victimas.

Quid? Si ingentem excidiorum cumulum, quem Variolæ per Europam omni tempore a primo in ipſam ingreſſu coacervarunt, & hucuſque congerere non deſtitunt, quiſquam ob oculos ſibi ponere patiatur; nulli dubitamus, quin eaſdem peſte *vulgari*, fame, belloque Europæis Nationibus pernicio-

(*a*) Orat. pro Quint. Ligar. circa finem.

nicioſiores exſtitiſſe, & adhuc perſtare, ultro daturus ſit.

Peſtis quidem, fames, bellum poſt longa ut plurimum temporum intervalla recurrunt; ſuos habent circumſcriptos auguſtoſque limites; & ubi ſæviunt, a plurima, quin & maxima hominum multitudine fuga & circumſpectione eluduntur deflectunturque. Variolæ autem, nullo oppoſito impedimento, libere per ſingulas Europæ regiones veluti quemdam per orbem indeſinenter circumvolvuntur, & ubique locorum longe lateque diſcurrunt; quinimo noſtris diebus eo res progreſſa eſt, ut in quamplurimis magna civium copia affluentibus urbibus, celebrioribuſque emporiis ſtatam ac firmam detineant ſedem: omneſque, quos offendunt, quoſque prius non occuparunt, nullo diſcrimine aggredientes, quovis tempore, omni die, perpetua hominum clade univerſam vaſtarunt Europam, inque dies populantur.

Tantorum malorum ſi rimemur cauſam, non aliam profecto comperiemus, quam hactenus haud examuſſim penſitatam vel ab ipſis medicinæ Proceribus Variolarum naturam atque *originem*, uti & non ſatis accurate eruta ratiocinia ab adhuc bene perpenſis earumdem phænomenis; & quidem ob hucuſque minus perfecte evolutam *Epidemicorum* morborum genuinam *Pathologian*.

Ineluctabili fere ducti *philautia* omnes perpetuo ruimur in nova condenda *ſyſtemata*; in peregrinas excogitandas *hypotheſes*; in aliorum improbos, aliqua certe utilitate minime carentes, evertendos labores.

Mirum! Dum abſtruſiſſima, & a ſenſibus longe remota complecti contendimus; obvia, expedita, plana, &, quod ſummum intereſt noſtra, ad hominum ſalutem atque incolumitatem quammaxime pertinentia, quæ ſimplex rerum parens Natura quotidie nobis obſervanda meditandaque offert, tanquam ſpernenda præterimus. Cœlum ſpeculamur, & pedem ad lapidem veluti cœcutientes illidimus. Omnes hodienum *hippocratici* avemus conclamari, *Hippocratis* doctrina (exceptis nonnullis medicinæ præſulibus) leviter, ac ut plurimum primoribus deguſtata labellis: fruſtra interea dolentes poſt tot præclara *Anatomes* ac *Phyſices* inventa, morborum

Digitized by Google

borum *Pathologian*, atque *Therapejan* ſpiſſis adhuc in tenebris verſari.

Sed vel in ipſo agonis limine unus aut alter ex fœcundiſſima pſeudo-ariſtarchica familia anteſignanus, criſpato ſupercilio, voceque horrifica, ſequentia in faciem mihi forſan obtrudet: *Quis tu, ut, conſarcinatis leviſſimis ſententiis, tam audacter illuſtres tot de medica republica benemerentiſſimos Aſclepiades ſocordiæ, vel præconceptæ opinionis inſimulare non erubeſcis? Et quid tandem vana confiſus audacia in animo volvis, quod in re tam appoſite pertractata, a millenis atque millenis, eximia ut plurimum doctrina præditis, auctoribus abſoluta, & veluti extremo perpolita lapillo, tibi vindices tanquam ab aliis intentatum?*

Enimvero, ita me Deus Optimus Maximus ſoſpitet, uti vere a mea abhorret natura quemquam ſcriptorem de hominibus benemeritum debita laude fraudare. Nullum huc-uſque adii auctorem, a quo inſtructior non evaſerim: Sed, quoniam, ipſo acerrimi ceteroquin ingenii, gloriæque percupido, *Claudio Galeno* ſanciente (*a*): *Nemo noſtrum ſatis eſſe poteſt ad artem ſimul & conſtituendam & abſolvendam; ſed ſatis ſuperque videri debet ſi quæ multorum annorum ſpatio priores invenerint poſteri accipientes, atque his addentes aliquid, illam aliquando compleant, atque perficiant*; non eſt cur alicui vitio vertatur, ſi quæ falſa in artem prope divinam irrepſerunt principia, pro virili enucleare ſtudeat.

Variolarum, imo & omnium *epidemicorum* morborum doctrinam mancam, incompletam, incertam, ſatiſque obſcuram etiamnum manere, ex ingenua doctiſſimorum Medicorum confeſſione compertum habemus; idque luculenter evincunt tum inconſtans in dies excogitata eoſdem curandi methodus, cum ſæpiſſime infelix eorumdem curationis atque prognoſeos eventus. Unde nec longe a veritate aberraret, qui *epidemicorum* morborum doctrinam inculto agro ſpiſſis obnubilato tenebris, ſaltibus ac barathris prærupto, imperviis occupato ſylvis, atque portentoſis mortiferiſque obſito monſtris

(*a*) Extr. ord. claſſ. Comment. I. in Aphoriſm. Hipp. I. p. 2. G.

ſtris comparaverit ? Objurgandusne igitur colonus ille, qui falce haud inobſequioſa ſentes ac tribulos in illius ingreſſum ſatos, vel incuria enutritos amputare ſaltem enititur, ut ſecuriorem poſteris viam commonſtret, qua illum impavide luſtrare, in lucem atque planitiem ducere, diriſſimis expurgare feris, & frugiferum ſummo humani generis emolumento ipſi tandem reddere valeant; ne tribulis ſpiniſque ſub ipſo limine deterriti, vel ingredi non audeant, vel hærentes impingant?

Quod nos ſpectat: Quæ noſtras excitavit curas, hæc fuit occaſio. Menſe Aprili anni 1782., qui patriæ meæ, oppido mirum Viagrandenſi prope Catinam ſito, puerorum ex variolis confluentibus clade lacrimabilis fuit, quinquennis puer plethoricus, cohærentibus variolis prehenſus meæ curæ committebatur. Difficilis earumdem eruptio ad quintum uſque totius morbi diem graviter ægerulum divexavit. Celebrata quarto die ſanguinis miſſione, appoſitiſque eſcharoticis, morbus in laudabilem morem ſe recepit. A quinto ad decimumſextum diem puſtulæ ita ſuppurationis ac deceſſionis ſtadia peregiſſe mihi viſæ ſunt, ut, ceteris peroptime concurrentibus ſignis, ſanitatis ſpem ſollicitis parentibus iterum atque tertio facere non dubitaverim. Mane decimiſeptimi diei, ubi ad ægrotum acceſſi, ſicca ipſe corripitur tuſſi, a qua vel momento temporis exorta hæmoptyſis, perbrevi ſpiritus vias occludens purpuream pueri animam, pene inter manus meas luctantem, ad cœlum avolare coegit.

Dolenti atque inſolito ſpectaculo commotus, conſulto in memoriam revocare ſtudeo quotquot legeram infelices atque extraordinarios Variolarum caſus; at inter ſe collatis omnibus, hunc ſupra reliquos tanquam inobſervatum comperi, ob præcipitem nec forſan præcognoſcendum interitum.

Nocte dieque ad diutinum tempus puerculi jamjam expirantis effigies mihi ante oculos obverſabatur, meam mihi increpans inſcitiam. Huic moleſtiæ occurſurus, ſtatui Variolarum provinciam, veluti nunquam perluſtratam, iterum atque iterum introſpicere, inque id omnes vires intendere, ut ſaltem probabiliorem tam diri morbi efficientem cauſam indagarem.

Ad-

Adverſariis igitur per capita comparatis, quotquot præ manibus habui Variolarum tractatus, atque *epidemicarum* conſtitutionum hiſtorias, ad plures menſes meditabundus perlegi; præcipuaque ipſarum phœnomena circa *ortum*, *cauſam*, *invadendi morem*, *prognoſin*, *prophylaxin* atque *curationem* ex obſervationibus tantummodo petita ſuis in locis exſcripſi.

Sub hac elucubratione ſenſim in eam deveni ſententiam, *in Variolarum morbo aliquid magnum ſubeſſe, hactenus non evolutum neque cognitum*: Quidnam vero id eſſet, nunquam intellecturum putabam, donec ipſarum origo atque cauſa penitus perſpecta non fuerit.

Variolarum doctrina implicatissima.

Ubi ad Variolarum doctrinam ſedulo perpendendam animum appuli, mirum dictu quot præſtantiſſimorum Medicorum hæreſes ſibi invicem adverſantes, præcipue in definienda *efficiente* earum *cauſa* obrepſiſſe hærens conſpexi! Spectavi inſuper acres diſſentiones circa earumdem *originem* atque *ætatem*. In ipſarum *curatione* inveni ferali marte pugnatum pro *ſanguinis miſſione*, *emetico*, *purgantibus*, *methodo antiphlogiſtica*, vel *diaphoretica*, *veſicantibus*, *balneis*, *opiatis* admittendis vel refellendis; & quidem in medium prolatis ab utraque pugnantium parte repetitis obſervationibus. Adnotavi clariſſimorum virorum jurgia, amarulentas contentiones, conſcientiæ anxietates, & vix non Eccleſiæ anathemata pro Variolarum *inſitione* amplectenda vel proſcribenda; dum interim comperi, iſthoc ceteroqui utili invento Europam, uti olim Romani februæ Deæ (*a*), ne infenſius in eoſdem ſæviret, templa ſacrificiaque addixere, dira adacta neceſſitate non ſemel varioloſo monſtro humanas hoſtias reipublicæ chariores utilioreſque ſponte devoviſſe. Non ſine tandem ſtupore animadverti, Variolas, *quæ æquo pulſant pede pauperum tabernas, regumque turres*, ſacra Imperatorum, Regum, Principum, Magnatum, maximarumque Fami-

(*a*) Valer. Maxim. cap. V.

Digitized by Google

Familiarum capita, a *bubonica* Peſte ut plurimum intacta, fatali falce obtruncaſſe, irritis heroicis Artis Apollineæ auxiliis, contemptaque ſummorum Medicorum dexteritate.

Hiſce lugubribus eventis, ac diſſimillimis ſententiarum ideis obrutus ac pene exanimatus; neque hilum interea pro evolvenda Variolarum *origine* atque cauſa, quæ mihi præ ceteris in votis erant, inſtructior effectus, ulteriorem hujus rei diſquiſitionem in aliud diſtuli tempus: ac ubi ab opinionum implicationibus me expeditum cognovi, novum inſumpſi laborem; & veluti cribro, quæ ad Variolarum *cauſam* atque *originem* proxime ſpectarent, probe ſecrevi, accuratiorique diſpoſui ordine.

Hac ultima rerum diſcretione peracta, atque penſitata, clare perſenſi Variolarum doctrinam, a *Rhaze*, omnium primo earumdem accurato ſcriptore, ad noſtra uſque tempora veluti per manus traditam, tam variis circa earum *ortum* atque *efficientem cauſam* hypotheſibus, oppoſitis judiciis, innumeris ambagibus, pernicioſiſque diſſidiis fuiſſe impeditam, ut minime hæſerim, quin crederem eamdem *Gordii Vinculum* adamuſſim referre, ea nodorum ſerie adſtrictum (*a*), ut unde nexus inciperent, quove ſeſe conderent, *nec ratione nec viſu percipi poſſet*.

Verum enimvero, quanquam plurimæ, nec in unum locum congerendæ de Variolarum *ætate* atque *efficientibus cauſis* ſcriptorum opinationes recenſeantur; ad hæc tamen ſumma capita quodammodo redigi poſſe exiſtimo.

I. *Variolæ veteribus Medicis tam Græcis quam Latinis fuerunt notæ.*

II. *Variolas Hippocrates nec Galenus neque Latini antiqui Medici perſpectas habuerunt.*

III. *Variolæ hominibus ſunt connatæ.*

IV. *Variolæ ab occulto aeris maligno ſtatu ortum ducunt.*

V. *Variolæ febrium ſynocharum ſunt veluti criſes.*

VI. *Variolæ ab aliqua cauſa ſemel a parentibus contractæ here-*

(*a*) Quint. Curt. lib. III. p. 27.

hereditaria propagatione in filios tranſmittuntur.

VII. *Variolæ a depravatis atmoſphæræ conſtitutionibus promanant.*

VIII. *Variolæ a manifeſtis atque ſenſibilibus ſex rerum non naturalium vitiis, ſive a concurſu variarum cauſarum, abſque ullo in humanis corporibus neque in ipſis cauſis præexiſtente contagio naſci poſſe videntur; & ſemel ſic ortæ dein per contagium quamlatiſſime diffundi poſſunt ac multiplicari.*

IX. *Variolarum cauſa aer eſt, non quatenus purus, ſed miaſmatibus in centro terræ ſucceſſu temporis ſenſim genitis, & tempore, quo illæ in homines inceſſerunt, eruptis, inquinatus.*

X. *Variolæ ab inviſibilibus animalculis per aerem volitantibus, ſeſeque generatione multiplicantibus, proficiſcuntur.*

Ut vero harum hypotheſium falſitatem implicationemque pro ſe quiſque penitius inſpicere valeat, varioloſi morbi præcipuos characteres atque proprietates ſtrictim hic prætexere operæ pretium eſſe putamus.

Genuinarum Variolarum Deſcriptio.

§. 1. Genuinæ Variolæ, variæ indolis ac ſpeciei puſtulæ ſunt, quæ a parviſſimis rubris maculis ſive tumoribus ſenſim ſenſimque augeſcentibus per corporis ſuperficiem in papulas elevantur, eminentque. *Magnitudine* nunc lentem, nunc minimum piſum ut plurimum æquant. *Numero* modo paucæ & majores, modo plurimæ & minores. *Figura* vel rotundæ, quæ dein acuminantur, & in acuminis faſtigio perforantur; vel depreſſæ, inque ipſarum centro inæqualiter ruptæ foſſula ſæpe nigra excavantur; nunc ſiliquas, nunc æmulantur verrucas; modo veluti in unum confluentes eryſipelatoſum fere efficiunt tumorem faciem totam contegentem; nunc inter ſeſe invicem implicitæ in veſiculas ad nucis juglandis magnitudinem attolluntur. *Subſtantia* vel laudabili pure, vel ſeroſo aut aquoſo ichore, vel ſpiſſa nec facile ſolubili materia, & quandoque ſolo flatu replentur. *Colore* modo albæ ſunt, modo rubræ,

Digitized by Google

bræ, quandoque ſubflavæ vel purpuraſcentes, aliquando lividæ vel ſubnigræ. Pro diverſa enarratarum proprietatum conditione in *diſcretas*, quæ ut plurimum *benignæ*; in *confluentes*, quæ ſemper malignæ; inque *adhærentes*, quæ dubii, & ſæpe lethalis eventus, diſpeſci ſueverunt. Cujuſcunque ætatis, ſexus, atque temperiei homines, quos prius non occupaverint, vel qui nimis rara ſuccorum antipathia præditi non fuerint, ſemel tantum invadunt; nec brutis ipſis parcunt. *Contagione* ab homine, quem tenent, in alios vel per *immediatum contactum*, vel per *fomitem*, vel per aerem ad *aliquod diſtans*, atque per *hodiernam inſitionem* tranſiliunt: quo *epidemico* charactere munitæ ab una in aliam regionem per homines, merceſque, ipſarum miaſmatibus coinquinatas, commercio propagantur; unde longe lateque graſſantes multa clade regna atque imperia depopulantur. Non paucos morbos, & quidem contagio munitos vel ſecum vehunt, vel poſt ſe relinquunt, febres nimirum tam continuas quam intermittentes malignas, tuſſes, phthiſes, aquam inter cutem, alioſque mali moris affectus. Quovis anni tempore, ſed maxime verno æſtivoque ſæviunt. Binis retro ſæculis vel in ingentes urbes poſt aliquot recurrebant temporum intervalla; noſtris vero temporibus in emporiis & magnis civitatibus fere perpetuam tenent ſedem, & frequentius ipſa oppida aggrediuntur. Corpus vel ſaniſſimum adortæ per integram fere hebdomadam nullo ſe produnt ſigno, ut patet ex inſitione ipſarum. Ubi ſua miaſmata ad actionem venerint, *laſſitudo, virium languor, ſomnus turbulentus ac pavore pleniſſimus, ciborum faſtidium, nauſea, vomendi conatus, ſternutationes, frequentes oſcitationes, pandiculationes, caloris frigoriſque viciſſitudines*, pro diverſa corporum textura diverſimode & veluti repente hominem impetunt. His accedunt *artuum tremores*, *convulſiones* maxime in pueris *epilepticæ*; *caput & dorſum vehementi dolore* diſtrahuntur concutiunturque; *facies* quaſi inflammata *rubeſcit*; *oculi tument*, *illacrimantur*, & *lumen fugiunt*; *lingua* ut plurimum *arida* eſt; *vox rauca*; *difficilis reſpiratio*; *punctionis ſenſus* & *pruritus*, uti & *ingens calor* per totum corpus; *magna anxietas* & *perturba-*

 tio,

tio, *tuſſis*, *ſitis*; cumque his *febris ardens*, & totius fere *corporis rubor* præſto ſunt. Hæc ad tertium diem vel immutata manent vel ingraveſcunt. Tunc vero *exiguæ rubræ maculæ*, pulicum morſibus perſimiles, ſed tamen *rigidæ* in facie & collo primum conſpiciuntur, quæ dein pene per totam corporis ſuperficiem, & quo aeri liber adeſt acceſſus, ſi morbus non mitior ſit, vel diſperguntur, vel confertim erumpunt: ſic os, linguam, palatum, fauces, nares, aureſque invadunt. Quinto die mole augeſcentes variam puſtularum ſuperius deſcriptarum formam induunt, & pro varia ipſarum indole nunc ad ſanitatem, nunc ad interitum diverſis ſymptomatibus hominem afficiunt.

Cunctarum Hypotheſium circa Variolarum Pathologiam incohærentia, interque ſeſe aperta contradictio.

Refellitur hypotheſis prima: *Variolæ veteribus Medicis tam Græcis quam Latinis fuerunt notæ.*

§. 2. *Rhazes*, qui initio decimi ſæculi noſtræ æræ adhuc vigebat, quique rei medicæ peritiſſimus quicquid ſparſim atque imperfecte a pauciſſimis Arabicis Ægyptiiſque Medicis de Variolis traditum fuerat omnium primus ſummo cum labore, aptaque methodo ad quamdam redegit ſcientiæ pertractationem, fuiſque obſervationibus adauxit, *Tractatu de Variolis & Morbillis* (a), quoſdam ſui temporis Medicos acriter redarguit, quod Variolas Galeno perſpectas non extitiſſe aſſeruerint, adducitque quatuor Galeni textus, in quibus *Variolarum* nomen aperte ſcriptum inveniri refert: ipſe interea ingenue fatetur Galenum neque hujus morbi cauſam exploraſſe, neque ullum adverſus eumdem propoſuiſſe remedium, etſi *in ceterorum morborum cauſſis inveſtigandis*, & *illorum remediis inveniendis accurate diligens fuerit*, unde id mirari non deſinit. Subdit inſuper ſe ſciſcitatum Syriacæ & Græ-

(a) Apud *Mead* Oper. Medic. cap. I. p. 57. ſeq.

& Græcæ linguæ peritos Medicos circa Variolarum antiquitatem, haud inſtructiorem evaſiſſe. Doluit tandem non omnes Galeni libros ex Græco in Arabicum ſermonem fuiſſe translatos, nec a Medicorum ullo de Variolarum *cauſa* atque *curatione* aliquid certi ac diſtincti definitum eſſe, nulla facta hac ſuper re *Hippocratis* mentione.

§. 3. Frugi hominem fuiſſe *Rhazen* planeque veracem ſua ipſius in ſcribendo ingenuitas perſpicue declarat. Minime igitur dubitandum eumdem apud Arabicam quorumdam librorum Galeni verſionem, in quatuor diverſis Tractatibus, *Variolarum* verbum ſcriptum reperiſſe; præſertim quod in latina Galeni operum interpretatione, *Venetiis* apud *Junctas* anno 1556. edita, adhuc ſequens legatur textus (*a*): *Sanguis autem ſi temperati caloris eſt, phlegmonem generat, ſi calidior & ſubtilior, eryſipelas generat; ſi calidiſſimus, ſacrum ignem facit, & Variolas*. Quum vero ex latinis Medicis Græcæ linguæ peritiſſimis nemo extiterit, qui, utut Variolarum vetuſtiſſimam propugnaverit ætatem, unquam tamen aſſeruerit in *Hippocratis* vel *Galeni* græcis monumentis *Variolarum* verbum ſcriptum reperiri; ſed tantummodo nomina *exanthemata* pro Variolis, uti & *ecthymata* pro Morbillis; apud omnes in comperto futurum eſſe arbitramur, *Rhazen* græci idiomatis inſcium in exſcribendis allatis *Galeni* locis arabica hujus librorum verſione uſum fuiſſe, arabicumque *Galeni interpretem*, vulgatis jam per *Ægyptum Arabiamque* tunc temporis ſic vocatis Variolis, verbum græcum *exanthemata* Variolas, *ecthymata* vero Morbillos vertiſſe; ſicuti & in latina jam exſcripti *Galeni* textus verſione idem præſtitit ejus interpres *Demetrius Conſtantinopolitanus* Florentiæ (*b*) commorans ad ſæculi decimiſexti initium, quo tempore apud *Italiam* Variolarum graſſatio longe lateque increbuerat. His poſitis, quam maxime implicata videtur aſſerta per *Rhazem* Variolarum antiquitas, a ſui temporis Medicis impugnata; ſyriacæ & græcæ linguæ peritis ignota, nulli-

(*a*) Cl. VII. Tract. de Ocul. Partic. VI. Cap. I. p. 189. G.
(*b*) Eloy Dizionar. Stor. della Medic. lit. D. Traduz.

Digitized by Google

nullique vetuſtæ hiſtoriæ hujus morbi vel aliquas proprietates (§. 1.) referenti innixa.

§. 4. Celebres Medici *Fracaſtorius*, *Valleſius*, *Ballonius*, *Alphanus*, *Colle*, *Sennertus*, *Riverius*, *Williſius*, *Drelincurtius*, & quotquot *Hippocrati*, *Galeno*, veteribuſque latinis Medicis Variolarum morbum innotuiſſe defendunt, evincere conantur, hos vetuſtiſſimos rei medicæ ſcriptores ſub *exanthematon*, *ecthymaton*, *herpetum*, *puſtularum*, *papularum* atque *pituitæ eruptionis* vocibus *Variolas* atque *Morbillos* deſcripſiſſe. Omnes tamen ultro dant *exanthematon* generico nomine cutis *maculas*, varii generis *puſtulas* ac *papulas*, *petechias*, diverſos *tumores*, *eryſipelas*, aliaſque corporis *efflorescentias*; *ecthymaton* vero non paucas ipſius cutis *eruptiones* exprimi ac deſignari: quinimo ex Ballonio (*a*) habemus inter *exanthemata* & *ecthymata* exiguum aut nullum intercedere diſcrimen, idque ſolum quod priora *efflorescant*, ultima vero ex *Gorræo erumpant*, ſive impetu *foras prodeant*. Eſto vero *exanthemata* vel unas *puſtulas*, quæ figura & magnitudine variolas exæquant, denotare. Quid? *Puſtulæ* Variolis perſimillimæ in febribus tam *epidemicis* quam *endemicis*, in igne ſacro *zona* dicto, in herpetibus ſic proprie vocatis, in lue venerea, lepra, ſcorbuto &c. præſto ſunt; attamen varioloſum morbum, characteribus § 1. enumeratis munitum, non conſtituunt. Variolarum antiquitatis aſſertoribus ſummum incumbebat onus demonſtrandi veterum Medicorum *exanthemata* cum varioloſi morbi proprietatibus ſymptomatibuſque (§.1.) ſaltem præcipuis fuiſſe conjuncta, quo inſtitutum eruerent argumentum, quod ab ipſorum nemine peractum. An clariſſimi ab illuſtri *Van-Swietenio* (*b*) commendati *Hahnius* & *Trillerus*, noſtris diebus Variolarum antiquitatem tuentes, huic ſatisfecerint argumento, nos quidem latet, utpote quod ipſorum hac ſuper re pertractationes *Siciliam* hucuſque fortaſſe haud penetraverint. Ceterum ſummopere miramur, inter tot tantoſque de re medica benemeritos Viros,

(*a*) Lib. II. Conſil. medic. hiſtor. V. Comment. p. 103.
(*b*) Tom. IX. in Boerhaav. §. 1379. p. 1. & 2.

Digitized by Google

ros, neque unum auſpicato hactenus excogitaſſe atque inſtituiſſe, ſummo quidem ſtudio perpendendum, *problema*, cujus ſolutio permagnam *Europæ* utilitatem afferre quiviſſet: *Num*, nimirum, *Variolæ* (quocunque tandem tempore primitus in *Græciam*, inque reliquam *Europam* irrepſerint) *morbus fuerint Europæis Nationibus indigena*, *an potius alienigena*? Si hæc non abſolvatur diſquiſitio, nihil intererit an *Hippocrates* varioloſum morbum deſcripſerit, necne. Porro *Hippocrates* & veteres omnes Medici, imo & ipſe *Moyſes* cunctorum mortalium antiquiſſimus & divinus ſcriptor *vulgarem* peſtim exploratam habuere. At hæc veluti homini coæva antiquitas nunquam effecit, ut Europæ Nationes, ubi id truculentum malum ſibi omnino exoticum, haud vero vernaculum & patrium probe agnoſcerent, e ſuis finibus quatuor ab hinc retro ſæculis expellere ſumma vi, ſummoque ſtudio non enixæ fuerint, etiamſi Hippocrati notum fuerit.

Concluſio prima.

Igitur juxta Variolarum antiquitatem aſſerentium (§. 2. 3. 4.) judicia, incertum videtur, num Variolæ Græcis atque Latinis vetuſtis Medicis notæ fuerint.

Refellitur Hypotheſis ſecunda: *Variolas Hippocrates nec Galenus, neque Latini antiqui Medici perſpectas habuerunt.*

§. 5. Quiſquis, in inveſtiganda veritate, res non verba metitur, ultro concedet præclariſſimos medicinæ coryphœos *Mercurialem*, *Sydenhamum*, *Liſterum*, *Freindium*, *Meadium*, *Huxhamium*, *Tyſſotium*, *Swietenium*, *de Sauvageſium*, aliosque ex recentioribus tutiori pro ſtabilienda Variolarum ætate inceſſiſſe via, dum uni hiſtoriæ veritatis magiſtræ adhærentes, atque hujus morbi primam notitiam non ex vetuſtis tam *Græciæ* quam *Latii* Medicis, ſed ex *Arabum* ſcriptis aſſecuti, concludendum eſſe arbitrati ſunt, Variolas ſub *Mahumedano*-

rum

rum imperio, æræ noſtræ nimirum ſæculo ſexto, quo Arabes Medicinæ adhuc ſunt potiti, *Arabiæ* primum innotuiſſe, indeque in Europæas Nationes a Saracenis contagioſo commercio fuiſſe invectas. Quum vero hi celebres Viri nec certum Variolarum domicilium, neque hunc morbum Europæ alienigenum demonſtraverint, ſyſtematibus architectandis apprime indulgentes; varioloſum morbum veluti humanæ naturæ tributum, nemini declinandum, omnibuſque ineluctabili fato perferendum firmiter adſtruxerunt, tanquam malum e naturæ viſceribus noviter eductum. Quo factum eſt, ut quicquid veritatis huic hypotheſi inerat, ſummis implicationibus peſſumdederint, & quidem præpedita poſteris via eam recte expediteque aſſequendi.

Refellitur Hypotheſis tertia: *Variolæ hominibus ſunt connatæ*.

§. 6. Laudatus *Rhazes* ea compulſus obſervatione, quod hominum nemo, niſi forte unus aut alter, a Variolis per totam vitam immunis permaneret, efficientem hujus morbi cauſam (*a*) iiſdem *inſitam* opinatus eſt; *mutationem*, ſcilicet, *ſanguinis infantilis muſto ſimillimi per fermentationem in ſanguinem juvenum vino jam defæcato coæquandum*, & quidem ſecretis per corporis ſuperficiem impuritatibus. Huic *Rhazianæ* opinioni cuncti Arabes adſtipulati ſunt; quibus ſe ſe ſubſcripſere *Fracaſtorius*, *Riverius*, multique ex latinis Medici, immunditiem atque infectionem a primo hominis ortu in ſanguine relictam, ex menſtruo, quo fœtus, ut ipſi aſſerebant, in utero matris nutritur, pro Variolarum cauſa adſtruentes. Neque ab hac ſententia longe abierunt *Williſius* ex partibus ſpermaticis; *Sylvius* ex glandulis renalibus; *Ettmullerus* ex acido-ſalino lacte; *Dolæus* ex acido ſalino volatili corporibus *implantato*; *Hoffmannus* ex obſtructis medullæ ſpinalis tubulis; *Hahnius* ex humani corporis evolutione atque efflorescentia; recentiorum aliqui ex impuri

(*a*) Tract. de Variol. & Morbill. apud *Mead* Oper. Medic. cap. I. p. 53.

Digitized by Google

puri ſanguinis quiſquiliis in umbilicali fœtus funiculo reſtitantibus, earumdem cauſam repetentes; quum in id hi omnes convenire videantur, Variolas hominibus eſſe *connatas*.

§. 7. Potiorem imo unicam rationem, qua hi præclariſſimi viri hanc hypotheſim exceperunt, eandem afferunt, quam attulit *Rhazes*, quia, ſcilicet, ex hominum millibus vix unus reperiri liceat, qui per totam vitam a Variolis immunis evaſerit. Quid? ſi hæc hominum ad Variolas excipiendas proclivitas *connatam* iisdem evicerit earum cauſam, etiam reliquorum contagioſorum morborum cauſa & ipſis *connata* eſſe deberet. Ex mortalium ſiquidem millibus vix unus per totum vitæ curriculum a peſte *bubonica*, a *morbo ungarico*, a *petechiis contagioſis*, a *lue venerea*, *ſcorbuto*, *ſcabie*, ceteriſque contagioſis morbis incolumem ſe præſtabit, ſi juxta peculiares contagium horum morborum ſuſcipiendi modos mille homines cum quovis ex his coinquinato diverſentur; niſi hic unus apprime rara inſuetaque ſuccorum antipathia præditus ſit. Quid? an ante & poſt totius orbis terrarum eluvionem Variolæ perpetuo homines divexarunt? an *Moyſes*, qui pro extirpando ab Hebræorum finibus lepræ contagio tot protulit vel in ipſos populorum Principes ſaluberrimas (*a*) leges, Variolas, quæ contagione ſuam vaſtaſſent nationem, nec deſcribere gravatus eſſet? An totius *Americæ*, Promontorii *Bonæ ſpei*, *Auſtro-orientalium inſularum*, *Tauricæque* gentes ad ſeculum decimum ſextum, imo & ad noſtra uſque tempora Variolis non impetitæ, ex longe diverſa, qua nos, natæ ſunt hominum progenie, & tum maxime quum ad ipſos appulit hujus morbi contages, vetuſto ac naturali illo immunitatis privilegio infeliciter ſunt orbatæ? Quid? quæcunque viventium corporibus inſita cauſa neceſſariis, certis atque definitis *mechanicis* motibus ſuos edit effectus, uti dentium eruptio, permutatio, barbæ pullulatio, aliæque naturales corporis evolutiones clare teſtantur: an igitur natura unas Variolas peculiari prærogativa donavit, ut ejuſdem in ceteris abſolvendis immutabilem ordinem atque inſtitutum ſuſque deque perverterent? An

C huic

(*a*) Levit. cap. XIII. e XIV.

huic tantummodo *connato* morbo infantes, pueros, adoleſcentes, juvenes, viros, ſenes, ætate confectos, nullo ordine nulloque certo tempore, adoriendi facultatem largita eſt? Quid demum? Nonne omnium abſurdiſſimum eſt, ſapientiſſimique rerum Conditoris bonitati abſonum, eumdem, cujus ſummæ liberalitati non exiſtentiam modo, ſed, quæ eamdem comitantur, commoda atque oblectamenta, animantum genus omne ſummopere debet, tanquam funerum atque vaſtationis cupidum, in hominum corporibus excidii germina data opera ita occultaſſe, ut in primoribus vitalis auræ anhelitibus eadem tenella abriperent, lybitinæ ſacrarent, vel ſaltem deturparent atque infringerent?

Concluſio ſecunda:

Abſurdum eſt igitur Variolarum cauſam hominibus *connatam* opinari.

Refellitur hypotheſis quarta: *Variolæ ab occulto aeris maligno ſtatu ortum ducunt*.

§. 8. Connatam Variolarum cauſam (§. 6.) ipſe *Rhazes* cunctis hujus morbi phænomenis explicandis ineptam animadvertens, diverſam pro hominibus ætate provectis excogitavit, *occultos* (*a*), nimirum, *ſtatus aeris peſtiferi*, *putridi*, *maligni*, *&* *contagioſi*. Scripſerat equidem magnus Medicinæ parens *Hippocrates* (*b*), quod *non aliunde unquam veriſimile ſit morbos evenire quam ab aere, ſi is aut plus, aut minus, aut cumulatior, aut morbidis ſordibus inquinatior in corpus ſe ingerat*. Hippocratis ſententiam quiſquis penitus inſpexerit, Rhazianum commentum nequicquam in ea requiret. Aliud etenim eſt aerem *morbidis ſordibus inquinari*, longe aliud eſſe *peſtiferum*, *putridum*, *malignum*, *contagioſum*. Subtilis admodum aliquibus

(*a*) Tract. de Variol. apud *Mead* Oper. Medic. cap. I. p. 54.
(*b*) Lib. de Flatib. num. 6.

bus hæc diſtinctio videri poterit. At eoſdem obſecramus, ne prius contra nos ſententiam dicant, quam errores quantopere exitiales ab iſthac intricata indigeſtaque verborum formula, vel ab hodiernis Artis Medicæ Proceribus uſurpata, exortos, cognitos habeant. Perpendamus itaque, an Rhazianus aeris ſtatus *peſtiferus* & *contagioſus* experientiæ reſpondeat, necne. Æthiops quidam *Pamphili de Narvaez* mancipium (*a*) variolatus *Americam* appulit, ac variolas illuc omnino novas *Zempoolanis* tunc primum communicavit, indeque per vaſtiſſimum illud orbis terrarum continens diſſeminatæ fuerunt. Hollandenſis navis (*b*), in qua nonnulli ſub itinere variolis ægrotaverant, Promontorium *Bonæ ſpei* intrat, & incolis *Hottentotis* ad ea uſque tempora inviſum hunc morbum conceſſit. Gregarius miles variolis obrutus (*c*) *menſe Januario Eboracum*, a pluribus annis hoc morbo immunem, pervenit: Morbo interemtus ſua contagione totam infecit urbem. *Vindobonæ*, quo tempore nullæ in urbe viſæ fuerant variolæ, infantulus (*d*) illis extinguitur, ejuſque cadaverculum in amplo conclavi expoſitum varioloſum contagium in adſtantes omnes, eum morbum nondum paſſos, transfudit. Si varioloſarum graſſationum ubicumque locorum exordia diligenter Medici perquiſiviſſent, procul dubio ſancitum nunc eſſet, variolas perpetuo quavis in civitate oppidoque ab uno alterove initium ſumpſiſſe, & contagionis fomite a loco infecto in ſanum aſportato, pedetentim eouſque ſerpſiſſe, donec quamplurimas mortes aggererent. Quæſo: Pamphili mancipium, navis Hollandica, miles gregarius, Vindobonenſis infantulus, Varioloſum ſeminium in eas regiones, civitateſque effundentes, advexeruntne ſecum ſtatum aeris *peſtiferi*, *putridi*, *maligni* atque *contagioſi*; an, ſaniſſima illic exiſtente atmoſphæra, ſatis iiſdem fuit contagioſa morbi miaſmata, *morbidas* Hippocratis *ſordes*,

(*a*) *Aſtruc* de Morb. vener. tom. II. lib. VII. p. 376.
(*b*) *Mead* Oper. Med. lib. de Variol. cap. I. p. 34.
(*c*) *Liſterus* apud Manget tom. IV. B. M. P. p. 683.
(*d*) *Swieten* tom. IX. in Boerhaav. §. 1382. p. 16.

des, vel proprio *contactu*, vel *fomitibus*, vel per aerem purum ad *aliquod* perbreve *diſtans*, in ſana corpora tranſmiſiſſe, quibus Variolæ longe lateque progreſſiva contagionis propagatione diſſeminantur? Sub hujus ſcriptionis tempore (& quonam hactenus nullo?) quot *Europæ*, *Americæ*, *Aſiæ Africæque* perſaluberrimo loco poſitas urbes, puriſſimoque aere gaudentia oppida, Variolæ depopulantur! Nuperæ obſervationes demonſtrant in magnis urbibus emporiiſque, crebro ac quotidiano advenarum concurſu frequentibus, quovis anno Variolas aut *epidemice* graſſari, aut *ſporadicorum* morborum more hac illac vagari. Id ipſum ab Ill. *Joanne Huxamio*, viginti annorum obſervationibus, *Plymuto* inſtitutis, edocto, monemur. Num hiſce urbibus aer *peſtiferus*, *putridus*, *malignus*, & *contagioſus* continuo incubuit? Nobis perſuadere nequimus. Incumbat vero: at quidnam eſſe cauſſæ dicemus, cur ab una ſemper ſtatione in alias lentiſſimo quidem pede variolæ progrediantur; imo per integram Nationem eodem tempore varia atque diſſita occupantes loca, cetera interpoſita vel viciniſſima deſerant illæſa? Num aer unicam tantummodo civium commorationem, diviſoſque locos inficiet, ſaniſſima, qua populorum cœtus reliqui fruuntur, interjecta atmoſphera? Sane quidem a temporum, ab aeris nimirum, repentina vel magna mutatione promanantes morbi, integras familias, civitates, provincias, nationes, imo totam *Europam* breviſſimo temporis ſpatio non ſemel oppreſſere; quorum §. 27. erit mentio. Hæc etiam momenta ruentem *Fernelii* opinationem, Variolarum efficientem cauſam (*a*) e ſublimi cœloque ſuperiore delapſam, totique aeri occulte hærentem adſtruentis, infringunt. Quum etenim Variolæ a ſæculo ut minimum decimo per *Europæ* civitates, regioneſque continua circuitione ſeſe volutantes, ne punctum temporis hucuſque ſævire atque proſeminari deſierint, ex hac ſententia conſequens eſſet, Supremum naturæ Auctorem cœleſtia corpora ad hoc condidiſſe, ut lethifero eorum afflatu in humani generis excidium perpetuo pervigilarent; ad-

(*a*) De abdit. rerum cauſ. lib. II. cap. XII. p. 622.

adverſantibus præſertim quæ ſub finem §. 7. innuimus.

§. 9. Britannicus ille Hippocrates, febrium *epidemicarum* eximius illuſtrator, *Thomas Sydenhamus* (*a*), Variolas a *vulgari* Peſte gradu tantum diſcriminari animadvertens, ſimul & utraſque certa (uti opinatur) quadam tempeſtate epidemice graſſari, alias autem *ſporadicorum* more, communiorem cauſam, *occultam*, nempe, *aeris craſin*, ſive *texturam*, a Rhaziano *ſtatu aeris peſtiferi* minime diſcrepantem; rurſus *procatarcticam*, *miaſmata*, ſive ſeminia ab infecto corpore in aliud per *contactum*, vel *fomitem*, aut *ad diſtans* tranſmiſſa; *proegumenam* vero corporis recipiendo contagio diſpoſitionem, perbelle ſtatuit.

§. 10. Haud incaſſum *Hippocratem* (*b*) ſcripſiſſe autumamus: *De non apparentibus & difficillimis ægritudinibus plane opinio magis, quam ars ipſa judicat. In his ergo plurimum refert expertusne ſit quis, an omni experientia carens. Unum autem eſt horum omnium judicium, hoc ſcilicet, quæ tandem cauſa ſit morborum, & quod principium & quaſi fons ſit, ex quo corporis mala omnia ſcaturiant. Si quis enim cauſas corporis affecti probe cognovit, potens eſt valde ea adferre, quæ corpori commodent, nimirum contraria corporibus morborum natura perſpecta. Eſt enim maxime ſecundum naturam ipſa Medicina*. Juxta ingenui Sydenhami doctrinam (§.9.) ad *vulgarem* Peſtim ſimul atque Variolas gignendas tria cauſarum genera concurrant neceſſe eſt; *efficiens* nimirum, quam ipſe *occultam aeris craſin*, a qua *morbificus* illorum *apparatus* promanat, decrevit; *procatarctica*, ſive miaſma contagioſum ab infecto corpore in aliud inſiliens; & *proegumena*, corpus ſcilicet ad hos morbos ſuſcipiendos aptum. Videamus an hic celeberrimus Medicinæ Æſculapius rem acu tetigerit.

§. 11. Efficientis morborum cauſæ definitionem *Galenus* (*c*) ſequentibus exſcripſit verbis: *Id, quo nos tangente hic*

(*a*) Tom. I. Sect. II. cap. II. p. 30. ſeq.
(*b*) Lib. de Flatib. n. 2.
(*c*) Cl. IV. Lib. I. de loc. affect. p. 4. B.

hic aliquis affectus ſit, & quo ſeparato ſtatim ceſſat, cauſam eſſe apud omnes homines in confeſſo eſt: ſic enim & ignem uſtulationis, & gladium ſectionis cauſam eſſe credimus, atque de ſingulis aliis ſimiliter dicendum eſt. Præſens igitur aliquis morbus *efficientem* ſui cauſam vel præſentem, vel ſaltem paulo ante prægreſſam luculenter evincit; repugnat enim ſibimetipſi, quidpiam alicujus rei efficientem cauſam conſtituere, ubi, eodem nec præſente, neque prægreſſo, res hæc exiſtat. Ipſe *Sydenhamus* de *bubonica* Peſte *Londinenſi* anni 1665. & 1666. ſequentia (*a*) exaravit: *Nec vero nullius eſt momenti illum ipſum annum tot millium ſtrage funeſtum alioquin mitiſſimum & ſaluberrimum extitiſſe, omneſque, qui a peſte immunes perſtiterunt, nunquam meliori valetudine uſos fuiſſe; quin & eos, qui ab eadem convaluiſſent, cachexiæ aliiſque affectibus a reſidua priorum morborum labe provenire ſolitis non magis obnoxios deinceps vixiſſe. Quibus accedit quod & quantæcumque latitudinis apoſtemata & carbunculi, poſtquam inflammatæ particulæ una cum ſanie deceſſiſſent, chirurgicis auxiliis, iiſque non admodum conquiſitis, facile ſanata fuerint.* Sub mitiſſima igitur ſaluberrimaque aeris *craſi* atque *textura*, a reliquis morbis immuni, peſtis *bubonica Londinum* inceſſit; unde abſonum videtur ipſius *efficientem* cauſam a vitiata aeris *craſi* repetere. Objectet quis, *Sydenhamum* haud ſenſibilibus atmoſphæræ vitiis, ſed *occultæ* aeris *craſi* morbos hoſce tribuere: nos vero reponimus, quidquid hoc ſit a ſenſibilibus aeris qualitatibus longe diſcretum, atque a *miaſmatibus* contagioſis *procatarcticam* ſolum cauſam *Sydenhamo* conſtituentibus pariter diverſum, ſpecioſa potius excogitatio nobis videri, quam quidpiam in rerum natura exiſtens. Quod ſi unquam dari poſſe contendatur, totius orbis terrarum univerſo aeri perpetuo inhæreat oportet, ut obſervationes §. 8. adnotatas explicare queamus. At, nemo non videt, Sydenhami *hypotheſin*, circa *vulgaris* peſtis atque variolarum *efficientem* cauſam, horum morborum theoriam implicatam magis, quam expeditiorem reddidiſſe. §. 12.

(*a*) Tom. I. Sect. II. Cap. II. p. 33.

§. 12. Procatarcticarum cauſarum notionem & ipſe Galenus variis in locis hiſce verbis nobis exhibuit (*a*) : *Unum hoc eſt præcipuum Febrium Ephemerarum indicium , ab aliqua incipere cauſa recenti ac* manifeſta , *quæ ante præceſſit , quam omnes Medici juniores uſitato vocabulo* procatarcticam *ſive præincipientem appellant* . Et alibi (*b*) . *Perquam neceſſarium eſt præſcire* evidentes *cauſas extrinſecus advenientes , quas proprie* procatarcticas , *ideſt initiatrices Medici vocant* . Tandem (*c*) ait: *Quod manifeſtas cauſas , græce , prophaſes , hoc eſt occaſiones appellet (Hippocrates) didicimus* . Auctor vero Libri , cui titulus *Introductio* , ſeu *Medicus*, apud ejuſdem Galeni codices (*d*) ita fatur : *Evidentes (cauſæ), quæ Græcis vocantur procatarctica, ideſt, antegreſſæ, ſunt quæ, dum adverſam valetudinem crearunt, ſeparantur , ut frigus , labor, ſolis exuſtio , cruditas . Bubonicæ* peſtis, vel Variolarum *Miaſmata* ſive *ſeminia manifeſta* atque *evidentia* minime ſunt , ſed ſubdole & per tenebras gradiuntur ; neque genito morbo recedunt , ſed ita comitantur ægrotum, ut vel ipſa redeunte valetudine ad certum temporis ſpatium ab illo in alia corpora involent. Cauſam igitur *procatarcticam* non conſtituunt , quum *evidentia* non ſint. Sint vero: Egregius ipſe *Sydenhamus* ad deſcribendam *vulgaris* peſtis atque Variolarum *miaſmaton* ſive ſeminiorum propagationem, ſub vigente iſthae aeris occulta *diatheſi*, comparatione utitur (*e*), qua aptiorem invenire cuilibet deſperandum eſt, *exigua* nimirum *ignis ſcintillæ*, quæ ſenſim per combuſtibilia corpora proſerpens in magnum tandem excreſcit incendium. Sit itaque ingens nemus ſicceſcentibus fagis quercubuſque abundans , & ſicco obſitum ſtramine , inque idem fervente ſyrio , ventoque flante decidat hæc ignis ſcintilla , quæ per conceptam jam voracem flammam longe illud lateque comburat . Quæſo : cuinam ex concurrentibus hi-

(*a*) Cl. III. Lib. I. de diff. Febr. Cap. VII. p. 33. D.
(*b*) Cl. IV. de loc. affect. Lib. VI. Cap IV. p. 38. G.
(*c*) Cl. VII. Comm. IV. in Lib. de Vict. rat. &c. text. 54. p. 141. C.
(*d*) Cl. II. Cap. VIII. p. 52. B.
(*e*) Tom. I. Sect. II. Cap. II. p. 30.

hiſce cauſis immediate ac proxime hoc tribuendum incendium; & ex iiſdem quænam dicenda *efficiens* ipſius cauſa? Pol nec arborum ſtraminiſque ſiccitas, quæ *proegumenæ* cauſæ vice fungitur; nec aeris nimius æſtus, aut flammam diſpergens ventus, qui *procatarcticam* referunt; ſed procul omni dubio ignis ſcintillula, cui urere proprium eſt & peculiare, inque ſui naturam analogum quodvis corpus *contactu* vertere, itaque ſeſe in immenſum propagare: quum & ſicciſſimum nemus ſub torrida zona furenteque vento neutiquam ardeat, niſi in ipſum ſcintilla ceciderit; & contra virentiſſimum media in hyeme flatuque ſilente comburi poterit, ubi ad idem intenſior acceſſerit ignis. Hæc *efficiens* incendii cauſa, *procatarcticis*, *proegumeniſque* cauſis fota diffuſaque, latius diſſeminatur; irretita vero atque coercita, vel extinguitur, vel ultra non progreditur. Hac ſtante comparatione, cui nullum adverſatur diſcrimen, facile intellectu eſt, cur *vulgaris* peſtis Variolæque aliquando populariter graſſentur, quandoque vero ſparſim vagentur. Utinam ingenuus *Sydenhamus*, in coſtruenda horum morborum *pathologia*, *occultam* aeris *craſin* omiſiſſet, uniſque adhæſiſſet miaſmatibus, ne celeberrimi eumdem ſequuti recentiores Medici eam ulterius infauſto ſydere irretire perrexiſſent.

Epidemicum idem ſonat ac Contagioſum.

§. 13. Immortalis equidem Batavorum Æſculapius *Boerhaavius* ne hilum hac ſuper re a *Sydenhami* placitis diſcedens, inter alios ſequentem edidit aphoriſmum (*a*): *Malum hoc* (*varioloſum*) *licet epidemicum*, *contagio ſuſcipitur communicato ab homine*, *qui prius laboravit*; *quod primo videtur aeri inhærens pulmonibus*, *ori*, *naribus*, *æſophago*, *ſtomacho*, *inteſtinis dari*: *adeoque hoc tempore admodum parum materiei veneratæ habere*. Res, quo ad aſſequendum ſunt difficiliores, eo vehementius acuunt deſideria, vireſque exſuſcitant adaugentque majores. Ut abſtruſa itaque arcanaque

(*a*) Aphor. de cogn. & cur. Morb. § 1382. p. 228.

que Boerhaaviana locutio quodammodo aperta nobis evaderet, operæ pretium duximus *Epidemici* atque *Contagii* naturam perſpectam prius habere.

§. 14. *Epidemios (a) eſt epitheton morborum ex genere communium, ideſt, populariter graſſans, a communi, ſed tamen inſolita familiari cauſa ortus. Galenus (b)* aſſerit Hippocratem libro de Aquis aere & locis *regionales* ægritudines, quæ per *ſingulas habitationes* fiunt, & veluti *cognatæ nullo non tempore incolas comitantur*, docuiſſe; in libris vero de morbis vulgaribus deſcripſiſſe ægritudines, quæ *per aliquod tempus paſſim vel civitates, vel nationes adoriuntur*. Ill. *Swieten (c)* refert *Scaligerum* Hippocratis interpretes carpſiſſe, quod ipſius libros *peri ton epidimion* latine reddiderint *de morbis popularibus*, quum inſcribi debuiſſent *de vulgaribus morbis*, vel potius de *vulgivagis morbis*, utpote quod *Endemici* morbi populares ſunt, *Epidemici* autem vulgares: Nam *τό Endimon* (ſunt Scaligeri verba) *eſt, quod in populo, Epidimon vero, quod vagatur per populum, graſſatur & popularur*. Verbum *vulgari* apud latinos idem ſonat ac rem mente reconditam aliis committere; & ſæpiſſime apud accuratos ſcriptores occurrit *vulgatur fama*, ideſt, rei occultæ notitia ab uno in quamplurimos veluti contagione transfertur & ubique diſſeminatur. Galenus tandem Atticæ locutionis peritiſſimus clariorem verbi *Epidimion* ſignificationem nobis exhibuit (*e*): *In primo*, inquiens, *atque tertio libro (Epidemiorum) quaſdam aeris conſtitutiones Hippocrates exponit, poſt quas morbi in vulgus graſſati enumerantur. Hanc enim dictionem* epidemiſanta *illis attribuere Hippocrates conſpicitur; & hanc ob cauſam librorum inſcriptionem talem fecit, populares illos appellans (grece* epidemios*), quia de morbis in populum paſſim ſævientibus in ipſis agitur; non autem* peri ton epidimion, *hoc eſt, de*

D *ipſius*

(*a*) Caſtell. lexic. Medic. tom. I. p. 365.
(*b*) Cl. III. Comment. I. in lib I. Hipp de Morb. vulgar. Præfat. p. 100. G.
(*c*) Tom. IX. in Boerh. §. 1410. p. 150.
(*d*) Cl. III. Comment. I, in lib. VI. Hipp. de Morb. vulg. in Præfat. pag. 157. G.

Digitized by Google

ipſius Hippocratis peregrinationibus, *quibus multas Civitates peragravit*. Ex qua Galeni interpretatione patet verbum *epidimion* peregrinatorem denotare. Unde qui morbi ultra ſuum natale ſolum in exteras inſiliunt regiones, & ubique locorum propagantur, *epidemici*, ſive *peregrinatores* proprie vocantur: hanc autem *peregrinationem* nulla alia ratione conficere valent, quam mediis ſuis ſeminibus congenerem ſibi morbum producentibus, quibus ſucceſſiva ſtupendaque generatione ſeſe in immenſum proſeminantur; quod Variolarum inſitio luce meridiana clarius demonſtravit. Ex his itaque perſpicuum eſt contagium *epidemicis* morbis naturaliter inſitum; eoque ablato eoſdem ſui naturam amittere: unde perinde eſt dicere morbum *epidemicum*, ac morbum *contagioſum*.

Contagium ſive Epidemicum quid?

§. 15. Contagium quod ſpectat, ab Hippocrate (*a*) *morbida excretio*, ab Alexandro Aphrodiſæo *effluvium peſtilens* vocatum, omnium primus, quantum novimus, inter latinos accuratiſſimus contagioſorum morborum Scriptor, Muſis atque Apollini percarus, *Hieronymus* Fracaſtorius ita definivit (*b*): *Quod contagio ſit quædam ab uno in aliud tranſiens infectio vel ipſum nomen oſtendit: in duobus enim ſemper contagio verſatur*. Diligentiſſimus præteritæ Medicæ doctrinæ inveſtigator Sennertus, poſt multarum contagii definitionum perpenſationem, ſuam ipſe (*c*) ſequentibus aſtruxit verbis: *Mihi itaque commodiſſime definiri poſſe videtur contagium, quod ſit inquinamentum, ſeu corpus e corpore ægro emiſſum; quod in analogo animalis corpore receptum ſimilem in eo morbum producere valet. Quæ ut clariora fiant, & natura contagii recte cognoſcatur, tria explicanda ſunt: primo corpus ipſum contagioſum; ſecundo ipſum miaſma per quod*

(*a*) Apud Colle tom. I. lib. I. cap. XXIX. p. 30.
(*b*) Lib. I. de Morb. Contag. cap. I. p. 77. A.
(*c*) Tom. III. lib. VI. de Morb. occult. Part. III. cap. III. p. 490.

Digitized by Google

quod alteri morbus communicatur, *& per quod aliud inficitur*; *tertio corpus quod inficitur*. Ut quilibet igitur contagioſus morbus populariter graſſari queat, tria ſolummodo ſunt neceſſaria, *corpus* nimirum contagioſo morbo coinquinatum; hujuſmodi morbi *ſeminium* a corpore affecto in quamplurima analoga emiſſum; *corpora*, quæ recepto ſeminio ab eodem afficientur morbo. Ut omnibus vero numeris hæc inquiſitio abſolvatur, modos atque rationes, quibus contagioſi morbi diverſimode propagantur, aſſequamur oportet. *Triplex*, inquit laudatus Fracaſtorius (*a*) *videtur eſſe prima contagionum omnium differentia. Alia enim contactu ſolo afficiunt; alia præter hoc & fomitem quoque relinquunt, & per ipſum contagioſa ſunt, ut ſcabies, phthiſis, areæ, elephantiaſis, & id genus. Fomitem appello veſtes, ligna & ejuſmodi, quæ incorrupta quidem ipſa exiſtentia, conſervare nihilominus apta ſunt contagionis ſeminaria prima, & per ipſa afficere. Nonnulla porro ſunt, quæ non contactu ſolo, non ſolo fomite, ſed & quod ad diſtans etiam transferunt contagionem, ut peſtilentes febres, & phthiſis, & lippitudines quædam, & exanthemata illa, quæ Variolæ vocantur, & ſimilia. Videntur autem ordine quodam ſe habere hæc: nam quæ ad diſtans faciunt contagionem, ea & fomite & contactu afficere conſuevere: quæ vero fomite contagioſa ſunt, eadem & contactu contagioſa ſunt, ad diſtans autem non omnia: at contactu omnia. Quapropter & ſimpliciſſima eſt & natura prior ea contagio, quæ ſolo contactu afficit.* Adiiciendum interea eſt, *ſeminia* ſive *miaſmata* contagioſa, quum ſint diverſæ naturæ atque indolis, diverſum, ſuæque ſpeciei perpetuo ſimilem producere morbum, atque ſibi propriam poſſidere propagativam generationem, a ſuo primigenio ſemine repetitam: unde quovis ipſa adfuerint loco, neceſſario (§.15.) ſemper indicant *præſentiam* vel *viventis corporis* ſuo contagio affecti, vel *cadaveris* eodem extincti, vel *fomitis* ipſo contaminati, vel *domicilii*, ubi e penu naturæ per phyſicas cauſas educuntur.

(*a*) Lib. I. de Morb. contag. cap. II. p. 77. C.

Digitized by Google

tur. Quum itaque *bubonicæ* peſtis atque Variolarum *domicilia* apud Europam nulla reperiri graviſſimi ſint auctores qui tueantur, ut inferius demonſtrabimus, reliquum eſt, ut ſeminia horum morborum contagioſa, *ad diſtans* afficientia, neceſſario emitti debeant vel a *vivente* infecto corpore, vel *cadavere* ab ipſis extincto, vel *fomitibus* ab iiſdem conſpurcatis: ſi ex his tribus unum non adſit, apud Europam nuſpiam nec unquam ulla adeſſe poterunt *vulgaris* peſtis vel Variolarum contagioſa ſeminia.

§. 16. His ſummatim prælibatis, ad Boerhaavium regrediamur oportet: *Malum hoc*, dixit, *varioloſum*, *licet epidemicum*, *contagio ſuſcipitur communicato ab homine &c.* Particula *licet* disjunctos unius objecti characteres, ſive diſtinctas proprietates indicans, aliud definit *epidemicum*, longe aliud *contagioſum*. Quæ vero §. 14. perpenſa ſunt, evincere videntur *perinde eſſe* dicere *epidemicum*, *quam contagioſum*. *Quod primo*, ſubdidit, *videtur aeri inhærens . . . admodum parum materiei venenatæ habere*. Quæ §. 15. expoſuimus, abſentibus *corporibus*, *cadaveribus*, *fomitibuſque* infectis, nullum *vulgaris* peſtis atque Variolarum ſeminium, nec *primo*, neque ſub horum morborum vel ipſa graſſatione aeri inhærere poſſe demonſtrant; & Gynecæorum in centro Civitatis, *bubonicæ* peſtis funeribus cumulatæ, poſitorum cuſtodiæ feliciſſimo eventu firmatæ apertius id oſtendunt: unde *Boerhaavianum* Aphoriſmum obliterata particula *licet*, exemtoque a culpa aere, ita enuntiandum ducimus: *Malum hoc epidemicum contagio ſuſcipitur communicato vel ab homine*, *qui prius laboravit*, *vel a fomitibus ejuſdem tabo maculatis*; *& quidem ab utriſque etiam ad perbreve diſtans*.

§. 17. Nec minus implicatam ſuperiori locutionem hic Aphoriſmus præ ſe fert: *Eſt*, inquit (*a*) (Varioloſus morbus) *ut plurimum epidemicus*. Adverbium hoc *ut plurimum* nonnullos mihi peperit labores; a quibus ut me expedirem, nulla alia mihi præſto fuit via, quam univerſalia morbo-

(*a*) Aphor. de cognoſ. & curand. morb. §. 1380. p. 228.

borum omnium Genera, & peculiares quorumcunque ipſorum proprietates explorandi, aſſequendique. Miſſa itaque in poſterum hujus particulæ interpretatione, modo propoſitam diſquiſitionem, hactenus ſumma rei medicæ pernicie deſpectam, nimiumque perturbatam, evolvere ſategi.

Hactenus ſubverſa morborum omnium, & præſertim epidemicorum Pathologia *ad mentem* Hippocratis, *eoſdem in quatuor genericas claſſes diſtribuentis, reſtituta.*

§. 18. Diligenter inſpectis *Hippocratis* monumentis, quatuor ſolummodo morborum Genera hunc magnum Medicinæ Parentem admiſiſſe comperimus, *epidemicorum*, nimirum, *ſporadicorum*, *endemicorum*, & ex *temporum magna mutatione* venientium, quos brevitatis gratia *conſtitutionales* vocare poſſumus. Priora bina Genera (*a*) ſequentibus expoſuit verbis: *Sunt autem febrium genera duo, ut hoc quoque nunc attingam, quorum alterum commune peſtis appellatur; alterum propter malam diætam privatim his contingit*. Reliqua definivit alibi (*b*) ita: *Morbi*, inquiens, *regioni peculiares & patrii . . . . Et*: *Atque hi quidem morbi ipſis vernaculi ſunt; præterquam ſi morbus aliquis omnibus communis ex temporum mutatione oboriatur; nam & hujus participes ſiunt*. Præter hæc quatuor morborum Genera aliud apud Hippocratem invenire nobis minime datum fuit.

Populariter graſſari omnibus convenit Morborum Generibus.

§. 19. Quodcunque morborum Genus omnibus eſſe *commune*, & *populariter* graſſari poſſe ipſe Hippocrates aſſeruit. Et quidem de *epidemicis* (*c*): *Quando autem*, ait, *ab uno morbo multi homines corripiuntur eodem tempore, cauſam*

(*a*) Lib. de Flatib. n. 7.
(*b*) Lib. de aer. aqu. & loc. n. 1. & 4.
(*c*) Lib. de Natur. Homin. n. 18.

Digitized by Google

ſam ad id quod communiſſimum eſt , & quo maxime omnes utimur , referre oportet. De ſporadicis ibidem ſubdit: *Quum vero omnis generis morbi fiant eodem tempore , palam eſt victus ſingulos ſingulis cauſas eſſe* . Noverat certe magnus ſenex *ſporadicos* morbos ita *populariter* quandoque graſſari , ut ægrotorum multitudine ipſos *epidemicos* æquarent; unde, ne poſteri Medici in iiſdem aſſequendis in errorem inciderent, haud ſupervacaneum exiſtimavit aliud diagnoſticum, quo inter ſeſe *ſporadici* ab *epidemicis* diſcriminantur , ſignum apponere , nimirum, quod *omnis generis morbi fiunt eodem tempore* , ut ab *epidemicis* diſcerneret , pro quibus ait : *Quando ab uno morbo multi homines corripiuntur eodem tempore* . De *endemicis* tandem atque *conſtitutionalibus* [*a*] ſcripſit : *Morbi autem populares ipſis hi ſunt : ac viris quidem hi morbi* [populares nimirum] *vernaculi ſunt* : *præterquam ſi quis omnibus communis ex temporum mutatione ingruat* . Igitur ex Hippocratis doctrina *popularis graſſatio* omnibus quatuor morborum generibus ita communis eſt, ut ab eadem , minime dignoſci poterunt morbi cujuſnam ſint generis.

Unicuique morborum Generi ſuus eſt proprius atque individuus character ; ſuaque cauſa .

§. 20. Cuique appoſitorum morborum Generi ſuam *Hippocrates* peculiarem, illique propriam cauſam attribuit . De morborum cauſis quidem in genere ipſe [*b*] hæc ſancivit : *Subiiciam mox & illud , quod non aliunde unquam veriſimile ſit morbos evenire , quam inde , ſi is* [*aer*] *aut plus , aut minus , aut cumulatior , aut morbidis ſordibus inquinatior in corpus ſe ingerat* . Unde eruitur aerem omnium generum morborum generalem ex Hippocratis mente conſtituere cauſam , ſed diverſimode pro ut diverſæ ſunt aeris conditiones , & qualitates , uti iteratæ in textu diſjun-

(*a*) Lib. de aer. aqu. & loc. n. 6.
(*b*) Lib. de Flatib. n. 6.

Digitized by Google

junctiones aperte docent. Specificas vero cujuſque morborum generis cauſas haud prætermiſit; & quidem de *epidemicis* [*a*] ſic loquutus eſt: *Quum unius morbi popularis graſſatio conſiſtit, manifeſtum eſt diætam non eſſe culpabilem, ſed quem trahimus ſpiritum, ſive aerem in cauſa eſſe; palamque eſt inſuper eum ipſum ſpiritum ſive aerem morboſam aliquam exhalationem habere.* Hujus *morboſæ exhalationis* vocabulo, ſicuti *morbidarum ſordium* [hic paulo ſupra] & *morbidæ excretionis* [§. 15.] Hippocratem miaſmata ſive ſeminia contagioſa ſignificare, quæ modo excriptis illico adiicit verba, clare teſtantur: *Eo itaque*, ſubdit, *tempore homines in hunc modum commonefacere oportet, nimirum, ut diætas non permutent, quia morbi cauſa non exiſtunt . . . Providendum vero ut quampauciſſimus aeris influxus in corpus ingrediatur, & ut ille ipſe quam peregriniſſimus exiſtat: regionum etiam locos, in quibus morbus conſiſtit, quantum ejus fieri poteſt, permutare oportet.* Quo monitu prophylacticum *epidemicorum* morborum præſidium ſatis perſpectum ſibi fuiſſe declaravit, *morbidæ*, nimirum, *excretionis* fugam. Quî vero factum ſit, ut Hippocrates de *epidemicis* morbis generalem non conſcripſerit tractationem, Galenus [*b*] hanc protulit rationem: *Nullum autem*, inquiens, *peculiarem de peſte* [*Hippocrates*] *confecit librum, quoniam ex epidemiis unum eſſe illam per libros epidemiorum demonſtravit.* Hippocrates itaque *epidemicorum morborum* cauſam aeri haud quatenus ſua natura *peſtifero*, *maligno*, *putrido*, ſed quatenus *morbidis ſordibus*, morboſaque *exhalatione*, miaſmatibus nimirum contagioſis inquinato, accenſuit. Et ipſe Galenus, ut ut ſuis ſenſibilibus quatuor aeris qualitatibus, tanquam efficientibus omnium morborum cauſis, totus fuerit involutus, tamen de *Athenienſium* peſte *Thucydidis* ætate vulgata non ambigit aſſerere [*c*] quod *forte per continuum ex Æthio-*

(*a*) Lib. de Natur. homin. n. 19.
(*b*) Cl. VII. Comment. I. in lib. Hipp. de rat. vict. in morb. acut. text. 9. p. 109 A.
(*c*) Cl. III. lib. I. de differ. febr. cap. IV. p. 32. B.

thiopia quædam putredinis fluxere contagia, *his*, *quorum corpora erant ad patiendum parata*, *febrium cauſa futura* : & paulo ſupra [*a*] ſcribit : *Peſtilenti morbo laborantium converſatio periculoſa*, *ne inde contagium contrahatur*, *quemadmodum ex ſcabie & lippitudine*. In re tam evidenti piget plura congerere. Cuicunque ſyſtemati addicti aſſentiri debent uni *Fracaſtorio* experientia duce aſſerenti [*b*] : *Formale febris peſtilentis eſt eſſe febrem per ſe includentem ſeminaria contagionis lethalis ; propter quam cauſam quæ e venenis fiunt febres*, *lethales quidem ſunt*, *ſed non peſtilentes*, *quoniam contagioſæ non ſunt* : *carent enim eo*, *quod formale eſt*, *& per ſe ratio peſtilentiæ*. *Conf.* §. 14. & 15.

§. 21. Datur itaque Genus morborum *epidemicorum*, quorum proprius & peculiaris character, quo ab aliis morborum generibus longe diſtat atque diſcriminatur, id quidem eſt, ipſi ineſſe [§. 20.] miaſmata ſive ſeminia contagioſa, quibus [§. 14. & 15.] ex ſuo natali ſolo, ſive domicilio in regiones adhuc longinquas hominum commercio propagatur, & per totum terrarum orbem diſſeminari potis eſt.

§. 22. *Vitanda eſt improba ſiren deſidia*, & diſquirendum, num Hippocratica morborum omnium partitio obſervationibus ac experientiæ conveniat, quidque reliquis tribus ipſorum generibus commune ; & quid *peculiare* atque *proprium* unicuique inſit, quo cæteri carent : res quidem ardua, ſed quæ genuinam morborum *Pathologiam* in rectam viam fortaſſe ducere valeat.

§. 23. Adeamus magni ſenis Coi librum de *aere*, *aquis & locis*. Inveniemus hunc Medicinæ fundatorem, peragratis non paucis *Aſiæ* atque *Europæ* regionibus, multorum populorum morbos *vernaculos* ſive *endemicos* deſcripſiſſe, & præ cæteris incolarum circa *Phaſim*, fluvium omnium ſtagnantiſſimum, atque paludem *Mæotidim*. *Endemicos* hos morbos *populariter* graſſari, acutiſſimis febribus, phagædenis, puſtulis

(*a*) Ibid. cap. II. p. 31. B.
(*b*) De Morb. contag. lib. II. cap. III. p. 86. A.

Digitized by Google

lis nocturnis, ſuppurationibus, alvi profluviis, dyſenteriis, perpetuo colore icterico, aliiſque id genus ſymptomatibus ſtipari obſervavit; ipſorum efficientes cauſas ab *aeris*, *terræ*, atque *aquarum* vitiis promanare affirmans, & quidem cuique locorum propriis, atque peculiaribus: unde illos *morbos regioni peculiares & patrios*, ſimulque *vernaculos* aſſeruit: temporum tempeſtatumque vel magnas mutationes diverſos afferentes morbos enarrare haud omiſit; æſtus vehementes, hyemes fortes, multas pluvias, rurſumque diutinas ſiccitates, ventos plurimos, aliaque variis locis incumbentia morborum diſcrimina adnotavit: At vero in tota *endemicorum* morborum inter ſe diſſimilium, adhuc ex locis paluſtribus magniſque æſtubus procedentium, pertractatione ne verbum quidem unum interpoſuit, quo argui poſſet aliquem *endemicum* morbum, tam Aſiæ, quam Europæ incolis proprium, contagione unquam fuiſſe munitum, vel extra proprios lares propagatum. Unde conjectari licet peragratas ab Hippocrate Aſiæ, Europæque regiones miaſmata, ſive contagioſa morborum ſemina minime foviſſe, neque eructaſſe; quum magnus Senex alioqui ſolertiſſimus, ſi adfuerint, innuere non prætermiſiſſet. Galenus, ut §. 14. notavimus, morbos definivit *endemicos*, qui ſingulis habitationibus veluti *cognati incolas nullo non tempore comitantur*; & alibi (*a*) ait: *Eſt autem & aliud morbi genus* commune multis, *quod in regione ſupervenit acceditque*, endemumque *vel* endemium *appellitatur*, *quaſi* patrium *dixeris aut* vernaculum ". Non eſt cur mihi denegetur fides, quum res ipſa quotannis etiamnum loquatur. Ab anno reparatæ ſalutis 1762. ad 1773. Francavillenſibus medicinam feci. Horum urbs, jam anno 1718. diri prælii inter *Hiſpanos Germanoſque* theatrum, aquilonari Ætnæ baſi poſita, nimiis aquis irrigua, montibus, qui binis tantum anguſtiſque hiatibus, quemdam ventorum perflatum admittentibus, interſecantur, undique circumvallata, depreſſiore pinguiſſimo-

(*a*) Cl. VII. Comment. I. in lib. Hipp. de rat. vict. in morb. acut. text. 9. p. 109. A.

moque ſolo jacet. Ejus plebs rei olitoriæ, lino, cannaboque macerandis parandiſque eſt addicta. Æſtivo maxime & autumnali tempore Atmoſphæra olida, craſſa, ſæpius caliginoſa, & non ſemel parviſſimarum cinericei coloris muſcerularum examinibus obſita, ipſi incumbit, præcipue circa loca, ubi illæ merces expurgantur, ac extrahuntur. Quovis itaque anno nunc ocyus, modo tardius per æſtatem atque autumnum febris *endemica* ejuſdem aggreditur incolas, & quidem nunc intermittens, jam remittens, aliquando continua; nunc mitis, modo malignis ſtipata ſymptomatibus, pro ut anni tempeſtatiſque fert conditio, populumque iis laboribus deditum præ cæteris diſcruciat. Quicquid per id temporis in me virium diligentiæque fuit, eo ſemper ſummopere impendi, ut detegerem an *endemica* hujuſmodi febris aliquod foveret contagionis miaſma, de quo mihi cavendum eſſet. At per undecim annorum curriculum, accuratiſſima adhibita perpenſatione, compertum habui *endemicas* illas febres, etſi quovis anno diverſos iniiſſent lædendi mores, nunquam tamen vel in ipſa civitate, vel in ejus vicinia aliquod ſparſiſſe contagium. Tres enim epidemici morbi, quibus per id temporis operam medicam præſtiti, febris nimirum *petechialis contagioſa*, *Variolæ*, haſque ſequuta puerorum *Dyſenteria*, qui contagio vulgati ſunt, haud eodem loci nati, ſed aliunde illic commercio fuerunt aſportati.

§. 24. Quorſum hæc tam altis petita principiis? En ratio. Præfulgens Germanicæ Medicinæ ſydus L. B. *Van-Swieten* in Commentario Aphoriſmi a Boerhaavio ſic exarati: *Tamen vix niſi contagio humano, quod mirum, morbos excitare*, hæc (*a*) loquitur: „ *Illud* incognitum, *&* *toties* incxplicabile in aere hærens, *quod vel miſcelæ vel ſtimuli ratione noſtræ machinæ nocet*, *per contagium in humano corpore* ex hac cauſa natum *videtur ſe quamlatiſſime diffundere*. An ergo omnes morbi epidemici ſunt contagioſi, & ex contagio *ab homine ad hominem delato naſcuntur*? Vix videtur hoc de omnibus morbis

(*a*) Tom. IX. in Boerh. §. 1409. p. 143

bis epidemicis ſtatui poſſe. *Dum duplices tertianæ, quæ, protractis paroxyſmis, æmulantur febres continuas, autumnali tempore* graſſantur, *licet* numeroſi *decumbant his febribus*, non potui obſervare quod contagium ſpargerent tales ægri. *Nam dum ad alia loca transferebantur tales ægri, vel ab his febribus convaleſcentes*, non inficiebant alios homines. *In mitioribus morbis* epidemicis, tertianis vernis, *verbi gratia, nemo de contagio cogitat, & nullæ adhibentur cautelæ. Imo febres tales* epidemicæ, *peſſimis ſymptomatibus ſtipatæ, quæ non levem malignitatis ſuſpicionem dabant*, non fuerunt contagioſæ. *Dum anno hujus ſæculi quinquageſimo ſexto*, (Targion. Tozzetti de l' inſalubrità dell' aria della Valdinievole tom. 1. pag. 111. 112. 113.) ob noxia paludum effluvia, *peſſimæ febres* epidemicæ *graſſarentur, quæ* ſatis magnam hominum ſtragem edebant, *erumpentibus exanthematibus, petechiis, maculis gangrænoſis latis valde in corporis peripheria, parotidibus, aliiſque malis ſymptomatibus, pernicioſam ſuam indolem teſtabantur ſatis*, tamen non erant contagioſæ. *Nam in ſalubri aere degentes, licet in domos ſuas recepiſſent homines* epidemicis *his febribus decumbentes*, tamen non inficiebantur: *Dum in puriori aere, etiam montano, viventes* ad vallem morboſam hanc *deſcendebant, operam ſuam locaturi pro meſſe aliiſque laboribus, peſſime ægrotabant ſatis cito, & ad ſuos reverſi* non ſpargebant contagium. *Adeo autem morboſa erat aeris in* valle *indoles, ut etiam illi, qui non laborabant morbo* epidemico, *naturali calore deperdito, & facie hippocratica referrent cadavera ambulantia. Ergo* communis cauſa in aere hærens poteſt epidemicos, *& quidem mali moris, morbos producere, qui* plures *quidem* afficiunt eodem tempore, *nec tamen ex uno homine in alium tranſeunt* communicato contagio. *Hoc dum conſiderabant quidam, venerunt in hanc opinionem* morbos epidemicos, imo peſtem ipſam, vel nunquam, vel quam rariſſime per contagium propagari; ſed tantum pendere a quadam noxia aeris qualitate. *Multis & ſatis ſpecioſis argumentis hoc probare conatur* (Plague no

contagious diſeaſe *pag.* 13. *&c. & per totum*) *anonymus auctor. &c. Hactenus* Swieten.

§.25. Nemo hunc noſtrum improbabit laborem verbi *epidemici etymologian* in ſcenam reducendi, ſi recte animadverterit dormitantes quandoque Medicinæ Coryphœos ipſam in hominum perniciem penitus evertiſſe. Quid? *Epidemicine* morbi, prætermiſſa ipſorum genuina definitione a rei medicæ Proceribus (§. 14.) conſtructa, ac eorumdem (§. 20. 21.) proprietatibus, *non omnes* ſunt contagioſi? Satiſne erit duplicibus tertianis autumnalibus, mitioribus morbis vernalibus, peſſimis & mali moris *Tozzetianæ vallis morboſæ* febribus, & iis, quas innumera apud *Europam* morbida paludoſaque loca quotannis per æſtatem eructant, *magnam hominum ſtragem edere*, vel *populariter graſſari*, quo ad *epidemicorum* morborum claſſem evehantur, contempta Hippocratis obſervatione, qua (§. 19.) inſtruimur quodcunque morborum genus, ipſum etiam *ſporadicum*, vel ſæpius, vel aliquando *populariter* graſſari? Exanthematane, petechiæ, maculæ gangrænoſæ, parotides, aliaque mala ſymptomata, abſentibus contagioſis (§. 20.) miaſmatibus, *epidemicum* per ſe conſtituere valent? Id negat Hippocratis (§. 23.) doctrina. Si morbi a *Swietenio* (§. 24.) enumerati inter *epidemicos* recenſendi eſſent, epitheton *endemicum* e foro medico exulet neceſſe eſt. Tunc vero quo ſpectabunt Illuſtris hujus auctoris binæ illæ definitiones: „ *Quando* (*a*) *morbi perpetuo in quodam loco graſſantur, tunc vocantur morbi endemii, ſive inquilini?* Et: (*b*) „ *Si ex loci natura & ſitu morbi oriantur, illorum cauſa perennis manet, ſemperque adſunt, & dicuntur endemii: ſi autem quodam tempore tantum regionem pervadant, vocantur epidemici.* „ *Morboſæ vallis* febres *quodamne tempore* illum *pervadunt* locum, quo vocentur *epidemicæ? an vero quotannis ibi graſſantur, ex ejuſdem loci natura & ſitu oriuntur, illarumque cauſa perennis illic manet, ſemperque* ſic adeſt, ut dici debeant *endemicæ?* Subver-

(*a*) Tom. IX. in Boerhaav. §. 1380. p. 3.
(*b*) Ibid. §. 1410. §. 150.

Digitized by Google

verſa equidem generica morborum omnium diviſione a magno Hippocrate (§. 18.) firmiſſime poſita , confuſaque verborum etymologia , mirari haud debemus opinoſiſſimam *anonymi* propoſitionem, *morbos*, nimirum, *epidemicos* , *imo peſtem ipſam vel nunquam, vel quam rariſſime per contagium propagari*; *ſed tantum pendere a quadam noxia aeris qualitate*. Quandoque paradoxi ſtudium tantam peperit idæarum perturbationem, ut etiam ipſis obſervationibus denegata fuerit fides.

§. 26. Datur itaque (§. 23. 24.) morborum Genus *endemicum* , ex locorum natura & ſitu procedens , omnibus commune, & *populariter*, ut *epidemicum*, graſſans, multoſque perimens, & quidem intra ſuum tantummodo domicilium ; ubi quotannis dum viget ejus cauſa perennis , ferocit ; ea miteſcente miteſcit: unde ab *epidemico*, extra ſuum natale ſolum tranſvecto, & *quodam tantum tempore regionem pervadente*, differt. Summa vero *Europæ* totius *endemicorum* morborum ab *epidemicis* differentia, illa quidem eſt, nulla ipſos poſſidere contagioſa miaſmata , & ultra ſuos lares non agere ; quam differentiam ſuboluit Cel. Fernelius , ubi ſcripſit (*a*): „ *Hæc* (*putrida conſtitutio*) *ſi a* terrenis exhalationibus *profecta eſt*, *etiam* circumjecto aeri *permixta* peſtilentiæ cauſa ſtatui non poteſt , *quum* ne epidemicum *quidem morbum* , *ut ſupra dicebam*, *ſed* dumtaxat endemium *poſſit efficere*: „ utpote , nimirum , quod terrenæ *Europæ* exhalationes contagioſa morborum ſeminia nulla habeant.

§. 27. *Sumptui ne parcas*, ſapienter cuidam amico ſcribebat M. T. Cicero , *ulla in re* , *qua ad valetudinem opus ſit*. Agitur hic de totius Europæ ad excidium uſque perturbata valetudine in primigenium naturæ ſtatum reſtituenda . Tædio itaque nemo afficiatur, ſi circa univerſalia noſter ulterius producatur ſermo . Inquirendum , num adeſt Genus morborum *conſtitutionale* ab aliis generibus diverſum. „ *Mutationes temporum*, inquit Hippocrates (*b*) potiſſimum pariunt mor-

(*a*) De abd. rer. cauſ. lib. II. cap. XII. p. 615.
(*b*) Sect. III. Aphor. I.

Digitized by Google

morbos ; *& in temporibus* magnæ *mutationes aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione eodem modo :* Et alibi (*a*) ſcripſit : *Mutationes* maxime pariunt morbos *& præſertim* maximæ, *& in* temporibus magnæ *mutationes*, *& in aliis.* Apud Sennertum legimus hæc (*b*) : „ *Annotavit* Foreſtus *lib. VI. obſ.* 3. *anno* 1580. ſex ſeptimanarum ſpatio tuſſim & catarrhum *quemdam* epidemium univerſam *plane* Europam *pervaſiſſe*, *ita ut* integræ *familiæ eo malo corriperentur* ; *tantum vero abfuit*, *ut id malum lethale eſſet & peſtilens*, *ut etiam vix milleſimus eo interierit*. „ Foreſti monumentorum copia nobis deeſt, quo hujus mali toti *Europæ communis* cauſam, a Sennerto tranſmiſſam, conſiderare potuiſſemus. Verbum attamen *epidemicum* nobis haud ſatis eſt, ut credamus id morbi genus fuiſſe *contagioſum*, quod epitheton *epidemium*, hic abuſive uſurpatum, neceſſario (§. 14.) denotat. Quî equidem, *ſex ſeptimanarum* ſpatio, univerſam Europam contagio, hominum commercio communicando, (§. 15.) pervadere potuiſſet, ut ut potentia, portento ſimili, ſeſe diſſeminandi fuiſſet præditum ? Quî tam cito ac repente ſuam amiſiſſet graſſandi ſævitiem ? Malumus itaque ex *magna* vel *repentina temporum mutatione*, quæ maximam orbis terrarum partem ſæpiſſime percurrit, ortum ſuum habuiſſe ; quæque in meliorem ſtatum mutata, morbum, quem produxerat, brevi extinxit. Clariſs. *Ramazzinus* de anno 1709. (*c*) hæc præfatur : „ *Lubet in prægreſſæ hyemis algidam & nivoſam tempeſtatem*, *quæ frigoris vehementia atque aſperitate non ſolum* Italiam, *verum* univerſam Europam tanta *hominum*, *ut omnium cujuſque generis viventium* ſtrage male *mulctavit*, *philoſophica & medica indagine inquirere* ; *quod ſi tam* portentoſi frigoris *veram & germanam cauſam in apricum eruere non dabitur &c.* Dein ſubdit (*d*): *Quam infeſta*, *quam pernicialis humano Generi fuerit hyemalis hæc* conſtitutio, *& quænam morborum genera invexerit*, *nemo eſt*

(*a*) Lib. de Humor. n. 6.
(*b*) Tom. III. de Febr. lib. IV. cap. I. p. 126.
(*c*) Apud Synedham. tom. I. p. 502.
(*d*) Ibid. p. 506.

eſt qui ignoret. *Frequentiſſima fuere in hac civitate* (Mutinenſi), *ut de aliis taceam*, *funera*, *ac nulla pene domus viſa eſt*, *quæ pullam veſtem non induerit*. *Primo quidem teneros infantes*, *decrepitos ſenes*, *& robuſtiores viros*, *nec ſolum minutam plebem*, *ſed non paucos quoque ex procerum ordinibus* hyberni frigoris violentia *in lybitinæ cenſum deduxit*. Tuſſes, deſtillationes, pleuritides, peripneumoniæ, dyſpnœæ, *& morbi id genus dominatum obtinuere*. *Rationi autem conſonum fuit*, *ut hujuſmodi affectus* populariter graſſarentur. *Sicuti enim* auſtrina tempeſtas *capiti infenſa eſt*, *ita* aquilonaris *ſpiritalibus organis eſt maxime infeſta*. *Poſſumus equidem adſcititiis comis adverſus aeris injurias calvariam munire*, *ac bene clamydati & palliolati corporis extima a frigoris rabie & morſu poſſumus tutare*; *at quomodo viſceribus in pectoris cavea contentis ab aere rigidiori proſpici poteſt*, *ſi ab indeſinenti & reciprocante aeris inſpiratu & expiratu vitam precariam habemus ? Non eſt ergo quod miremur*, *ſi hæc* hyems, glaciali aura *per oſtium patens thoracis penetralia ſubeunte*; *tam* diram hominum, *&* cujuſque generis animantium cladem *ediderit* „. Probe hic notandum venit accuratum Medicum Ramazzinum hiſce mortiferis morbis, & quidem *populariter graſſatis*, *a magna temporum mutatione*, ſive ab aeris glaciali conſtitutione progenitis, *epidemici* nomen haud indidiſſe. Pergamus vero. „ *Dubitabat*, inquit Van-Swieten, (*a*) Reaumur, *an non* catarrhi epidemici, *quales circa finem anni* 1732. *& primis menſibus* 1733. *per* totam Europam graſſabantur, *producti fuerint ab aere* infectis *repleto potius*, *quam a* nebulis frequentibus. *Quum enim aer præ primis in pulmones agat*, *hoc videbatur veriſimile*. *Sed* hyemalis tempeſtas *inſectorum propagationi minus favere videtur*, *& dum* Reaumur *recenſet obſervata* D. Coſſigny *circa thermometri altitudinem facta*, *notat*, *quod ex ejus literis*, *verſus finem Decembris* 1732. *ſcriptis*, *didicerit*, ſimilem morbum *in inſula* Bourbon, *quæ in Africa ſita eſt*, graſſari eodem tempore; *imo conſtitit in*

(*a*) Tom. IX. in Boerh. §. 1408. p. 142.

in medio mari navigantes ſimiliter affectos fuiſſe. *Si per tam immanem diſtantiam idem morbus ab inſectis aeris productus fuiſſet, horum numerus omnem ſuperaſſet imaginationem. Interim* Reaumur *in hoc loco* certæ aeris conditioni hunc morbum adſcribit tantum, *nec ullam inſectorum aereorum mentionem facit*„. Nebulæ ubique gentium frequentes; hyemalis tempeſtas; morborum reſpirationis organa opprimentium indoles; graſſatio ſub idem tempus per univerſam *Europam*, perque mare inſulamque *Bourbon*, quæ ſub vigeſimumtertium gradum latitudinis meridionalis trans magnam inſulam *Madagaſcar* ſita eſt; eorum duratio ad paucos hyemales menſes; contagii nulla mentio, & ſi hæc adfuerit, incomprehenſibilis illius tam brevi tempore per tot vaſtiſſimas terræ plagas ſeſe diſſeminandi ratio, hos *catarrhos*, inconſulte *epidemicos* dictos, *conſtitutionale* morborum Genus fuiſſe, clare docent; ſuperiori per *Ramazzinum* relato, cladibus quidem mitius, ſed graſſandi more ſimillimum; a *nebulis frequentibus* ex *magna temporum mutatione* procedentibus productum: unde ad evolvenda *epidemicorum* morborum phœnomena hiſce catarrhis, tamquam conſtantibus typis, Ill. *Swieten* haud appoſite uſus eſt; quum non fuerint *epidemici*; & ipſorum cauſa, quam diverſæ indolis ac ſpeciei inſecta forſan conſtituerint, longiſſime diſtat ab *epidemicorum* cauſa, ſeminia contagioſa (§. 20.) ſecum importante. A *Swetenio* ne diſcedamus talia *(a)* loquuto: „ Foreſtus ait, *deſcribit gutturis morbum* epidemicum, *qui menſe Octobri 1557. ſubito* graſſari *cœpit*, integras familias *invadens* Alcmariæ, *& intra* duas treſve ſeptimanas *ultra* ducentos homines *perimens*. *Hic morbus tanquam* flatu quodam *oriebatur*, *quum* nebulæ denſæ, maleque olentes *per aliquot dies prius præceſſiſſent*, adeo ſubito irrepens, *ut* mille mortales uno fere momento invaſerit. *Hunc morbum*, *quem* catarrhoſum *malignum vocat*, *graphice deſcripſit*, *quo & ſe ipſum laboraſſe fatetur*. *Non ſine ratione adſcribebatur morbi hujus* epidemici *origo* nebulæ mali odoris *per aliquot dies*

(a) Tom. IX. in Boerh. §. 1407. p. 129. 130.

dies urbi Alcmariæ *incumbenti* „. Et hic *catarrhoſus* gutturis morbus a *denſis maleque olentibus nebulis* ortus, *ſubito* irrepens, & *uno fere momento mille mortales flatu quodam* invadens ſine contagio, *Conſtitutionalis* fuit, ſive ex *magna* Hippocratis *temporum mutatione*: unde nec probe *epidemicus*, qui ſemper (§. 14.) eſt contagioſus, nuncupatus fuit; nec apte per *Swietenium* ad explorandam *epidemicorum* cauſam in exemplum adductus eſt, ratione ſuperius indicata. Ante *Foreſtum* ſcripſerat *Fernelius* (*a*): „ *Quæ* (*putrida conſtitutio*) *a* noxia tempeſtatum mutatione, *ut ab* incoſtanti, *ab* intemperato, *a* pluvioſo, æſtuoſo, *aut* nubilo cœlo *tracta ſit*; *ea*, *licet* longe dimanet *atque* propagetur, *& ex* graveolentia pruinæ *aut* roris magna *eſſe deprehendatur*, plerumque (hæc particula expungenda eſt) *tamen* ſine peſte (nimirum ſine contagio) *evenit*. „ Et ante *Fernelium* apertius *Fracaſtorius* (*b*): „ *Sæpe videmus* populariter vagantes morbos, *quos* epidemias *vocant*, *quorum alii* communes *quidem* pluribus *aut* civitatibus *aut* regionibus ſunt, *ſed* non contagioſi, *qui* communes *tantum dicuntur*. „ Cordatus hic Auctor per illa verba *quos epidemias vocant* ſatis perſpicue demonſtrat morbos, plures *civitates* aut *regiones* ſine contagio pervadentes, abuſive *epidemias* vocari, quum ſolummodo *communes*, ex textu fortaſſe Hippocratis (§. 18.), *ſi morbus aliquis omnibus communis ex temporum mutatione oboriatur*, dici debeant.

§. 28. Datur itaque (§. 27.) *conſtitutionalium* morborum Genus ex *magna temporum mutatione*, ſive, quod idem ſonat, ex ſenſibilium aeris qualitatum magnis vel repentinis viciſſitudinibus ortum ducens; *populariter*, uti *epidemicum* atque *endemicum*, graſſans; a quibus tamen diſtat, quod *repente*, *momento temporis*, & veluti *quodam flatu* integras familias aggreditur, multaſque occupat regiones, quodque in melius mutata aeris conditione ſubito extinguitur. Convenit

(*a*) De abd. rer. cauſ. lib. II. cap. XII. p. 616.
(*b*) De morb. contag. lib. I. cap. XII. p. 82. E.

nit cum *endemico*, quia ſine contagio (§. 26.) graſſatur, eoque charactere differt (§. 21.) ab *epidemico*. Differt vero ab *endemico*, quia non quotannis (§. 26.), ſed poſt varia temporum intervalla recurrit, quo convenit cum *epidemico*.

§. 29. Ut generica Hippocratis morborum omnium diviſio abſolvatur, explorandum an *ſporadicum* morborum Genus ab *epidemico*, *endemico* atque *conſtitutionali* diſtinctum ſit. Retulimus ſupra (§. 18.) Hippocratem aſſeruiſſe *ſporadicos* morbos *propter malam diætam privatim contingere*; ſicuti alibi (*a*) hæc ſcripſiſſe: „ *Quum vero omnis generis morbi fiunt eodem tempore, palam eſt victus ſingulos ſingulis cauſas eſſe, & curam ſane facere oportet ex contrario inſtando adverſus morbi cauſam, quemadmodum & alibi a me relatum eſt; & victus rationem permutare. Conſpicuum eſt enim diætam, qua homo uti conſuevit, non eſſe ipſi commodam aut in totum, aut magna ex parte, aut unum ſaltem quoddam ex ipſa.* „ Diætæ vocabulo ſex res, uti vocantur, nonnaturales Hippocratem ſignificare Medicorum nullus it inficias. Sporadicorum morborum genericam notionem Galenus (*b*) nobis exhibuit: „ *His autem*, inquiens, *omnibus* (nimirum epidemicis endemiciſque) *adverſantur* ſporades, *ideſt qui* ſparſim privatimque *prehendunt*, *ægros* diſcrepanter *fatigantes*, *neque ſecundum communem modum conſtantes*. „ Quem *Caſtelli* (*c*) ſequutus: „ *Sporadici*, ait, *dicuntur morbi diſperſi*, *&* ſparſim graſſantes, *qui ſingulos* ſeparatim *corripiunt* abſque contagii ſuſpicione. *Morbi ſunt* vagantes *&* privati, *&* alius alium *occupat* . . . *In definitionibus medicis deſcribuntur* ſporadici, *qui* omni tempore, omnique loco *exoriri poſſunt*, *&* ſeparatim *quemque invadunt* „. Sporadicum itaque morborum genus a *victus* & *potus*; *excretorum* atque *retentorum*; *motus* & *quietis*; *ſomni & vigiliæ*; *aeris*; & *animi* denique *pathematum* vitiis diver-

(*a*) De natur. homin. n. 18.
(*b*) Cl. VII. Comment. in lib. Hipp. de rat. vict. in morb. acut. text. 9. p. 109. A.
(*c*) Lexic. Medic. lit. S. tom. II. p. 355.

Digitized by Google

verſas ſortitur cauſas: ſervataque pro morbis *conſtitutionalibus* magna, vel repentina temporum mutatione, reliquos ſenſibiles ſex rerum nonnaturalium errores, veluti ſuorum excidiorum adminiſtros perpetuo famulitio ſibi devincit: unde quovis anni tempore, quacumque ſub tempeſtate, & ubique orbis terrarum cujuſque ætatis, ſexus, conditionis atque temperamenti mortales diverſimode, atque ſub diverſis morborum ſpeciebus divexare nunquam deſinit. Etſi perquam raro, *populariter* tamen (§. 19.) graſſatur, vel multiplicatis eodem tempore diætæ erroribus, vel ab uno ejuſdem vitio confertim plurimos adoriente. Alexandri Macedonis exercitus (*a*) quadringenta itineris ſtadia per *Suſitanorum* deſerta, arenoſa, aquiſque omnino deſtituta loca permenſus, inſedabili exæſtuans ſiti ad flumen *Oxum* pervenit; ſed qui aquam intemperantius hauſerunt, *intercluſo ſpiritu extincti ſunt*; *multoque major horum numerus fuit*, *quam ullo amiſerat prælio*. Hæc militum clades haud ab *epidemicis*, *endemicis* vel *conſtitutionalibus* cauſis, ſed ab uno diætæ vitio contigit.

§. 30. Datur itaque (§. 29.) ſporadicorum morborum Genus *populariter* quandoque graſſans, ab *epidemico* ſecretum, quia nullo munitur contagio; item ab *endemico*, quia alicui loco non addictum, ſed undique ſparſim vagatur; adhuc & a *conſtitutionali*, quia haud repente & veluti *quodam flatu* integras familias, regioneſque opprimit, ſed incerto & quovis tempore. Diſcriminatur etiam a reliquis morborum generibus, quippe quod non ab una cauſa, ut ſæpius ea, ortum ducit, ſed a plurimis; nec ſub una vel altera, uti illis uſuvenit, ſed ſub omnium fere morborum facie incedit.

§. 31. Non deerit fortaſſe qui mihi genericam morborum partitionem curioſius inquirenti obſtrepet, objicietque ingenui Sydenhami ſententiam hiſce exaratam verbis (*b*): „ *Nec fortaſſe hominibus cordatioribus rem minus importunam ille fa-*

(*a*) Quint. Curt. lib. VII. n. 5. p. 183. 184.
(*b*) Tom. I. Sect. II. cap. II. p. 31.

facere videbitur, qui a me poſtularit, quid hanc aut illam ægritudinis ſpeciem conſtituat, *quam etiam ego facerem, ſi ab illo idem de* equo *v. c. inter animalia, vel de* betonica *inter ſtirpes viciſſim ſciſcitarer* : *nimirum* certiſſimis ubique legibus, *ac artificio* ſibi ſoli intellecto *rerum omnium generationes natura parens exequitur; quæque uſpiam e cauſarum gremio in actum, ac quaſi in lucem educit*, *eorum* eſſentias, quidditates, differentias conſtitutivas *altiſſimis tenebris obvelat*. „ Inde pavorem mihi offundere ratus, ſubdet: *An tu Sydenhamo inſtructior*? Me quæſo habeat: ego quidem minime gentium; ſed *Sydenhamus* nec Hippocrate ſolertior; & hic magnus medicinæ Dictator circa morborum cauſas & proprietates, præter ea, quæ §. 10. notavimus, ſummopere poſteris Medicis [*a*] hæc commendavit: *Oportet autem diſcere exacte quamcumque temporum conſtitutionem, & morbum bonum; quod commune in conſtitutione, aut in morbo*. Quinimo & aliquid adhuc a ſenſibus remotiſſimum perdiſcendum [*b*] ipſis ſuadet his: *Quinetiam ſi divinum quidpiam morbis ineſt, hujus quoque providentiam perdiſcere*. Quid? vel ipſe *Sydenhamus*, etſi morborum ſpecies ac differentias ab eorum diverſis occultiſque cauſis deducere, tamquam rem importunam captuque perdifficilem definierit, ibidem tamen protinus hæc ſubdit: „ *Unaquæque morborum non minus quam animalium aut vegetabilium ſpecies*, affectiones *ſibi proprias, perpetuas, ac pariter univocas, ab eſſentia ſua promanantes ſortita eſt*. „ Jam vero, quæ inter ſeſe diſtincta, ea probe ſecernenda autumamus. An itaque ad *epidemicorum* claſſem, endemicos, conſtitutionales, imo & ſporadicos morbos, *affectiones ſibi proprias, perpetuas, ac pariter univocas, ab eſſentia ſua promanantes*, ſortitos; rurſus & epidemicos, conſtantibus ſibi characteribus ab iis disjunctos, in eorum cenſum referemus? Hoc autem quid aliud eſſet, quam diſtinctorum morborum pathologiam interturbare, ac altis tenebris obduce-

(*a*) Lib. III. epidem. ſect. III. prope finem.
(*b*) Lib. I. Præſag. VII.

cere? Quid? Nonne *ſporadicorum* morborum Genus noſtris hiſce diebus in *epidemicorum* ordinem adnumeratum fuit? Perpendere ingenuorum neminem pigeat, quæ ſequitur, Swietenii doctrinam. ,, *Quare*, inquit, [*a*] epidemicus *vocetur Variolarum morbus dictum fuit ad* §. 1380. *Verum* plures morbi epidemici obſervantur, *uti dicetur ſequenti capitulo*, quorum cauſa manifeſta *eſt*; *pendens nempe a* qualitatibus ſenſibilibus *aeris*, *qui nos ambit*, *calore*, *frigore &c.*, *vel* a malo victu, *ut in annonæ penuria*, *urbibus obſeſſis &c.*, *tuncque obſervatur*, *illos*, *qui* has morbum epidemicum producentes cauſas *vitare poſſunt*, *eodem non affici*, licet in locis non multum diſſitis *ab ægrotantibus verſentur*. *Sic antea in* ſcorbuti *hiſtoria notatum fuit*, *in obſeſſis urbibus* milites *ſæpe ſcorbuto languere*, *dum* obſidentes *optima ſanitate fruuntur*. *In* annonæ penuria *infimæ ſortis homines* ob malum victum *peſſime ſæpe afficiuntur morbis*, *dum* divites *ab his* liberi ſunt, *qui neceſſaria ad victum ſibi comparare poſſunt*. *Sæpe obſervaverunt Medici caſtrenſes partem exercitus in humidis & paludoſis locis morbis* epidemicis *affligi*, *dum altera pars*, *caſtra occupans ſicciori & elatiori loco poſita*, *ab his immunis manet*. *Merito tunc tales morbi adſcribuntur* cauſis ſenſibilibus, *quorum evitatione*, *vel ablatione morbi illi vitari poterunt*. *Verum ſollicita obſervatio morborum docuit celebres in arte viros*, *quod* morbi a cauſis manifeſtis nati *ſic mutent corpus ægri* tali morbo *decumbentis*, *ita degenerare faciant humores ejus*, *ut æger ille poſtea per* contagium *propaget morbum*, quem per manifeſtas & obvias cauſas acquiſiverat: *itaut hoc contagio recepto ſaniſſimi homines*, *qui non obnoxii fuerant cauſis*, *quæ in priori ægro* hunc morbum *excitaverant*; *tamen confeſtim eodem decumbunt*. ,, A diætæ itaque erroribus, uti *aeris ſenſibilibus qualitatibus*, *malo victu* &c. per *Hippocratem* (§. 29.) *ſporadicos* tantummodo morbos producere valentibus, ex *Swietenio* naſcuntur morbi *epidemici*, qui abſque contagio nati *poſtea per contagium* propagantur: *infimæ* tamen *ſortis ho-*

(*a*) Tom. IX. in Boerh. §. 1382. p. 13.

Digitized by Google

homines, *epidemicis morbis peſſime affecti* ſub *annonæ penuria*, magnatibus opipere viventibus contagium non affricant: Scorbutus etiam Swietenio a ſenſibilibus ac manifeſtis cauſis; & morbi a paludoſis locis, apud Europam progeniti, *epidemici* vocantur. Suntne hæc, quæ morborum *pathologiam* a denſiſſimis, quibus obruitur, tenebris in lucem educant? Ex ipſius Swietenii doctrina, ſuis in locis, talia non eſſe inferius demonſtrabimus. Ne vero quaſi palantes milites in re medica pertractanda huc illuc curſitare velimus, ſtet neceſſe eſt hactenus ab *Hippocrate* eruta morborum omnium in quatuor Genera diſtributio, & ita ſtet, ut juxta *Synedhamum* ipſorum unumquodque *affectiones ſibi proprias*, *perpetuas*, *ac pariter univocas*, *ab eſſentia ſua promanantes*, *ſortitum eſſe* credamus: unde nec *epidemicus* morbus in *endemicum* permutari, aut *conſtitutionalem*, *ſporadicumve* evadere unquam poterit: nec horum aliquis per ſe, ſuaqne cauſa in *epidemicum* tranſire. Ubi itaque monuerimus hæc quatuor morborum Genera ſub idem tempus, inque eamdem Civitatem bina, terna, & aliquando omnia concurrere poſſe, ad Boerhaavii particulam [§. 17.] *ut plurimum* perpendendam jam præſto ſumus.

§. 32. *Eſt*, inquiebat Boerhaavius de Variolarum morbo, *ut plurimum epidemicus*. Aliquando itaque *non epidemicus*. At non *endemicus* [§. 26.] in locis ſaniſſimis; neque *conſtitutionalis* [§. 28.] ſub ſerenis aeris tempeſtatibus: erit igitur *ſporadicus*. Variolarum itaque morbus quandoque amittit *affectiones* (§. 31.) *ſibi proprias*, *perpetuas*, *ac pariter univocas ab eſſentia ſua* epidemica *promanantes*. Quid? Aliud quidem eſt quemdam morbum eſſe *ſporadicum*, longe aliud eſſe *epidemicum* & *ſporadicorum* more vagari. „*Etſi*, inquit *Sennertus* (*a*), unus *ſaltem in urbe aliqua peſte corripiatur*, *eum peſte laborare negandum non eſt ideo*, quod ſolus ea laboret: *ſufficitque in plurimos paſſim ſeſe diffundendi* potentiam *habere*, *etſi nondum actu* epidemicus *ſit* (aptius, etſi actu populariter non graſſetur) *ille mor-*

(*a*) Tom. III. de Febr. lib. IV. cap. I. p. 126.

morbus. „ Accurata Variolarum', imo peſtis cunctorumque *epidemicorum* morborum hiſtoria demonſtrat, unumquemque ipſorum, ubi ad aliquam civitatem oppidumve pervenerit, *ſporadicorum* ritu primo ſemper ſerpere, quouſque uno alteroque funere ipſius contagium magis diſſeminetur, tandemque ſtrage plurima in omnes contagi ſuſcipiendæ aptos inſoleſcat. Nulla hactenus apud Auctores extat obſervatio, qua probari queat pus, ex variolis ſparſim ſerpentibus ſuſceptum, corporibuſque idoneis inſitione appoſitum, variolas non excitaſſe. Eſt itaque Variolarum morbus *perpetuo*, minime vero *ut plurimum*, *epidemicus*.

Concluſio tertia.

Dum Variolarum morbus perpetuo (§. 32.) eſt *epidemicus*, perpetuum igitur (§. 14.) erit & contagioſus: quum autem hoc contagium haud aliis modis propagari queat (§. 15.) quam præſente *corpore* tam *vivo*, quam *extincto* ſuis miaſmatibus infecto, aut *fomitibus eodem* contaminatis, vel ex ipſius *domicilio*, tamquam ex naturæ penu ſponte eductum, quod *Europæ* nuſquam extitit; perſpicuum eſt Variolas ab *occulto aeris Europæi maligno ſtatu*, *ſive* ab *occulta aeris craſi* vel *textura*, nequaquam produci, neque earumdem *contagem* aeri inhærere poſſe.

Refellitur Hypotheſis quinta: *Variolæ febrium ſynocharum ſunt veluti criſes.*

§. 33. Specioſam hanc Variolis proprietatem omnium primus adjudicavit *Avicenna*, cujus ſententia, ab initio undecimi ad totum fere decimum quartum ſæculum, Medicorum pene omnium ſuffragium obtinuit. Scripſit (*a*) equidem: „ *Et Variolæ ſunt quaſi modus quidam criſis*; ſed pariter ſcripſit ibidem: „ *Et Variolæ quidem & morbillus ſunt de ſumma ægritudinum advenientium*, (contagioſorum nimirum

(*a*) Lib. IV. Fen. I. cap. VI. p. 446.

rum ex Andreæ Alpagi caſtigatione) *& multiplicantur in ſucceſſione auſtrinorum, quando multiplicatur eorum perflatio.* „ Huic opinationi adſtipulati ſunt *Fracaſtorius*, *Sennertus*, plurimique ex latinis Medici, & præ cæteris Cel. *Riverius*, qui definite aſſeruit (*a*), idcirco a veteribus Medicis peculiarem de Variolis non eſſe inſtitutam tractationem, *quia ſint tantum accidentia febribus ſynochis & malignis ſupervenientia, & eruptiones criticæ.* Hi quidem variolis ineſſe contagem minime inficias eunt; nihilo tamen ſecius earumdem cauſam a menſtrui ſanguinis impuritatibus fœtui in utero matris communicatis, ſimulque ab aere maligno, & a vitioſo alimento, repetere ſatagunt.

§. 34. Criſeos nomine morborum jam vigentium judicationem ſignificari auctor eſt Galenus (*b*); & Hippocrates (*c*) ſtatuit: „ *Porro judicari in morbis eſt, quum morbi augeſcunt, aut marceſcunt, aut in alium morbum tranſeunt, aut deſinunt*: „ Et alibi (*d*): „ *Oportet autem animadvertere & noſſe, in his temporibus judicationes futuras eſſe ad ſalutem, aut perniciem, aut inclinationes ad melius, aut deterius.* „ Poſſuntne hæc de Variolis ſecundo, tertio, ad ſummum quarto morbi die erumpentibus prædicari? Reſpondent: Locutio *quaſi modus quidam criſis*, & *veluti criſis*, haud genuinam criſim, ſed ſanguinis ab inquinamentis purgationem importat. Quid? Variolæ itaque hominibus ſunt connatæ? Iſthoc aſſertum §. 7. abſurdum notavimus. Quî dum vero juvenibus pancratice viventibus, puriſſimoque præditis ſanguine, Variolæ pernicioſiores evaſere?

Re-

(*a*) Prax. Medic. lib. XVII, cap. II. p. 439.
(*b*) Cl. IV. de criſib. lib. I. cap. I. p. 125 & Cl. VII. comm. I. in lib. Hipp. de R. V. in morb acut. text. 25. p. 112. H. & alibi paſſim.
(*c*) Lib. de affect n. 80.
(*d*) Epid. lib. I. ſect. III.

Refellitur Hypotheſis ſexta: *Variolæ ab aliqua cauſa ſemel a parentibus contractæ hæreditaria propagatione in filios tranſmittuntur*.

§. 35. Hanc Variolarum *pathologian* doctiſſimum *Mercurialem* invexiſſe refert *Sennertus* (*a*); aſſentiente deinde Cl. *Liſtero* (*b*). Hi graves alioquin Auctores, in re tam luculenta, plane obdormiviſſe videntur. Et ipſi enim teſtantur, & hiſtoricis monumentis edocemur, variolas, morbum omnino novum, Americam appuliſſe, incolarum tunc primum maxima cæde confecta. Omnium itaque hujuſce peſtis in Americanos prima excurſio hæreditariæ propagationi neutiquam debetur, quum *primum invadere* & *hæreditarium morbum eſſe* manifeſto inter ſe ſecum pugnent. Nec levioris momenti ſunt, quæ *Mercuriali* objecit *Sennertus* (*c*). „ *Eſſe morbum*, ait, *hæreditarium rationi conſentaneum non eſt. Nam cur ſemel, aut bis tantum homines hoc morbo corripiuntur, ſi eſt hæreditarius, non ſæpius? Deinde cur qui peſte ſemel laborant eamdem ad peſtem inclinationem & aptitudinem ſoboli non communicant? At hoc non fit. Et quidem merito. Nam natura vincens venenum peſtilens, illud e corpore plane exterminat: idque eodem modo in Variolis & Morbillis facit. Et niſi hoc fieret, nemo a Variolis & Morbillis perfecte ſanaretur*. „ Quid intelligendum ſit de aptitudine ad morbos ſuſcipiendos jam §. 7. expoſuimus. Hic tantum adjicere lubet nullum uſpiam vel unquam ex hæreditariis morbis *populariter*, uti Variolas, debbacchari ſolitum fuiſſe.

(*a*) Tom. III. lib. IV. de febr. cap. XII. p. 179.
(*b*) Apud Manget. tom. IV. B. M. P. p. 671.
(*c*) Ibid. p. 180.

Refellitur Hypotheſis ſeptima: *Variolæ a depravatis Atmoſphæræ conſtitutionibus promanant.*

§. 36. Laborioſiſſimus *epidemicorum* morborum Indagator Jo. *Huxhamius* hujuſcemodi adſtruxit (a) *hypotheſim:* „ *Cauſæ*, inquit, *morborum fere omnium* epidemicorum ſunt conſtitutiones atmoſphæræ depravatæ, *etiam ipſorum*, qui proprie contagioſi vocantur. *Incrementum & duratio ex eadem cauſa maxime pendent. Nonne enim uno anno in hac urbe, aut hoc oppido unum tantum alterumve, Variolis nempe aut Morbillis correptum videmus; alio autem* ab uno incipientem labem in innumeros diſſeminari? *Ita ut aer ipſe* arcere, *aut* fovere *videatur ipſum* contagium; *ignis velut ſcintilla fomiti injecta idoneo immenſum quantum flammæ accendit undique! humidæ contra occurrens materiæ extinguitur protinus*. „ Inter hujus Cl. Auctoris, & *Sydenhami* (§. 9.) Variolarum pathologian id intercedit diſcrimen, quod *Sydenhamus occultæ aeris craſi* eamdem attribuit, *Huxhamius* vero ſenſibilibus ſive manifeſtis *atmoſphæræ depravatis conſtitutionibus*, calidis nimirum aut frigidis, humidis vel ſiccis, majoris vel minoris ponderis; quibus inveſtigandis proprietatibus diligentiſſimus hic Auctor aſſiduam viginti duorum annorum operam præſtitit. Quæ itaque *occultæ Sydenhami* aeris craſi rationes, obſervationeſque (§. 11. & 12.) adverſantur, in *depravatas Huxhamii aeris conſtitutiones* recidant, neceſſe eſt; quemadmodum & ad hujus Auctoris verba, *qui proprie contagioſi vocantur*, referri queunt quæ §. 14. ſunt adnotata. At pro ſenſibilibus ſive manifeſtis aeris vitiis, ſub nunc perpendenda octava hypotheſi paulo uberius.

(a) Tom. I. de aer. & morb. epidem. Proleg. p. 1.

Refellitur Hypotheſis octava: *Variolæ a manifeſtis atque ſenſibilibus ſex rerum nonnaturalium vitiis, ſive a concurſu variarum cauſarum, abſque ullo in humanis corporibus, neque in ipſis cauſis præexiſtente contagio naſci poſſe videntur; & ſemel ſic ortæ dein per contagium quamlatiſſime diffundi poſſunt ac multiplicari.*

§. 37. Ill. L. B. *Swietenius* exſcriptam Variolarum *pathologian* hujuſmodi haud bene perpenſis obſervationibus conſtruere conatus eſt (*a*): „ *Obſervaverunt*, inquit, *Medici caſtrenſes quod* Dyſenteria *milites brevi occupet, ſi in humido loco cogantur decumbere imprimis abſque tentoriis. Manifeſta tunc eſt hujus dyſenteriæ cauſa, & milites hæc incommoda non paſſi immunes manent ab hoc morbo, licet in loco non admodum diſſito caſtra poſuerint, & ſimili victu ac potu utantur*. (Pringle Diſeaſes of the army pag. 24. & ſeq.), *Verum ſimul ac diſperſæ antea cohortes uniebantur*, Dyſenteria in prioribus a manifeſta cauſa nata mox inficiebat alios per contagium ſolum, abſente illa cauſa, *quæ ab initio dyſenteriam produxerat .... Præterea certæ docuerunt obſervationes ſqualorem* carceris, *in quo miſeri non renovato aere diu manere coguntur*; *plenitudinem nimiam* noſocomiorum, *& imprimis ſi unus vel plures inter hos* gangræna *decumbant, producere Febrim malignam, imo fere* peſtilentialem, quæ a tali cauſa nata vero contagio communicatur aliis *hominibus cæteroquin ſaniſſimis*. Contagium *ergo* naſcitur in humano corpore illo tempore, dum morbus adeſt abſque contagio natus, & per hoc contagium ſemel natum latiſſime diſſeminari *morbus poterit* „ Subdit dein (*b*): *Quantumcumque hanc rem animo verſ.mus, non poſſumus dubitare, quin* primus mortalium, *qui variolis* laboraverit, hunc morbum receperit ſine contagio. *Si ergo ſemel* potuerit morbus hic naſci ab aliis quibuſcunque cauſis, quas me ignorare

 lu-

(*a*) Tom. IX. in Boerhaav. §. 1382. p. 14.
(*b*) Ibid. p. 15.

lubens fateor, *poterit*, *& reproduci* a ſimilibus, licet contagium *deſit*. *Idem* verum eſt de reliquis omnibus morbis, qui per contagium ab uno homine in alium propagantur. *Primus enim omnium*, *qui hoc morbo* laborat, non potuit contagium *ab alio homine recepiſſe*; *implicat enim manifeſtam contradictionem*. „

§. 38. Quidnam valeat hæc *hypotheſis* ut aſſequamur, per partes eadem diſpeſcatur neceſſe eſt. Initium faciamus a potiori. *Morbus hic*, ait Auctor, *potuit naſci ab aliis quibuſcunque cauſis* (a concurſu nimirum cauſarum, ut ibidem inferius) *quas me ignorare lubens fateor*. Immortalis *Newtonus*, aſpectabilis hujus Mundi œconomian intime meditatus, in demonſtratis habuit (*a*) *quod effectuum naturalium ejuſdem generis eædem ſunt cauſæ*. Plurium itaque cauſarum efficientium concurſus ad unicum edendum effectum nedum ſupervacaneus, ſed & ſimpliciſſimo, quem in ſuis operibus tenet, naturæ ordini maxime incongruus exiſtit. Immutabili quidem obſervationum ſerie conſtat, quodlibet contagioſorum *miaſma* peculiarem ac ſibi proprium perpetuo efficere morbum; neque a variolifero peſtis, a peſtifero variolæ, a ſcabioſo *miaſmate* lues venerea, prorupiſſe unquam viſæ ſunt. Contingit porro quandoque contagioſum aliquem morbum diverſi generis contagioſa *miaſmata* ſequi; quod ſæpius obſervatum ſub peſte atque variolis petechias eructantibus; proprio verumtamen charactere nunquam deficiunt, ſed eumdem perpetuo proferent effectum. Perſpicuum itaque videtur unumquodque ex contagioſis morbis haud ex tumultuario multiplicium *cauſarum concurſu*, ſed ex ſibi proprio ac peculiari ſeminio ortum habere.

§. 39. *Obſervaverunt Medici caſtrenſes, quod dyſenteria &c.* Hæc dyſenteria, quam Cel. Io: *Pringle* (*b*) ex unico militum decubitu in humido loco *abſque contagio natam aſſeruit*, *Anglicum* exercitum divexavit ſub finem menſis Junii anni 1743., poſt prælium cum *Gallis* in *campo Dottingen* peractum. Hujus

(*a*) Princip. Philoſoph. Natur. mathemat. p. 402.
(*b*) Oſſerv. ſulle malatt. dell' armat. Part. 1. Cap. 2. p. 7. traduz.

jus major pars paucos ante dies *Britannia* diſceſſerat, dum *Plymuthi*, inſigni portu inſtructi, Dyſenteria *epidemica* per Aprilem, & Majum ejuſdem anni jam paſſim graſſata fuerat. De hoc enim Aprili *Huxhamius* (*a*) præ cæteris hæc fatur: „ *Dyſenteria cruenta multos, inter popellum præcipue, perimit. Maxime ſæviit hæc* dyſenteria *in oppido* Plimton *ejuſque* vicinia, *ſolo ſcilicet pingui & uliginoſo, morbiſque plus ſatis obnoxio, Febribus lentis præſertim & intermittentibus* (endemicis quidem (§.26.) haud vero contagioſis). *Duravit autem ab initio Aprilis ad Maii finem*. „ De hoc Majo (*b*) hæc idem ſubdit: „ *Dyſenteria cruenta aut mucoſa ſævit maxime apud* Plimton, *&* vicinitatem. „ Per *Hippocratem* (§.23.) ipſumque *Swietenium* (§.24.) nedum *loca humida*, ſed ne *paludes* quidem ullo apud Europam morbo contagionis originem unquam præbuere: Innumera ſui incolarum pars humido inhabitat ſolo, nec *dyſenteria*, quæ inde contagioſa evadet, corripitur. Nonne vero ſimilius eſt arbitrari, *Huxhamii* ſuadente obſervatione, militem per *Britanniam* comparatum, priuſquam claſſim conſcendiſſet, *dyſenteriæ* contagioſa ſeminia, per *Plimton* ejuſque *viciniam* longe lateque proſeminata, veſtibus ſtraguliſque hærentia, ſecum advexiſſe, locique humiditate excuſa morbum excitaſſe, qui dehinc ſerpendo majorem exercitus vim vicinoſque oppidanos paſſim infecerit?

§. 40. *Præterea certæ docuerunt obſervationes ſqualorem carceris... plenitudinem noſocomiorum &c.* Perpetuus in carceribus exiſtit ſqualor; quotannis, maxime per æſtatem, in noſocomiis ægrotorum multitudo præſto eſt, quorum aliqui gangrænoſis abſceſſibus ſæpe occumbunt. Quid? Si ab aeris ſqualore, & ægrotorum vel gangræna affectorum copia aliquis contagioſus morbus oriri poſſet, quotannis id contingeret, uti in locis paludoſis perpetua *Endemicorum* morborum cauſa (§.25.26.) perpetuo eoſdem erit productura. Quid, ſi ferociente bubonica Peſte, ipſi carceres cuſtodiis adhibitis im-

(*a*) Tom. 2. de Aer. & morb. epid. ann. 1743. p. 98.
(*b*) Ibid. p. 105.

immunes ab illius ſeſe præſtiterint contagio? „ *In nullos*, inquit Meadius (*a*), *Romæ carceres intravit peſtis*, *quos quidem ſpurcities ſua debebat recipiendæ aptiſſimos feciſſe*. Facillimus quidem ampluſque patet ad *carceres* atque *noſocomia* contagii aditus, ob diverſorum hominum a diſſitis admodum regionibus concurſum. Si quando vero *epidemicus* ibidem apparuerit morbus, contagioſo ſeminio aliunde evecto ſemper accenſendus.

§. 41. *Primus omnium, qui hoc morbo laborat, non potuit contagium ab alio homine recepiſſe*: *implicat enim manifeſtam contradictionem*.) Hoc a contradictionis principio petitum argumentum nec hilum *Swietenii hypotheſi* ſuffragatur. Certa quidem fuiſſet argumentandi ratio, ſi prius demonſtratum eſſet & in homine gigni contagioſa *miaſmata*, & contagium per ſolum hominem, nec per aliud quidpiam poſſe communicari. Magni ſenis Coi teſtimonio (§. 20.) contagioſa ſeminia extra hominem naſcuntur; ſuum inſuper (§. 15.) detinent, quo oriuntur, peculiare domicilium: hinc non ſolum *immediato* ab ipſis prehenſi hominis *contactu*, ſed & per *fomitem*, in quo diu immutata manent, ac longe lateque hominum commercio aſportari poſſunt, & *ad diſtans* per circumſcriptum nempe aeris ſpatium, vel *ex ſuo natali ſolo* in animantum corpora poſſunt inſilire; quotidiana id monſtrante experientia. Nullam itaque contradictionem includit, hominum primum, ubi ad paludoſum, vel hujuſmodi quempiam locum, quo Peſtis *vulgaris*, Variolarum, aliorumque contagioſorum morborum *miaſmata* ſuum habent ortum, acceſſerit, contagioſum morbum abſque humana contage ſibi comparare; ſicuti noſtris in regionibus *endemicum* patiuntur, qui quodam anni tempore loca adeunt *endemicorum* morborum feraciſſima. Aliud non intercedere diſcrimen inter *miaſmata endemica*, atque *epidemica*, niſi quod illa contagionis ſint expertia, & ultra ſui laris fines ſeſe nequaquam propagantur; hæc vero poſſideant ſeminaria, quibus e ſuo domicilio per univerſum terrarum orbem multimodis proſeminari poſſint,

(*a*) Oper. Medic. Diſſert. de Peſt. Part. I. cap. I. p. 170.

Digitized by Google

ſint, §. 21. & 26 jam eſt demonſtratum. Quod itaque magni momenti *Europæ* Medicis perpendendum venit, illud quidem eſt, an, nimirum, apud ullam *Europæ* nationem Peſtis atque Variolarum *miaſmaton* domicilia adſint, necne? Audiamus hoc ſuper problemate ipſum *Swietenium* hæc ſancientem (*a*) „ *Quum*, inquit, *ex minima puris* [varioloſi] *particula ſaniſſimi hominis corpus ſic poſſit mutari*, *ut* morbi tempore, poſt ſanationem , *imo* poſt mortem *totum contagium ſpiret* , *&* *quidem tale*, *quod* variis rebus adhærere poteſt , & diu malignitatem ſuam ſervat; *patet ſatis quam parum ſpei ſuperſit*, *ut illud contagium ceſſet*. *Si vero hoc unquam contingeret* , non abſque ratione ſperari poſſet, quod Morbus ceſſaret tandem , quum nullis certis obſervatis conſtet variolas ſponte & abſque contagio in Europa natas fuiſſe ; & longe magis credibile videatur , quod ex aliis regionibus per contagium *ad nos delatæ fuerint*. „ Graviſſimus Auctor *Mead* ſequentia fatur (*b*). „ *Tantum abeſt ut noſtri climatis aer unquam veræ Peſtis origo ſit* , ut non videatur unquam producere illos leviores contagioſos morbos Variolas & Morbillos. *Inauditi enim hi morbi* Europæ *erant ante* Maurorum *in* Hiſpaniam *adventum*. „ Equidem ſi apud univerſam Europam ipſa paludoſa morbidaque loca, *endemicorum* morborum inexhauſtæ origines, nullam unquam contagioſam febrim, vel alium quempiam *epidemicum* (§. 23. 24.) morbum producere valuerunt, abſurdum eſt opinari , apud ipſam in montanis puriorique aere præditis locis , Variolas abſque contagio naſci a *manifeſtis atque ſenſibilibus ſex rerum nonnaturalium vitiis* , ſive ab *ignorato concurſu variarum cauſarum*, non alia de cauſa , quam quia *implicat manifeſtam contradictionem* , *omnium primum*, *qui hoc morbo laborat*, *contagium ab alio homine recepiſſe*. Admiſſo Variolarum domicilio , mortalium cunctorum primus , qui Variolis laboravit, contagium recepit vel quia adiit hujus *miaſmaton* natale ſolum , vel quia a brutis animantibus illuc diverſatis ipſi communicatum fuit. Hæc *miaſmata*

(*a*) Tom. IX. in Boerhaav. §. 1382. p. 19.
(*b*) Oper. Med. Diſſ. de Peſt. Part. 1. cap. 2. p. 178.

Digitized by Google

mata ſucceſſiva ſui generatione pene in infinitum propagari poſſe vel una demonſtrat eorumdem inſitiva prophylaxis; unuſque æthiops *Panphili* de *Narvaez* mancipium ſatis fuit vaſtiſſimis Americæ regionibus hanc populorum vaſtatricem Peſtim concedere. Poſt *Maurorum* in *Hiſpaniam* adventum nemo inficias ire poterit, Variolas hominum commercio ab hac in illam civitatem, ab una in aliam regionem per contagii propagationem perpetuo circuitu fuiſſe aſportatas. Abſque humano igitur contagio, non vero abſque contagioſis *miaſmatibus* quilibet *epidemicus* morbus in omnium mortalium primo, qui eodem laboravit, genitus eſt; idque in ipſius domicilio ſæpiſſime contigiſſe, atque hodienum contingere poteſt.

§. 42. Reliquum eſt, ut inſpiciamus an hac ſuper re *Swietenii* mens eadem ſibi perſtet? „ *Minime*, inquit, (*a*) *dubium eſt malo ſex rerum nonnaturalium uſu morbos poſſe produci, & quidem tales, qui plures ſimul invadunt homines, ſi idem in cibo, potu &c. vitium pluribus commune fuerit, ſic v. g. in annonæ penuria, in urbibus obſeſſis ob uſum frumenti ſitu corrupti, defectum cibi vegetabilis, aquæ putridæ potum, & his ſimiles cauſas varii morbi oriuntur, qui plurimos corripiunt, ſi iiſdem cauſis obnoxii vixerint. Attamen ex his vitiis rerum nonnaturalium haud intelligitur* latens illud, *quod reliquos morbos mutat in ſua indole ad* epidemicorum morem. *Illi enim, qui in eodem loco degunt & meliori victu uti poſſunt, ab his morbis immunes manent .... Unde errores in diæta commiſſi prædiſponere quidem poſſunt corpus, ut facilius & gravius a cauſa alia* occaſionali, *ſive* excitante, *afficiatur*; ſed abſque hac nunquam ſoli morbum epidemicum *excitabunt .... Ergo concludere licet cauſam illam* excitantem, *ſive* procatarcticam, non eſſe quærendam in abuſu, ſive vitio, ſex rerum nonnaturalium . . . . *Sed illam longe minus obviam eſſe; ita ut exercitatiſſimi quoque Medici falſi ſæpe fuerint ſe penitus ignorare latentem illam epidemicorum cauſam, quæ tantum ſuis effectibus in corpore humano ſe manifeſtat*, dum propria & ſpecifica

(*a*) Tom. IX. in Boerhaav. §. 1406. p. 124. ſeq.

ciſica *ejus indoles ignoratur* . . . . *Quæ omnia ſi rite conſiderentur* , patebit epidemicorum naturam & indolem non poſſe deduci a vitio ſenſibili ſex rerum nonnaturalium ,, Et alibi (*a*) ſubdit ,, *Hactenus dicta ſatis evincunt cauſam morborum* epidemicorum *in aere quærendam eſſe*. *Verum quid ſit illud in aere* , *quod noxam hanc faciat* , *ſummam habet difficultatem*. *Notabilis quidem in aere mutatio ſenſibus obvia*, *diverſis anni temporibus*, *& aliis de cauſis obſervatur*, *dum* calidus , frigidus , humidus, ſiccus, gravior, levior *eſt hoc illove tempore*, *& ab illis ſenſibilibus aeris nos ambientis qualitatibus ſolida ac fluida noſtri corporis mutari certum omnino eſt*, *ſic ad hos illoſve morbos magis aut minus diſponi*; *quæ omnia collegit celeberrimus* Boerhaavius, *ubi de morborum cauſis agit* . . . *Adeoque licet aeris qualitates minime ſint negligendæ Medico*, *dum morbos conſiderat* ; *tamen* non videntur ſufficere ad intelligendam morborum epidemicorum indolem. Sydenhamus , *qui tanta cum cura morborum* epidemicorum *indolem rimari conatus eſt*, *candide fatetur quod diverſas diverſorum annorum habitudines*, *quoad manifeſtas aeris qualitates*, *maxima qua potuit diligentia*, *notaverit*, *ut cauſas tantæ* epidemicorum *viciſſitudinis expiſcaretur* ; ſed operam ſe perdidiſſe. *Animadvertit enim* annos, *quoad manifeſtam aeris temperiem* , ſibi plane conſentientes , diſpari admodum morborum agmine infeſtari , *& viceverſa*. *Minime miror igitur me feliciorem non fuiſſe tanto viro* , *dum per decem annos continuos ter de die altitudinem barometri*, *thermometri*, *ventorum directionem & vim*, *pluviæ cadentis copiam*, *aeris tempeſtatem variam*, *morbos*, *egrotantium numerum uti & mortuorum ſollicite notavi*. *Non tamen laboris pœnituit*, licet inde circa morborum epidemicorum originem *doctior non evaſerim* ,,. Expendant itaque veritatis ſtudioſi , an modo per *Swietenium* expoſita apprime quadrent , & amice congruant cum ſua (§. 37.) Variolarum theoria.

 Con-

(*a*) Ibid. §. 1408. p. 136.

Concluſio quarta.

Quum ipſo *Swietenio* ſanciente (§. 41.) nullis certis conſtet obſervatis Variolas ſponte & abſque contagio in *Europa* natas fuiſſe, & vero ſimilius ſit per contagium ab aliis regionibus ad nos eſſe delatas; quumque nulla totius Europæ vel paludoſa morbidaque loca (§. 23. 24. 41.) aliquem unquam *contagioſum* morbum generare potuerint, manifeſtam implicat contradictionem, Variolas a manifeſtis atque ſenſibilibus ſex rerum nonnaturalium vitiis, ſive ab ignorato aliarum cauſarum concurſu, ſponte & abſque ullo in humanis corporibus, neque in ipſis cauſis præexiſtente exotico contagio, *apud Europam* unquam produci poſſe.

Refellitur Hypotheſis nona: *Variolarum cauſa aer eſt; non quatenus purus, ſed miaſmatibus in centro terræ ſucceſſu temporis ſenſim genitis, & tempore, quo illæ in homines inceſſerunt, eruptis, inquinatus.*

§. 43. III. *Franciſcus Boiſſier de Sauvages*, ſubverſis variis hypotheſibus, ſequentem ſtruxit (*a*) Variolarum efficientem cauſam: „ *Verum*, ait, *quid in tanta opinionum varietate, tantaque rerum caligine ſentire poterimus, quod ad veritatem accedere videatur? Nos igitur minus a veritate aberrare exiſtimamus, ſi in cauſa Variolarum inveſtiganda ducem experientiam habeamus: Verum obſervamus Variolas Regna & Imperia vaſtare, incolaſque ejuſdem regionis multos ſimul invadere, nec non inter pecora graſſari, & ſæpe febres malignas & peſtem ipſam antecedere, comitari, aut ſubſequi. Ex eo quoque concludimus* Variolas a cauſa generali & univerſali, *quæ omnibus ſimul hominibus & pecudibus ejuſdem regionis ſit* communis, produci. *Verum nibil ſic commune eſt præter* aerem, *vel* cibos: *Igitur* a vitio aeris *vel* ciborum *Variolas deducere rationi ſat conſonum videtur: ſed Variolæ* a regione in regionem vagantur, *cibi vero non ſic; igi-*

(*a*) De Morb. Infant. cap. XXX. art. I. p. 142. ſeq.

Digitized by Google

igitur aer cauſa Variolarum merito dici poteſt , non quatenus purus , ſed miaſmatis inquinatus . *Hæc vero miaſmata aeri* terra ipſa ſuppeditat, *quæ in ſinu ſuo principia & mixta cujuſcunque naturæ recondens , ea per aerem* aliquando *copioſe diffundit* , unde morbi epidemici oriuntur , *& inter populos miro modo graſſantur . . . . Verum quoniam in ſinu telluris ſalia corroſiva* a mundi origine fuere, *ideo peſtis eſt morbus antiquiſſimus ; ſecus vero Variolæ*, quarum *miaſmata* non ſemper in centro terræ fuere, ſed ſucceſſu temporis ſenſim *genita*. *Poſſe autem* nova *miaſmata* nunc generari, quæ antea non fuere, *rationi & experientiæ non opponitur* . „ Sic *de Sauvages*. Inter hujus graviſſimi Auctoris , & *Rhazis* , *Sydenhami* atque *Boerhaavii* ſententiam hoc tantummodo intereſt , quod ea illud aeris *peſtiferum* , *aliquid arcanum* a *miaſmatibus diſtinctum* , atque *occultum aeri inhærens*, ab hiſce Medicinæ Præſulibus nunquam aſſequutum , neque a poſteris in ævum extricaturum , minime includat , ſed efficientem hujus morbi cauſam *miaſmatibus* ſcitiſſime attribuit; at in *ſinu telluris noviter genitis*, *aeri ſuppeditatis* , perque *ipſum aliquando copioſe diffuſis* .

§. 44. Si Variolæ , more ac ritu morborum *Conſtitutionalium* (§. 27. 28.) regna , imperia , regiones , civitates, vel ſaltem unum oppidum *repente*, *momento temporis* , *& veluti quodam flatu* occuparent , plurimoſque homines invaderent *uno die* , *unave hebdomada* ; perſpicuum quidem eſſet eaſdem aeri *miaſmatis inquinato* , ut *generali* , *univerſali* , omnibuſque hominibus atque pecudibus *communi* cauſæ, imputandas eſſe ; ſicuti *conſtitutionales* morbi a *magna* vel *repentina aeris mutatione* proveniunt . Verum perpetua experientia demonſtrat Variolas , uti peſtim *vulgarem* , non alio modo regna & imperia vaſtare, ab una in aliam regionem , ab unoquoque in alium locum involare , perplurimos invadere, atque inter pecora graſſari, quam per unum contagioſum ſeminium (§. 15. 16.), ab infecto corpore *contactu*, vel *fomite*, aut *ad diſtans* per circumſcriptum aerem , in alia analoga corpora transfuſum ; nunquam vero omnes *repente* , & *veluti quodam flatu* arripere ; non eſt igitur ,

 cur

cur Variolarum cauſa ab univerſo aere *miaſmatibus*, *per ipſum copioſe diffuſis*, *inquinato* deducatur; ſed ſolis *miaſmatibus*, ſeſe pene in infinitum multiplicandi poteſtate præditis; & *contactu*, *fomitibus*, vel aeris *curto vehiculo ad diſtans* in corpora inſilientibus, perpetuo eſt accenſenda. Ignis ſcintilla vaſtiſſima nemora, ampliſſimos agros, ingentes urbes non ſemel ſuccendit: Attamen *communia* hæc incendia non a cauſa his omnibus *communi*, *generali*, *univerſalique* originem trahunt; ſed a vix viſibili ignis particula, combuſtibilia corpora in ſui naturam tranſmutante. „ *Indi*, ajebat ipſe de Sauvages (*a*) *luis veneree* ſemina Europæis *communicaverunt*; *& iſti Variolas conceſſere*. *Ex eo lues venerea in* Europa prius incognita *inter populos* Europæ *fuit diſſeminata*, *& Variolæ* Indiarum *regna crudeliter vaſtarunt*. „ Aerisne, uti cauſæ *generalis*, *univerſalis*, omnibus *communis*, vitio hæ binæ peſtes, venerea Europæis, variolosa Americanis *incognitæ*, diſſeminatæ ſunt, an unis contagioſis *miaſmatibus*, uti earumdem demonſtrat tranſmigrationis hiſtoria? Porro inter utramque hoc unum intercedit diſcrimen, quod venerea neque *ad diſtans* neque per omnem fomitem contagium ſpargat; inſuper quod non ſit *acuta*, nec tantum *ſemel*, uti Variolæ, ſed iterum atque tertio eumdem corripiat: phœnomena vero circa reliquas contagii proprietates habent quamſimillima. Artis, maxime *Chemicæ*, opera, varia *miaſmata* in regno *animali*, *vegetabili* atque *minerali*, a Mundi primordiis exiſtentia, ſuiſque deliteſcentia involucris, quotidie in medium *veluti nova* erumpunt: & ipſorum varia mixtione alia atque alia tum ſalutifera præſidia, cum lethifera venena exſurgunt. Quiſnam vero has mixtorum corporum in ſua quandoque principia evolutiones *nova miaſmata*, quæ *antea non* extiterint, & *ſucceſſu temporis ſenſim genita* proclamarit? Quis ex potentiſſimis arte productis *miaſmatibus* contagioſum morbum unquam ortum vidit? Sponte autem in rerum natura nova *miaſmata* generari poſſe, ratis Phyſicæ principiis, cunctas res mundo coævas

(*a*) Ibid. p. 138.

Digitized by Google

vas arguentis, ſimul atque experientiæ adverſatur. Nil obſtat itaque, quominus credamus variolifera *miaſmata* mundo coæva per plurima & plurima ſæcula ex ſuo natali domicilio in exteras nationes haud advecta fuiſſe; ſicuti Lepræ *miaſmata*, jam *Moyſis* diebus, quindecim, nimirum, ſæculis ante Chriſtum natum, per *Ægyptum*, *Arabiam* atque *Paleſtinam* longe lateque vulgata, *Europæ* non prius inclaruerunt, quam noſtræ æræ ſæculo duodecimo, poſt ſuſceptas ad *terram Sanctam* recuperandam belli expeditiones, & præſertim ejus militum multitudinis Lepra coinquinatæ in Europam regreſſu: quæ quidem, erectis per omnes *Europæ* provincias frequentiſſimis noſocomiis, ſæculo decimoſeptimo prorſus a nobis exulare coacta (*a*), nunc in *Ægyptios*, *Arabes*, *Javanoſque* (*b*) veluti *endemica* graſſantur.

Hypotheſis decima, *Variolæ ab inviſibilibus animalculis per aerem volitantibus, ſeſeque generatione multiplicantibus, proficiſcuntur*, inextricabili obnoxia eſt objectationi.

§. 45. Artis medicæ atque Naturalis Hiſtoriæ diligentiſſimi Viri Variolarum efficientem cauſam Vermiculis, per aera volitantibus, adſcripſerunt; quinimo Ill. *Reaumur*, Swietenio (*c*) referente, hiſce Inſectis, inſpiratione, cibo, potu, extima ſuperficie humanum corpus ingredientibus, cunctos *epidemicos* morbos produci poſſe affirmavit. Ab hac equidem *hypotheſi* fere omnia Variolarum phœnomena perbelle queunt explicari, verumtamen & ipſa haud minori quidem vi, quam *Rhazis* aer peſtiferus, occulta *Sydenhami* aeris diatheſis, aliquod aeri inhærens Boerhaavii, *Huxhamii* depravata atmoſphæra, atque aer *miaſmatis* inquinatus *Sauvageſii*, ad inevitabilem illidit ſcopulum, quem laudatus *Swietenius* (*d*) ſic deſcribit: „ *Si minimorum animalculorum* in aere congeries *cauſa*

(*a*) Conf. *Swieten* tom. IX. in Boerh. §. 1382. p. 15. 16.
(*b*) Conf. *Hoffman.* Opuſc. Pathol. pract. decad. II. diſſert. IV. §. XXV. p. 172.
(*c*) Tom. IX. in Boerh. §. 1408. p. 141.
(*d*) Ibid. p. 142.

ſa foret peſtis, *& aliorum morborum*-epidemicorum, *non poſſet intelligi*, *quomodo per* ſeveram euſtodiam peſtis arceri queat, ne ex una regione in aliam vicinam tranſeat; *quod tamen toties factum fuiſſe hiſtoria docet. Omnes cuſtodes quantumvis etiam armatos falleret talium infectorum in aere hærentium agmen.*„

§ 46. En implicationes, ambages, ac nexus, quibus vel præſtantiſſimi Æſculapii Variolarum, reliquorumque *epidemicorum* morborum *Pathologian* antehac undique impediverunt. Ubi igitur pro mea virili hæc ſatis perſpecta habui, haud immerito Variolarum doctrinam *Gordii* vinculo comparari poſſe autumavi: miratuſque tot doctiſſimos viros in re tam gravi fatiſcentes, ſatius duxi cum Ill. *Tyſſotio* (a) *Diemerbrocchii* verba uſurpare, *hæc ſunt ex illis arcanis*, *quorum cauſas nos exacte ſcire noluit altiſſimus Conditor*, meque a tam improbo inutilique labore manumittere, quam, ignoratis Variolarum *origine* atque *cauſa*, circa hujus morbi *naturam* verba cum reliquis, vel enigmata poſteris tradere.

Novus ad hunc laborem reſumendum impulſus.

§. 47. Tres exceſſerunt anni, quo de Variolarum *Pathologia* evolvenda amplius ne cogitaveram, quum bina infortunia, ut id oneris iterum ſuſciperem, me impulerunt. Vigeſimo quinto die menſis Aprilis anni 1785. rabida canis dilectum quatriennem nepotem meum Salvatorem infeliciter momordit: Decimo vero die Maii ejuſdem anni Mater ejus Domina Venera fungorum veneno, irritis hactenus vulgatis præſidiis, præcociter extinguitur, triginta octo annos nata, octo liberorum parens, mulier vere fortis, moribus integerrima, ab omnibus complorata. Die decimo Junii illius triſtiſſimi anni *Hydrophobiæ* paroxyſmus nepotem inceſſit, quem certe amiſiſſem, ni ſpiritus primum *vitrioli* ad guttas duodecim, dein *ſulphuris* æqualis doſeos ex aqua plantaginis & ſirupo myrtillorum per vices exhibitus

(a) Inocul. Giuſtif. art. V. not. § XVII. p. 31. Trad.

tus ab orci faucibus cum abriperet. Hujuſmodi hi fuerunt caſus, ut in altum animi mœrorem me conjicerent. Hominum enim conſortium, atque librorum ad rem medicam pertinentium lectionem adhuc nolens ſum averſatus. At interim & fungi, & canis rabidi venenum Variolarum de vermiculis *hypotheſim* ſæpiſſime in memoriam revocabant.

§. 48. Per idem tempus ad aliquid animi levamen aucupandum virum adieram, cui parens rerum natura ſuorum arcanorum nonnulla, quamoccultiſſime hactenus aſſervata, in lucem edenda tradidit, immortalem *Carolum Bonnetum*, Genevenſium Ingeniorum gloriam atque ornamentum: abs quo hæc edoctus (a): *Haud probe infertur rem aliquam inexplicabilem eſſe, quod veteres nec recentiores explicarunt; quinimo rationi ſummopere conſentaneum eſt exſpectare, ut obſervationes noviter factæ atque detectæ, accuratioreſque in rem ipſam perquiſitiones ad illas nos ducant phænomenorum evolutiones, quas prius nec mente concipere poteramus: cujuſque rei cauſæ ignoratio haud probro imputari cuique debeat, qui illam inquirat*; aliud & hæc incitamentum mihi addere videbantur ad id oneris ſubeundum. Tumebat in me interim ad *melancholiam* uſque hypochondriaca affectio; unde, ut mihi imminens tam grave malum profunda ſaltem rerum diverſarum meditatione extruderem, tantis impellentibus cauſis morem tandem me gerere ratus ſum. Conſilium itaque inii in pertractanda Variolarum doctrina viam ingredi a nemine, quod ſciam, hactenus tritam, *rimandi*, nimirum, *introſpiciendique*, *quænam intercederet peſtim inter atque Variolas analogia ſive affinitas*, *atque quid horum morborum cuique fuerit proprium & peculiare*, *quid vero ambabus commune*, *una eorumdem appoſite inſtituta phænomenorum comparatione*: aliquid emolumenti humano auguratus generi, ubi peſtis cum Variolis comparatio votis reſponderet.

§. 49. Varias itaque variarum ſpecierum peſtilitatum diſſer-

(a) Tom. I. contempl. della natur. tradot. dall' Abate Spallanzani Prefaz. p. 55.

Digitized by Google

ſervationes ad inſtitutum aſſequendum perlegi ; at non alio quidem bono , quam quod quamcumque pene earumdem ſpeciem noviter in *Europam* advectam fuiſſe compererim : cæterum hypotheſibus obrutas fere omnes inveni . Ulteriori randem perquiſitione binas conſequutus ſum peſtis hiſtorias opinationibus haud conſpurcatas, ipſarumque Scriptorum auctoritate graviſſimas ; & quidem *primam* omnium antiquiſſimam a *Thucydide* incohatam , & a magno *Hippocrate* abſolutam , peſtis nimirum illius , quæ *Athenienſes* totamque *Græciam* peſſime mulctavit ; *alteram* , a Clariſs. *Howelo* ex gravi Auctore *Procopio* excerptam , peſtis illius , quæ *Conſtantinopolim* univerſamque pene *Europam* depopulata eſt .

§. 50. Dum vero *Athenienſis* peſtis hiſtoriam accuratius intimiuſque animadverterem , vel ſub initio mirari non deſtiti *Thucydidem* atque *Hippocratem* illam nunquam *peſtis* , ſed *morbi* , & *ſacrorum ignium* nomine ubique donaſſe . Ubi autem hujus *morbi* , horumque *ſacrorum ignium* phœnomena atque ſymptomata cum Variolarum phœnomenis atque ſymptomatibus compararem ; ipſorumque *ortum* atque *originem* animo volutarem , comperi hos graviſſimos Scriptores non peſtim vulgarem ſive *bubonicam* , uti hactenus ab omnibus creditum , ſed peſtim Varioloſam adamuſſim deſcripſiſſe .

§. 51. His compertis , genuinum Variolarum *Domicilium* , ſimul & certum *Ævum* ipſarum in *Europam* ingreſſionis , circa quæ antehac præclariſſimi Medici fruſtra inſudarunt , adinveniſſe viſus ſum , uti & *Demonſtrationem* , quod *Variolæ*, *quum Europæis Nationibus ſint exoticæ*, *facillimo negotio ab his exturbari queunt*, *uti queunt & ceteri epidemici morbi Europæ etiam alienigeni*.

§. 52. Nos quod itaque urget , id unum quidem eſt , ineluctabilibus nimirum rationibus , ex intima Variolarum & *epidemicorum* morborum perſpecta & veluti extricata natura erutis atque deductis , evidentiſſime propoſitam horum morborum *Extinctionem* executioni peraptam demonſtrare ; poſtquam in apricum ſimul poſuerimus & Variolas

Digitized by Google

las & cunctos *epidemicos* morbos procul ab *Europa* ſuum habere domicilium: quod, ni fallimur, evictum iri confidimus.

§. 53. Horum vero morborum propoſita extinctio ut ſuum ſortiatur effectum, nec noſtri, nec privatorum cujuslibet, ſed ſapientiſſimorum totius *Europæ* Principum heroicum, utileque opus erit. Nec ulli dubitamus, quin ipſi, uti Reipublicæ Patres & populorum felicitatis Promotores, nec minus eorumdem vitæ ſanitatiſque Cuſtodes, collatis in unum viribus, hos *exoticos* morbos legibus executioni aptiſſimis a ſuis nationibus exulare nitantur, ut vetuſtiſſimum nitorem, amiſſum robur, maſculam virtutem, &, quod ſummum, antiquam & hucuſque fruſtra quæſitam hominum multitudinem, bonorum omnium fontem, ingenti ſuorum ærariorum emolumento, *Europæ* jam pene exhauſtæ aliquando reſtituant.

§. 54. Haud inficias imus futuros eſſe nonnullos, qui contendent contagioſis morbis coinquinatorum hominum per nos proponendam *Separationem*, ab *Hippocrate* ad noſtros hoſce dies cunctis Medicis notam atque perſpicuam fuiſſe. Quidni, mehercule notam, perſpectam, omnibus cognitam? Attamen a *Rhaze* ad noſtra uſque tempora univerſa *Europa* hiſce epidemicis morbis depopulata fuit, & hodienum magis infeliciter vaſtatur; quoniam ab omnibus omiſſa Variolarum, *epidemicorumque* morborum *hypotheſium* accurata diſquiſitio, quæ eas peſſumdat, quæque diras contentiones, quas ingeniolum meum perpeſſum eſt, antequam id genus præſidii profundis involucrorum latebris contectum, atque inexplicabilibus vinculis obſtrictum in lucem ederet ſimul & evolveret, apertiſſime demonſtrat, *ſeparationis* notitiam cognitionemque inutilem reddidit, nulliuſque emolumenti. Quid? Bataviæ per *Boerhaavium* (*a*); Germaniæ per *Van-Swietenium* (*b*);

 Bri-

(*a*) Aphor. de cogn. & cur. morb. §. 1390. 1391.
(*b*) Tom. IX. in Boerhaav. §. 1391. p. 48.

Digitized by Google

Britanniæ per *Dimſdale* (*a*); Galliæ per *de la Condamine* (*b*); Italiæ per *Anonymum* (*c*) exhortationes omnibus *Europæ* Medicis factæ, ut *ſpecificum* adverſus Variolas Antidotum indagarent; ſimul & ad ſummos *Europæ* Principes porrectæ preces, ut leges interponerent, quibus inſitiva Variolarum *prophylaxis* longe lateque promoveretur, meridiana luce clarius manifeſtant, quid de noſtra propoſita Variolarum *Extinctione* Europæ Medici hucuſque intellexerint. Quid? Hominum clades *Auſtriæ* & *Hungariæ* anno 1713. (*d*); *Maſſiliæ* anno 1718. (*e*); *Meſſanæ* anno 1743. (*f*) a peſte *bubonica*, ut reliquas prætereamus; a contagioſis vero morbis, ut unum hic apponatur exemplum, prætermiſſis aliis innumeris, *Plymuthi* annis 1729. 1733. 1734. 1737. 1740. 1742. 1743. 1744. 1746. (*g*) immaniter peractæ, perſpicue docent præſidium noſtrum *prophylacticum* nondum appoſite fuiſſe uſurpatum, nec unquam *Europæ* totius Medici phyſicam illius rationem, qua fulcitur, ſatis perſpectam, atque demonſtratam habuiſſe. Noſtri igitur Inſtituti cardo circa proprium Variolarum *Domicilium*, atque *Aetatem*, qua in Europam irrepſerunt, totus vertitur: quæ hactenus a nemine, quantum ſcimus, inventa ſunt.

§. 55. Sophos interim noſtrorum temporum humanitatis Protectores, qui almam *Europam* hominibus exhauſtam complorant, animum quæſo in hæc intendant, atque juſta perpendant lance, num inter varias, quas enumerant, ejus depopulationis cauſas, patratæ a Variolis contagioſiſque morbis per tot ſæcula mortalium ſtrages reliquis omnibus principatum præripiant. Literatiſſimus quidem ac philoſophicis diſciplinis apprime excultus, recens Siciliæ ornamentum, *Joan. Auguſtinus de Coſmi*, *Scholarum Normalium* nuper inſtitutarum, Re-

(*a*) Nuovo metod. d'inneſt. Introd. p. 5. trad.
(*b*) Mem. I. ſull' inneſt. p. 1. 2. trad.
(*c*) Prefaz. all' ediz. Napoletana della citata Memoria.
(*d*) *Genſel.* apud Sydenh. tom. I. p. 512. ſeq.
(*e*) *Richa* apud Sydenh. tom. II. p. 540. ſeq.
(*f*) Stor. dell' anno 1743. p. 247.
(*g*) *Huxham* de aer. & morb. epid. tom. I. & II.

Regis juſſu, in toto Regno jam Moderator, in ſuo perquam abſoluto Opuſculo (*a*), indubitato aſſerit, auctam Civitatis *Catanenſis* multitudinem inſitivæ Variolarum *Prophylaxi* maxima ex parte deberi. Quid non igitur cunctis Europæ Nationibus erit præſtitura, ad hominum comparandam frequentiam, hujus Peſtis, reliquorumque contagioſorum morborum omnimoda *Extinctio?*

§.56. Enimvero, confecto per Dominum *de la Condamine* (*b*) adhuc mitiori calculo ex necrologicis obſervationibus quadraginta annorum, *Lutetiæ Pariſiorum*, octingenta hominum millia comprehendentis (*c*), mille quadringenta quadraginta ipſorum quovis anno Variolis extinguuntur; & in omni *Gallia*, ſexdecim centies centena mortalium millia enutriente (*d*), intra annum ultra viginti octo eorumdem millia varioloſa occumbunt peſte. *Londini* (*e*) poſt admiſſam & exeultam Variolarum inſitionem, per notata quadraginta duorum annorum necrologia, hominum ſexaginta quinque millia & ſeptuaginta duo Variolis naturalibus perierunt. Ex Domino *de Voltaire* (*f*) anno 1723. *Lutetiæ Pariſiorum* viginti incolarum millia Variolis ſunt occiſa. Si itaque ſtemus citati *de la Condamine* calculo, demuſque univerſam *Europam* hodienum intra ſuos vaſtiſſimos confines hominum millies mille millia & quindecim centies centena millia ſolummodo continere; patet apud Europæas Nationes quovis anno bis centum ſaltem hominum millia, quorum maximam partem, imo totam, infantes atque pueri humani generis propagationi deſtinati conſtituunt, trucidari. Igitur intra breviſſimam quinquaginta annorum hominis ætatem Variolæ apud *Europam* decies centies centena puerorum millia e medio tollunt. Occæcatos ab hac peſte, decurtatos, aurium & oculorum per-

 pe-

(*a*) *Commentario alle riſleſſioni su l' Economia, ed Eſtrazione de' Frumenti della Sicilia* num. VIII. pag. 47. Ediz. di Catania 1786.
(*b*) Memor. I. ſull' inneſt. p. 109.
(*c*) Ibid. p. 66.
(*d*) Ibid. p. 110.
(*e*) *Tralles* vexatiſſ. &c. apud de Haen tom. III. Opuſc. Phyſ. med. quæſt. II. p. 97.
(*f*) *Tiſſot* Inoc. giuſtif. p. 99. trad.

petuis fiſtulis mulctatos, puellas deturpatas, quæ non ad menſes duos, uti *Jephtis filia*, ſed per totam vitam virginitatem ſuam, non ſine ſocietatis perturbatione, plorare coguntur, prætereo: tantummodo cordatos Viros obteſtor, adeant generationis calculum, ab uno conjugio intra ſæculum unum promanantis, per Cl. *de Maupertuis*, in quadam ex ſuis philoſophicis epiſtolis, quarum copia mihi nunc præſto non eſt, initum: quo, aucta ratione a binis ad bis centum hominum millia, quotannis apud *Europam* Variolis peremtorum; hiſque additis naſcendis ex peremtis, & qui ab illis nati fuiſſent, computent innumeras millies mille millium perditorum myriades: tum adjiciant, ſi fas erit, calculum centenarum millium mortalium, qui intra *Europam* unius anni curriculo *Morbillis*, *Purpura*, *Miliaribus*, *Petechiis*, *Dyſenteria*, *Angina*, aliiſque *contagioſis* febribus præcoci pereunt fato, & ubi, quot intra ſæculum ex his reliquis generari potuerint, reſciverint, penſitent num horum omnium mortuorum atque non natorum numerus qualemcumque imaginationis vim exſuperet.

§. 57. Hoc quidem pacto claram ipſi habebunt largifluam mortium originem, unde in *Britannia infinita illa hominum multitudo*, quam vel admirans Cajus Julius Cæſar (*a*) adnotavit, nunc dierum ſummopere deſideretur; unde princeps olim provinciarum pulcherrima ſacraque Roma, quæ ſub *Claudio Nerone* (*b*) octogies centies centena millia incolarum numerabat, hodie vix centum & octoginta millia foveat. Hoſtilia equidem civiliaque bella vetuſtis illis temporibus poſteriorum frequentiora & cladibus infeſtiora fuere: hæc autem virorum robur infirmabant, quod ſalva puerorum caterva quantocyus Reipublicæ reſtituebat. Peſtis ipſa *bubonica*, poſt longa temporum intervalla recurrens, feraciſſima hominum germina vel ſeneſcere linquebat: ubi vero Variolæ reliquique contagioſi morbi in *Europam* irrepſerunt, cunctas ipſius regiones perpetuo circumvolitantes, indefeſſa cruen-

(*a*) De bell. Gallic. lib. V. cap. VIII. p. 145.
(*b*) Comazzi Politic. e Relig. tom. IV. cap. XC. §. II. n. XI. p. 134.

Digitized by Google

cruentaque ſua falce humanæ generationis propagines maxima ex parte obtruncarunt, etiamnum obtruncant, inque poſterum, niſi extinguantur, obtruncare non deſinent.

§. 58. Rationes, præcepta, leges, quas humaniſſimi Viri expoſtulant ad humani generis frequentiam apud Nos aſſequendam, ſi non prorſus irritas, ſummopere ſaltem infirmas judicari debent, tot innumerabilium præcocium mortium manente vigenteque cauſa. Quod ſi noſtrum *prophylacticum* præſidium ad hos omnes epidemicos morbos extinguendos aptum, firmum atque inconcuſſum reperierint, eoſdem oramus obteſtamurque noſtros apud Europæ Principes ut juvent labores, conatuſque ſublevent; quo &, quod diligunt, genus humanum a tot infauſtis malis illæſum ſervare, &, quam perardenter amant, *Europam*, breviſſimo temporis curſu, ſuis oculis, uti candide opto, vegetam, pulchriorem robuſtioremque aſpicere valeant.

§. 59. Quod reliquum eſt hoc in Opere præter certarum obſervationum collationes ſive *analogias*, & concluſiones ſeu *corollaria*, ex nuda, haud vero hypothetica, ratorum factorum contemplatione vel ſponte profluentia; atque inventum Variolarum *Domicilium*, inque Europam *primam* earumdem detectam *Incurſionem*, nil, quod hactenus vulgatum non ſit, reperietur. Si quod autem ex demonſtratis rationabilius emerget *Principium*, quo noviſſimis diebus morborum omnium *Pathologia* facilius fortaſſe enucleari potuerit; id quidem haud noſtro nimium infirmo ingeniolo, ſed collectarum obſervationum atque factorum firmo ſimplicique nexui tribuendum erit. Quæ vero phœnomena certis obſervationibus explicari nequiverint, problemata conſtituent felicioribus ingeniis evolvenda. Inde eſt, ut vetuſtiorum ſimul atque recentiorum indubias obſervationes iiſdem verbis, ac in ſuis extant codicibus, maxima ex parte excripturi erimus; tum ut ſuam cuique laudem poſteritas rependat, tum quia præſens Inſtitutum non contractæ elocutionis, qua nos cæteroquin deſtituimur, oſtentationem, ſed *epidemicorum* morborum in Europa *Extinctionem* opperitur. Tantum vero abeſt, ut hoc Opus numeris omnibus

cre-

Digitized by Google

credamus abſolutum, ut potius non ſolum male dolatum, ſed pene informe profiteamur. Tempus, mentis quies, bibliotheca ſelectis codicibus referta, linguarum peritia, literatorum ſocietas, prægrande ingenium ſobrio fultum judicio, & quamplurima alia abs re tam gravi exoptata, nobis, veluti extra mundi confinia incolantibus, in oppidulo nimirum, quod tantum non quotidie *horrificis juxta tonat Aetna ruinis* [*a*], fere omnia defuerunt: ſolummodo non defuit ardentiſſimum humani generis juvandi deſiderium; unde piaculum duximus, ſolo cenſuræ metu, operis editionem protrahere, etſi fortiori longiorique lima expoliendum fuiſſet: probe gnari haud defutura feliciora ingenia, quæ, ubi id probarint, faciliori via noſtro digito commoſtrata morborum *epidemicorum* hactenus haud probe cultam Provinciam ineuntia, uberiores, maturioreſque fructus, Reipublicæ perquam optime profuturos, ex eadem auſpicato educere valeant.

Totius Operis unica Propoſitio demonſtranda.

§. 60. *Epidemici morbi omnes tam* acuti, *quam* chronici *toti* Europæ *nunquam indigeni*, *ſed* exotici *fuerunt*, *uti etiamnum exiſtunt*. *Iidem cauſa haud generica ſed tantum ſpecifica inter ſeſe differunt*, *& ut in phænomenis ſaltem præcipuis omnes conveniunt*, *ſic unum poſſident commune & infallibile* prophylacticum *præſidium*.

§. 61. Hanc unicam Propoſitionem [§. 60.] ut veram evincamus ac dilucide demonſtremus, Opus binas in partes diſpeſcatur neceſſe eſt. Pars prima *analogicam Demonſtrationem*, qua *Athenienſium morbus* a *Thucydide*, & *ſacri ignes* ab *Hippocrate* deſcripti, haud peſtim *bubonicam*, ſed Varioloſam conſtituiſſe probatur, ſimulque nudam ſimpliceemque peſtis *bubonicæ* omni ex latere perſpectæ cum Variolis

(*a*) Virg. Æneid. III.

Digitized by Google

riolis comparationem, comprehendet: unde Variolarum *Domicilium* atque prima in *Europam Irruptio* enucleantur. Pars poſterior Variolas, peſtim *bubonicam*, reliquoſque *epidemicos* morbos *Europæ* exoticos; ſpecifica tantum cauſa, non vero generica diſcretos; generalibus phœnomenis convenientes, & unicum *prophylacticum* poſſidentes præſidium, demonſtrabit.

PARS

PARS PRIMA.

§.62. Peſtim vario ac multiplici perſonatam vultu incedere, quotquot fere de eadem accurate pertractarunt, Auctores animadvertere non omiſerunt. Perſimillima quidem fabuloſo monſtruoſoque illi Proteo, qui vinculis coercitus facile fugam capiet,

> *Fiet enim ſubito ſus horridus, atraque tigris,*
> *Squamoſuſque draco, & fulva cervice leæna,*
> *Aut acrem flammæ ſonitum dabit, atque ita vinclis,*
> *Excidet, aut in aquas tenues dilapſus abibit* (a);

diverſas & ipſa induit morborum formas. *Naſcuntur*, inquit Cl. *Valleſius* (b), *peſtilentiæ genera longe diverſa nunc cum bubonibus, nunc cum ulceribus, nunc cum maculis*. Ill. Hippocraticæ Medicinæ Reſtitutor *Ballonius* (c) ſic fatur: *Omnium morborum peſtilentium non eſt eadem idea; non eadem forma, non idem ſolutionis modus*: & Cl. *Barbette* (d) hæc loquitur: *Licet omnium ſæculorum peſtilentias diligenter percurras, tam mutabilis ſemper fuerit, ut nullam omnino invenias, quæ adamuſſim cum alia conveniet*. Quacumque vero diverſitate donantur, ſi Peſtilitates fuerint, in unum omnes convenire debeant, quo unaquæque ipſarum peſtis vocari mereatur. Febres quidem *ephemera*, *tertiana*, *quotidiana*, *quartana*, *remittens*, *ſynochus*, *cauſon*, Febris nomen accipiunt a pulſus celeritate & frequentia, quibus omnes conveniunt: quicquid Novatores ſyſtematibus, hypotheſibuſque addicti in contrarium ſenſerint; quum abſente hoc pathognomonico ſigno, alterius quidem ægritudinis, ſi ægrotus moleſtiis exerceatur, haud vero Febris præſentia poſſit

(a) Virgil. Georg. lib. IV.
(b) Præf. in VII. libr. Epidem. Hipp. p. 2.
(c) Lib. II. Conſ. Med. Hiſt. V. Comm. p. 105.
(d) Apud Manget. tom. IV. B. M. P. p. 20.

Digitized by Google

poſſit prædici. *Bubonicæ* igitur peſtilitates, *ulceroſæ*, quales Variolæ, Morbilli, Roſolia; *maculoſæ*, quales petechiæ, purpura, miliares; *dyſentericæ*, *anginoſæ*, *cephalalgicæ*, qualis morbus *Hungaricus*; *tuſſiculoſæ*, qualis morbus *verveci-nus*, & aliæ acutæ peſtilitatis ſpecies, ut peſtis vocabulo inſigniantur, genericum phœnomenon omnibus *commune* poſſidere debent. Id generis nullum aliud reperiri poterit præter unum contagium, uti §. 20. evictum eſt; quod quidem illius eſt ponderis ac momenti, ut quicunque morbus, *acutus* ſit, vel *chronicus*, contagio munitus fuerit, procul dubio, ex peſtilitatum ſpeciebus una erit peſtis. Haud recte igitur *bubonica* tantum lues pro veluti unica peſte a ſcholis Medicis fere omnibus hactenus habita fuit; quinimo & minus recte in hac ipſa decernenda alia atque alia quæſita ſunt ſigna ac phœnomena præter ſolum contagium; quo prætergreſſo, tunc demum vel peritiſſimi Medici *bubonicam* hucuſque peſtim agnoverunt, quum ipſa multa hominum excidia cumulaverit. Variolæ igitur haud per excellentiam, ſed natura ſua ab aliquibus peſtis nomine donatæ ſunt.

§. 63. Ad detegendum vero Varioloſæ peſtis domicilium ſimul & primum ipſius in Europam ingreſſum, *Thucydidi*, magnoque *Hippocrati* operam demus oportet. De illo *Dionyſius Alicarnaſſeus* [a] inter cætera egregiæ ſuæ laudis dona ſummum & eximium prædicat, *quod neque mendacium ultro dixerit*, *neque ſuam ipſe conſcientiam prodiderit*. Hippocratem Macrobius [b] *tam fallere*, *quam falli neſcium* aſſeverat.

§. 64. Analogiæ igitur ratio expoſtulat, ut *Thucydidis* atque *Hippocratis* Variolarum, ſub *Morbi* & *Sacrorum Ignium* nomine, deſcriptionem, ad faciliorem explanationem ſimul atque intelligentiam, in aptas paragraphos, ſucceſſivo, pro ut Opus incœptum fuit, ordine diſpeſcamus.

K §. 65.

(a) Apud Ballon. lib. I. epid. de illuſtr. Medic. Pariſienſ. p. 1.
(b) In Somn. Scipion. lib. I. cap. VI. p. 41.

Digitized by Google

§. 65. Athenienſium *Morbi* per Thucydidem deſcripta hiſtoria, ex Codice *cum notis Caroli Andreæ Dukeri & aliorum, Amſtelædami apud R.* & *T. Weſtenios, & Gul. Smith* 1731. *hiſt. II. pag.* 127. ſequens eſt:

Qui Athenienſes mulctavit, Morbus, *a Thucydide & Hippocrate deſcriptus, haud* bubonica, *uti antehac creditum, ſed* varioloſa *fuit Peſtis, tunc primum ab* Æthiopia *in* Græciam *contagio invecta.*

μζ΄. . . . Τοῦ δὲ θέρους εὐθὺς ἀρχομένου, Πελοποννήσιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι τὰ δύο μέρη, ὥσπερ καὶ τοπρῶτον, ἐσέβαλον ἐς τὴν Ἀττικὴν, (ἡγεῖτο δὲ Ἀρχίδαμος ὁ Ζευξιδάμου, Λακεδαιμονίων βασιλεὺς) καὶ καθεζόμενοι ἐδῄουν τὴν γῆν. καὶ ὄντων αὐτῶν οὐ πολλάς πω ἡμέρας ἐν τῇ Ἀττικῇ, ἡ νόσος πρῶτον ἤρξατο γενέσθαι τοῖς Ἀθηναίοις, λεγόμενον μὲν καὶ πρότερον πολλαχόσε ἐγκατασκῆψαι, καὶ περὶ Λῆμνον καὶ ἐν ἄλλοις χωρίοις· οὐ μέντοι τοσοῦτός γε λοιμὸς, οὐδὲ φθορὰ οὕτως ἀνθρώπων οὐδαμοῦ ἐμνημονεύετο γενέσθαι. οὔτε γὰρ ἰατροὶ ἤρκουν τοπρῶτον θεραπεύοντες ἀγνοίᾳ, ἀλλ' αὐτοὶ μάλιστα ἔθνησκον ὅσῳ καὶ μάλιστα προσῄεσαν, οὔτε ἄλλη ἀνθρωπεία τέχνη οὐδεμία. ὅσα τε πρὸς ἱεροῖς ἱκέτευσαν, ἢ μαντείοις καὶ τοῖς τοιούτοις ἐχρήσαντο, πάντα ἀνωφελῆ ἦν. τελευτῶντές τε αὐτῶν ἀπέστησαν, ὑπὸ τοῦ κακοῦ νικώμενοι.

§. 66.

„ 47. . . . *Aeſtate autem ſtatim ineunte, Peloponneſii, eorumque ſocii cum duabus copiarum partibus, ut & ante, in Atticam irruperunt, (Archidamus vero Zeuxidami filius, Lacedæmoniorum Rex illis præerat) caſtriſque in ea poſitis agrum vaſtabant. Cumque nondum multos dies in agro Attico manſiſſent,* Morbus *Athenienſes* primum *aggredi cœpit: quanquam & ante cum in multas regiones invaſiſſe ferebatur, tum etiam in Lemnum, & alia loca. Verumtamen neque tanta Peſtilentia, neque tot hominum interitus uſpiam accidiſſe memorabatur: nec enim Medici,* propter Morbi ignorantiam initio *ægrotis mederi poterant: ſed ipſi potiſſimum eo magis interibant,* quo magis ad ægrotos accedebant; *nec ullâ alia hominum ars illis opem ac ſalutem ferre poterat*

rat. Omnes etiam ſupplicationes ad Deorum templa facta, & omnis opera, qua aut in oraculis ſciſcitandis aut in aliis hujuſmodi rebus uſi fuerant, hæc omnia nullius erant uſus; tandemque victi magnitudine mali hæc miſſa fecerunt".

§. 67. *Aeſtate ſtatim ineunte &c.*) In margine hujus Dukeriani Codicis ſequens chronologia notatur: *Ann.* 2. *Olymp.* 87.÷ *V. C. Varr.* 32.÷ *Poſt. Mart.* 28. Apud *Hippocratem* nullus ſignatur annus. Apud noſtratem *Diodorum Siculum* annotatur (*a*), anno tertio Olympiadis octuageſimæ octavæ Peſtim Athenis recruduiſſe. *Thucydides hiſt. III.* 87. *pag.* 221. hæc præ cæteris ſubdit: *At hyeme ineunte Morbus Athenienſes iterum invaſit .... quum autem eos rurſus eſt aggreſſus, non minus anno integro apud eos immoratus; prius vero, vel per biennium eſt graſſatus*. Tandem ex citato *Thucydidis* Codice, 69. *pag.* 142. & 95. *pag.* 161. inter primum Morbi ingreſſum, ejuſque reverſionem binæ intercesſerunt hyemes. Prima Olympias circa annum ab Orbe creato 3228., & ante noſtram Redemptionem 776. numerari cœpit. Hippocrates anno primo Olympiadis octuageſimæ (*b*) natus eſt. Diſſidium inter chronologiam Thucydidianam atque Diodorianam componere, nobis non datum. Quæcumque ea tamen fuerit, certum eſt Athenienſium morbum, a *Thucydide* atque *Hippocrate* exaratum, anno 424. ante Chriſtum natum eveniſſe, & ſub ipſius in Athenas irruptione, *Hippocratem* non amplius quam triginta & duo ſuæ ætatis annos tranſegiſſe.

§. 68. *Cumque nondum multos dies in agro Attico manſiſſent, morbus &c.*) Si ſtat, uti graviſſimorum Scriptorum judicio conſtat, *Hippocratem lib. III. Epidem. Sect. III.* eamdem Athenienſium peſtem deſcripſiſſe, ac deſcripſit Thucydides, evidens eſt magnum Coum Athenienſium *morbi* regreſſionem ac decrementum, haud vero irruptionem atque progreſſum obſervaſſe. Sic enim, citato libro, ſuam

 exor-

(*a*) Biblioth. Hiſtor. lib. XII. p. 216. edit. Hanoviæ Typis Wechelianis anno 1604.

(*b*) Eloy Dizionar. Stor. della Medic. Tom. III. p. 297. traduz.

Digitized by Google

exorditur ejuſdem *morbi* hiſtoriam: *Ante ver autem una cum frigoribus conſecutis Sacri Ignes plurimi &c.*, quæ quidem haud tam longe diſtant a relatis *Thucydidis* verbis: *At hyeme ineunte morbus Athenienſes* iterum *invaſit &c.*, longiſſime vero abſunt a morbi in Athenas irruptione, ſub æſtatis initium a Thucydide poſita.

§. 69. *Morbus Athenienſes primum aggredi cœpit.*) Thucydides in tota hujus luis deſcriptione illam ne ſemel quidem peſtim, apud homines ſæpius vulgatam, ſed perpetuo *morbum* appellat; quod accuratiori perpenſationi committendum eſt. *Primum.*) Hæc particula certo certius ſignificat morbum, quem deſcripturus eſt hiſtoricus, nec ſcriptis unquam traditum, nec poſt hominum memoriam viſu vel auditu notum fuiſſe, ſed tunc primum Athenienſes inceſſiſſe, quod clarius infra eluceſcet.

§. 70. *Quanquam & ante cum in multas regiones invaſiſſe ferebatur, tum etiam in Lemnum, & alia loca.*) Quum hic unus idemque *morbus* per id temporis, antequam Athenienſes invaderet, per varia loca jam vulgatus fuerit, clareliquet particulam *primum* haud ſignificare hanc luem apud Athenas, priuſquam apud reliquas regiones, graſſari cœpiſſe, ſed antehac, ſaltem Athenis, nunquam eſſe viſam, adeoque tunc *primum* innotuiſſe.

§. 71. *Tum etiam in Lemnum & alia loca.*) Lemnus inſula eſt prope Helleſpontum ſita. Hippocrates *lib. I. Epidemior.* tres enarrat morborum *Epidemicorum* graſſationes, quæ *Thaſum* divexarunt, illiſque præponit anni temporis conſtitutionem, unde conſtat eaſdem annos tres occupaſſe diſtinctos: *Libro* vero *II. ibid. Sect. I.*, omiſſa temporis conſtitutione, *Carbunculos* & *Puſtulas* in *Cranone* vulgatas deſcribit: *Sectione III.* ejuſdem libri, præmiſſa temporis conditione, Febrium *Epidemicarum* in *Perintho* graſſatarum exponit hiſtoriam: *Libro* tandem *III.* eorumdem *Epidemiorum*, *Sect. III.*, præhabito temporis ſtatu, ac nulla facta loci mentione, *Sacrorum Ignium* populariter vulgatorum deſcriptionem perfecit. Ante igitur hos *Sacros Ignes* apud Græciam quatuor excurrerunt anni *Epidemicis* morbis infamati. *Morbus*

Digitized by Google

bus a Thucydide exaratus tres annos Athenas mulctavit, ſed *ante cum in multas regiones invaſiſſe ferebatur*, *tum etiam in Lemnum*, *& alia loca*. *Thaſus* inſula eſt prope *Thraciam*, inſulæ *Lemno* apprime proxima. *Cranon*, *Theſſaliæ* urbs erat juxta *Macedoniæ* fines, uti *Perinthus* urbs *Thraciæ*, *Heraclea* quæ nunc dicitur. Ex *Libro primo* pariter ac *Lib.III. Epid. Sect. I.* ac *II.* manifeſtum eſt, Hippocratem priuſquam Athenas peteret, non ſolum *Thaſiis*, *Cranonibus*, & *Perinthiis*, ſed adhuc *Abderitanis* Thraciæ, *Melibæis*, *Lariſſæisque* Theſſaliæ, *Olynthiis* Macedoniæ, *Helidibus*, *Aeneidis*, *Cizicisque*, Epidemicis morbis ſummopere afflictis opem medicam tuliſſe. Ex ipſius Hippocratis libro de *aëre*, *aquis*, & *locis* eruitur, nullum apud totam *Græciam*, vel *Thraciam*, uti & aliquas Aſiæ, ab ipſo peragratas, regiones extare *Epidemicorum* Morborum domicilium. Si demus igitur, uti *Thucydidis* textus (§.70.) concedi poſtulat, *Morbum* Athenis vulgatum, vel ante unicum annum, *Thaſum*, *Lemnum*, *multasque regiones invaſiſſe*, quinque habemus Morborum *Epidemicorum* hiſtorias ab Hippocrate totidem annis enarratas; ſimulque in apricum veniet, cunctos hos Morbos ab una *Epidemica* cauſa promanaſſe, & quidem ab ea, quæ *ſacros ignes* excitavit; neque ab alia repetemus reliquos in ſeptem (ſi omnes legitimi fuerint) *Epidemiorum* libris relatos, qui populariter ſub varia Morborum facie ſunt graſſati.

§. 72. *Verumtamen neque tanta Peſtilentia, neque tot hominum interitus uſpiam accidiſſe memorabatur.*) Peloponneſiis Atticum agrum vaſtantibus, paganorum, civiumque multitudo Athenas profecta majorem contagioſo morbo facultatem uberius ſeſe divulgandi præſtitit. Jam vero *Thucydidi*, Atheníenſibuſque præſentem *Morbum* cum anteactis Peſtilentiis comparantibus, magnumque diſcrimen invenientibus, Peſtis vulgaris notionem probe innotuiſſe neceſſe erat: attamen hiſtoricus Athenienſium luem perpetuo *Morbum*, nunquam Peſtim vocat, ipſumque cladibus Peſte truculentiorem aſſeverat; igitur non Peſtim *buboníicam*, ſed quidpiam hac ferocius hunc morbum fuiſſe, veroſimile eſt opinari.

§. 73.

§. 73. *Nec enim Medici propter morbi ignorantiam ægrotis mederi poterant.*) Peſtim vulgarem, ſive *bubonicam* Athenienſes perſpectam (§. 72.) habebant: *Morbus* vero a Thucydide deſcriptus vel ipſis Medicis ignotus, inviſus, incompertus advenit. Si hujus igitur Morbi cuncta phœnomena cum Variolarum phœnomenis adamuſſim convenire comperiemus, conſequens erit, ut inde concludamus, Variolas tunc primum in Græciam irrupiſſe. Sit itaque

Analogia Prima.

§. 74. *Verumtamen neque tanta Peſtilentia &c.*) Hic animadvertendum venit mortalium quemlibet, ſemel Variolis affectum, iterum hoc morbo, ſaltem ut plurimum, non corripi; unde eo tempore, quo Variolæ apud Europæas nationes perpetuam poſuere ſedem, maxima certe Europæorum pars ipſas jam paſſa, quum denuo recurrerent, immunis ab eiſdem manſit. Etſi vero hoc Variolarum phœnomenum lethaliſſimam earumdem vim hactenus obtegere aptum fuerit; nihilo tamen ſecius haud deſunt hiſtoriæ, ſummam ipſarum mortalitatem comprobantes. Anno 1723. Lutetiæ Pariſiorum Variolas viginti hominum millia occidiſſe jam ſupra (§. 56.) notavimus. Doctiſſimus *Proſper Alpinus* (*a*) ſcribit: *Quo malo* (*varioloſo*) *anno* 1593. *Venetiis* epidemice *graſſante complures interierunt*. Cl. *Joannes Colle* (*b*): *Anno*, inquit, 1607. *fere totam Italiam, Urbini Ducatum, Durantis Oppidum* (*Variolæ*) *vaſtarunt*. Laudatus *Tralles* (*c*) ait: *Quum anno* 1741. *triſtis Epidemia Variolarum* Uratislaviam *noſtram & confinia ejus devaſtaret &c.* Illuſtris *de la Condamine* (*d*) urbem Romam variolas depopulatas eſſe refert. Hac in Metropoli anno 1768. ex *Thoma Houlſton* (*e*) intra paucas hebdomadas ſex millia mortalium capita variolis ſunt obtruncata.

§. 75.

(*a*) De Præſag. vitæ, & mort. lib. I. cap. XI. p. 31.
(*b*) Tom. I. lib. XI. cap. X. p. 477.
(*c*) Epiſt. Apolog. apud Tom. III. Opuſc. Medic. Phyſ. de Haen p. 25.
(*d*) Memor. II. ſull' Inneſt. del Vajuolo p. 61. trad.
(*e*) Prefaz, al Metodo d' inneſtare del Dottor Dimſdale p. 15. trad.

§. 75. *Propter morbi ignorantiam*) Quid vero regionibus illis, quibus Variolæ omnino ignotæ primitus appulerunt? Eruditiſſimus *Joannes Nardius* incredibilem contagii vim denegantes hortatur (*a*), *ut librent damna, quæ ſæculo decimoſexto rependerunt Indis variolæ, dum advenæ centum myriades ex Mexicana gente paucis diebus neci dederunt*. Celeberrimus Doctor *Robertſonius* aſſerit (*b*), Variolas, quæ circa annum 1720. *Hiſpaniolam* depopulabantur, vetuſtis temporibus, illis orbis terrarum regionibus incognitas extitiſſe, quouſque ab Europæis illuc invectæ fuerint; majoreſque id Morbi genus illis attuliſſe clades, quam immanes invadentium feritates. Audiamus *Liſterum*, quæ ſequuntur, nobis eloquutum (*c*): „ *Nulla cauſa aſſignari poteſt hujus mali generativa ex parte hominis . . . quod integræ Nationes apud Indos occidentales a noſtris Anglis (in Marilandia hoc ſæculo* (XVIII.) *ineunte id accidit) primum illuc advenientibus fere ad internecionem infectæ ſunt; claro documento Variolas non privatim a cauſſa aliqua interna, aut a natura hominis per ſe vitiata, ſed contagione extrinſecus illata communicari* “. Tandem *Joh. Othon Helbigius* (*d*) hæc fatur: „ *Variolæ & Morbilli novus morbus in Inſulis orientalibus, & occidentalibus Indiarum. Ante Batavorum in orientales, & auſtrali-orientales Inſulas adventum nec Morbillos, nec Variolas cognoverunt incolæ. Hodiernis autem diebus Morbilli tantam in indigenas exercent crudelitatem, ut Peſte (quæ in India orientali nunquam eſt viſa) minores haberi haud poſſint. Quatuor ab hinc annis in Inſula auſtrali-orientali* Moa *tertiam hominum partem Morbilli interfecetunt. Inſulæ igitur illæ, quæ Hollandos adorarunt nondum, hanc ob cauſam navigantibus noſtris acceſſum ex mari in terram negant* “. Ut ut extra analogiam, probe hic notandum venit extare apud terrarum orbem Nationes Europæis ſolertiores, quæ a Variolarum atque Morbillorum cladibus ſci-

(*a*) Animadverſ. XLIV. in Tit. Lucr. Car. de rer. nat. lib. VI. p. 588.
(*b*) Stor. di America lib. V. pag. 219. trad.
(*c*) Tract. de Variol. apud Manget. tom. IV. B. M. P. p. 672.
(*d*) Apud eumd. Manget. ibid. p. 716.

ſcitiſſime ſibi cavere norunt, horum morborum contagium longe a ſeſe abigentes.

Parallelum primum.

Ex quibus (§§. 74. 75.) ſatis clare liquet, Cl. *Richardum Mortonum* (*a*) e re ſcripſiſſe, quod Variolarum Morbus *revera Peſtis ipſius virulentiam æquare vel ſuperare nonnunquam obſervatur*; Variolaſque, perplurimis orbis terrarum regionibus jamdiu ignotas, cum Athenienſium Morbo *excidiis* ac *novitate* convenire.

§. 76. *Nec enim Medici &c.*) Irrupto tam diro inauditoque morbo, Athenienſes Medici, methodo, quæ ab experientia quamapte ſuſcipitur, quæque ratiocinatione illuſtrata ſagaciſſimos efficit Æſculapios, *propter Morbi ignorantiam* deſtituti, perplexi hæreſcebant, quibuſnam auxiliis ægrotis opitularentur. Sub primo in Europam Variolarum impetu, id ipſum per id temporis cujuſque regionis Medicis contigiſſe fas eſt credere, ſicuti & idem eveniſſe Americæ, & orientalium, ac auſtro-orientalium Inſularum rei medicæ peritis, *propter Morbi* (§. 75.) *ignorantiam*. Alia etiam ratio Athenienſes Medicos occurrendo morbo impares reddidit, ægrotorum nimirum frequentia ac multitudo. Firmiſſimum enim pro acutis morbis experientia demonſtrat *Cornelii Celſi* præceptum illud ita expreſſum (*b*): *Ex his autem* (inquiſitionibus ad unicum acutum morbum apte curandum apprime neceſſariis) *intelligi poteſt, ab uno Medico multos non poſſe curari; eumque, ſi artifex eſt, idoneum eſſe, qui non multum ab ægro recedit*. Immenſum aucto Athenis ægrotorum numero, quot Medici omnibus præſto eſſe potuerant, & quidem ſub Morbo iiſdem ignoto? Quid? An poſt tot ſæcula vulgatis jam per Europam Variolis, firmatiſque adverſus eas quamplurimis curandi methodis, ſatis ſuperque quandoque fuit Medicorum numerus, qui ſub earumdem epidemica graſſatio-

(*a*) Exercit. III. cap. VII. p. 373.
(*b*) Lib. III. cap. IV. p. 12.

Digitized by Google

ſatione omnibus variolatis diligenter præſtiterit medicinam? Poſthabito *Celſi* præcepto, viginti hominum millia Pariſiis intra annum, & intra paucas hebdomadas Neapoli ſex millia (§. 74.) variolis perdita, certiſſimum conjectandi exhibent argumentum, ſatis numeroſam Medicorum copiam curandis variolis populariter ſævientibus haud parem extitiſſe. Quid ſub primo in Europæas Nationes illarum ingreſſu?

Parallelum ſecundum.

Igitur Variolæ identidem Medicorum penuriam, uti Athenienſium *Morbus*, pariunt.

§. 77. *Sed ipſi potiſſimum eo magis interibant, quo magis ad ægrotos accedebant.*) Athenienſes Medici, quo frequentius ægrotos contagioſo morbo affectos inviſebant, eo facilius eodem inficiebantur, eodemque interibant. *Variolæ*, inquit *Meadius* (a), *Morbilli, & ipſa Peſtis hauriuntur ſolo propiore acceſſu ad ægrum*; nec eſt hodienum, qui Variolas eſſe morbum contagioſum negare audeat.

Parallelum tertium.

Igitur Variolæ cum deſcripto Athenienſium *Morbo* contagione conveniunt.

§. 78. *Nec ulla alia hominum ars illis opem ac ſalutem ferre poterat.*) Apud *Tralles* (b) hæc leguntur „ *Ill.* Gaubii Van Ghert, *aliorumque exemplis haud motus Cl.* Graltherus Van Doeveren, Groeningæ, *ſermonem academicum anno* 1761. *habuit*, de erroribus Medicorum utilitate non carentibus. *In eo teſtimonia ſummorum virorum habentur, qui Variolas ut hoſtem ſæpe* invincibilem *conſiderant* ".

§. 79. *Omnes etiam ſupplicationes ad Deorum templa factæ, & omnis opera, qua aut in oraculis ſciſcitandis &c.*)

(a) Oper. Med. Diſſert. de Peſte part. I. cap. II. p. 174.
(b) *Vexatiſſ. noſtra ætate &c.* apud Tom. III. Opuſc. Phyſic. Med. de Haen quæſt. VI. p. 109.

Tam inviſus, inauditus, ac inſuetus *Morbus* Athenienſes inceſſit, ut ferme omnes tanquam malum cœlitus demiſſum crederent, vel id teſtante noſtrate *Diodoro Siculo* his verbis [c]: *Athenienſes ſane Morbi tam atrociter graſſantis cauſas in Numen retulerunt:* Inde expiationes, vota, auguria, divinationes &c. Quidnam de Variolarum cauſis ſenſerint Europæ Nationes, quum primum in ipſas ingreſſæ ſunt, ſæcula, ſub quibus tantum malorum eiſdem accidit, denſiſſimis ignorantiæ tenebris obducta, poſteris non tradidere. Si conjecturæ detur locus, haud alienum a veritate erit opinari Europæos per id temporis eaſdem ac Athenienſes culpaſſe cauſas, quum vel hiſce noſtris diebus haud deſint altioris ſubſellii Medici, qui *Fernelium* ſecuti [b] illas e cœlo dilapſas autument. Dolendum interim, quod hucuſque nos ad ſaniorem mentem non pertraxerint orientales Inſulæ, [§.75.] Europæis acceſſum ex mari in terram denegantes, varioliferi ac morbilloſi contagii metu; imo, quod ſummopere mirum, *Ottentotæ*, Promontorii *Bonæ-Spei* incolæ, hominum illud genus, quod Europæorum arbitratu, præ ipſius ſorditie, ſegniticque [c] *mediam quamdam naturam inter bruta animalia, & homines ſortitum fuiſſe videtur*, hac ſuper re Athenienſium atque Europæorum credulitatem ſimul ac philoſophiam ſcitiſſime redarguere videntur, ſeſe nobis præſtantiores judicio profitentes; dum Variolas ſibi incognitas, ibi tum primum a Batavis advectas animadvertentes, inanibus hypotheſibus haud præoccupati, *poſtquam* [ſunt hæc *Meadii* verba [d]] *experientia didicerant, malum hoc* contagione *ſpargi, non defuit eis ſollertia, qua ſe defenderent. Munimentis itaque ex vallis contra hanc* peſtilentiam *pugnabant, quæ adeo diligenter* qui adhuc erant ſani cuſtodiebant, *ut telis occiderent, ſi quis ex vicinis* jam vi Morbi repletis, *ea tranſilire aggrederetur*.

Pa-

(a) Biblioth. Hiſtor. lib. XII. p. 316.
(b) De abd. rer. cauſ. lib. II. cap. XII. p. 622.
(c) *Mead* Oper. Medic. lib. de Variol. cap. I. pag. 34.
(d) Ibid.

Parallelum quartum.

Variolæ igitur ab Athenienſium *Morbo* cauſæ ignoratione non differunt.

μή΄. Ἤρξατο δὲ τὸ μετὰ πρῶτον, ὡς λέγεται, ἐξ Αἰθιοπίας τῆς ὑπὲρ Αἰγύπτου, ἔπειτα δὲ καὶ ἐς Αἴγυπτον καὶ Λιβύην κατέβη, καὶ ἐς τὴν βασιλέως γῆν τὴν πολλήν. ἐς δὲ τὴν Ἀθηναίων πόλιν ἐξαπιναίως ἐνέπεσε· καὶ τοπρῶτον ἐν τῷ Πειραιεῖ ἥψατο τῶν ἀνθρώπων, ὥστε καὶ ἐλέχθη ὑπ᾽ αὐτῶν ὡς οἱ Πελοποννήσιοι φάρμακα ἐσβεβλήκοιεν ἐς τὰ φρέατα. κρῆναι γὰρ οὔπω ἦσαν αὐτόθι. ὕστερον δὲ καὶ ἐς τὴν ἄνω πόλιν ἀφίκετο, καὶ ἔθνησκον πολλῷ μᾶλλον ἤδη. λεγέτω μετὰ οὖν περὶ αὐτοῦ ὡς ἕκαστος γιγνώσκει, καὶ ἰατρὸς, καὶ ἰδιώτης, ἀφ᾽ ὅτου εἰκὸς ἦν γενέσθαι αὐτὸ, καὶ τὰς αἰτίας ἄστινας νομίζει τοσαύτης μεταβολῆς ἱκανὰς εἶναι δύναμιν ἐς τὸ μεταστῆσαι σχεῖν· ἐγὼ δὲ οἷόν τε ἐγίγνετο λέξω, καὶ ἀφ᾽ ὧν ἄν τις σκοπῶν, εἴποτε καὶ αὖθις ἐσπιπέσοι, μάλιστ᾽ ἂν ἔχοι τὶ προειδὼς μὴ ἀγνοεῖν, ταῦτα δηλώσω, αὐτός τε νοσήσας, καὶ αὐτὸς ἰδὼν ἄλλους πάσχοντας.

§. 80.

„ 48. *Primum autem hic* Morbus [*ut fertur*] *initium duxit ex* Æthiopia, *quæ eſt ſupra Aegyptum; deinde vero & in Aegyptum & Africam deſcendit, & in magnam partem regionis Regis Perſarum: in Athenienſium porro civitatem de repente incidit, ac primum quidem in Pyræo homines tentavit; ita ut ab his etiam rumor diſſeminatus fuerit, venena a Peloponneſiis in puteos dejecta fuiſſe: nondum enim fontes illic erant. Deinde vero & in ſuperiorem urbem proceſſit, & longe plures tunc moriebantur. Pronunciet autem de eo* Morbo, *ut quiſque ſentit tam artis Medicæ peritus, quam imperitus, unde veriſimile videtur eum extitiſſe, & quas cauſas fuiſſe putet, quæ tantæ mutationis faciendæ vim habuerint. Ego vero & cujuſmodi fuerit, dicam; & quæ ſibi quiſque præponens, ſi quando rurſus etiam hic* Morbus *ingruat, jam prædoctus aliquid habeat, ex quo præcipue cum cognoſcat, hæc declarabo; tum quia ego ipſe hoc* Morbo *laboravi, tum etiam quia alios hoc laborantes ipſe vidi* ". Thucydides *l. c.* 48. *pag.* 127. 128.

§. 81. *Primum autem hic Morbus* [*ut fertur*] *initium duxit ex Aethiopia &c.*] Æthiopiam morborum contagioſorum uti & vulgaris Peſtis *domicilium* eſſe, ex variis Auctoribus collegit egregius *Meadius* [*a*], & hac de ratione ipſam *infamem* aſſerit *Jo*: *Nardius* [*b*] . *Epidemicorum* morborum proprium characterem eſſe ſolum contagium, quo extra ſuos lares in varias diſſitaſque regiones proſeminantur, § 20. & 21. jam demonſtratum credimus. Hujus generis fuiſſe Athenienſium *Morbum* , quæ §. 77. jam dicta ſunt, & ejuſdem in *Aegyptum*, *Africam*, *Syriam*, *Græciamque* propagatio apertiſſime evincunt.

Analogia ſecunda.

§.82. *Initium duxit ex* Æthiopia *&c.*] Variolas origine Æthiopicas ſuſpicatus eſt laudatus *Meadius* [*c*] , qui accuratiſſime earumdem vulgatam quidem , haud vero reconditam hiſtoriam eſt proſequutus , & præ cæteris hæc ſcripſit: „ *Sed redeo ad Variolas*. *Hic igitur Morbus mihi vera Peſtis ſui generis eſſe videtur*: *Lues in Africa primum genita*, *præſertim in* Æthiopia, *quæ pars ejus intolerabiliter eſt torrida*, *in* Arabiam, *deinde in* Ægyptum, [*ut vaſtatrix illa Populorum magna Peſtis*] *iis*, *quos diximus modis* [*fomitibus nimirum & hominum commercio*] *delata eſt* ". Doctiſſimus *Joannes Freindius*, vir orientalis eruditionis peritiſſimus , *Pocockium Abul-Pharajium* Arabum Medicorum volumina perſerutatum preſſo pede ſequutus , in epiſtola ad Ill. *Meadium* [*d*] elaboratiſſimam , & pene abſolutam tradidit cognitam Variolarum hiſtoriam, & quidem ab eo , quo inclaruerunt, tempore ; quam hic exſeribere longum foret : Alibi vero [*e*] ſtrictim, quæ ſequuntur, eſt loquutus: „ *Ex antiquiſſimis* , *quæ ſuperſunt Variolarum traditionibus* , *has in*

(*a*) Oper. Medic. Diſſert. de Peſt. Part. I. Cap. I. p. 170. ſeq.
(*b*) Animadv. XLIV. in Tit. Lucr. Car. de rer. natur. lib. VI. p. 588.
(*c*) L. c. de Variol. cap. I. p. 34. ſeq.
(*d*) Oper. Medic. de Purgantib. &c. Hiſtor. X. pag. 97. ſeq.
(*e*) Hiſt. Medic. p. 138.

in Ægypto primum Omaris *tempore*, *qui* Mahometi *ſucceſſit*, apparuiſſe *comperimus*; *etſi*, *quum has* Græci *prorſus ignoraverint*, Arabes *ſine dubio* Morbum *illuc a ſua gente advexerint*, *quem ipſi* fortaſſe *antea a remotioribus Orientis gentibus ſuſcepiſſent*. *Horum enim antiquiſſimi ſcriptores de eo non ita loquuntur quaſi recenter orto*. *Uti vero hic Populus intra minus*, *quam triginta annorum ſpatium religionem ſuam*, *atque imperium*, *ita quoque* novam hanc luem *per* Ægyptum, Syriam, Paleſtinam, Perſiam, *ac paulo poſt per litus* Aſiaticum *in* Liciam, *ac* Ciliciam *propagavit*. *Sub proximi vero ſæculi initium ulterius in maritimas* Africæ *partes quoque*, *ac trans* Mare mediterraneum, *in ipſam* Hiſpaniam *eumdem diffudit*". Hæc *Freindius*. Celeberrimo huic auctori primum Variolarum ortum, a *remotioribus Orientis gentibus* repetenti adverſari videtur *Rhazes*, qui, ut §.2. adnotavimus, refert ſuæ ætatis Medicos, Syriacæ linguæ doctos, Variolarum haud noviſſe *originem*, neque *ætatem*, & aliquos ex Arabibus Medicis earumdem novitatem præfracte tutatos eſſe [*ibid.*]. Nec prætereundum, quod per ipſum *Freindium* [*a*] omnium primus, qui ſæculo ſeptimo noſtræ æræ Variolarum meminerit, *Aaron* Sacerdos fuit, Ægypto natus anno Domini DCXXII. Hæc talia ſunt, ut Variolas a *remotioribus Orientis* gentibus in Arabiam, indeque in Ægyptum tranſvectas fuiſſe neutiquam arguant; & *Meadio* eaſdem ab Æthiopica plaga erupiſſe conjectanti, Thucydidique conſentienti adhuc adſtipulandum eſſe, nos cogant: ab ea quippe regione, quæ hiſtoricorum pariter atque cordatiorum Medicorum conſenſu Peſtilitatum mater ſemper fuerit vocitata.

Parallelum quintum.

Satis firmis igitur rationibus ex Variolarum hiſtoria petitis inferri poſſe videtur, Variolas ſub cognitis in *Europam* irruptionibus idem habuiſſe, & modo detinere ſui ortus domicilium, Æthiopiam ſcilicet, ac Athenienſium *Morbus* habuit:

§.83.

(*a*) Oper. Medic. Epiſt. ad Mead. Hiſt. X. p. 92.

§. 83. *Deinde in Aegyptum & Africam deſcendit &c.*) Eo tempore inter *Aegyptum Athenaſque* inita eſſe hominum commercia patet ex *Juſtino* (*a*) hæc ſcribente : „ *Sed nec Lacedemonii quievere, qui quum Meſſeniorum bello occupati eſſent, Peloponnenſes immiſere, qui bellum Athenienſibus facerent . Parvæ tunc temporis , claſſe in Aegyptum miſſa, vires Athenienſibus erant . . . Interjecto deinde tempore poſt reditum ſuorum aucti (Athenienſes) & claſſis & militum robore, prælium reparant* “. *Morbus* igitur ab Ægypto, aut proximo hominum eodem infectorum commercio , vel lino, lana, xylino, ſtragulis, veſtibus, & hujuſmodi aliis fomitibus, potuit per mare Athenas aſportari : potuit adhuc id per continentem contingere, uti ex *Galeno* §. 20. notavimus , quum ab ipſa Ægypto *in magnam partem regionis Regis Perſarum deſcenderat*, unde per Palæſtinam, perque litus Aſiaticum *in multas regiones*, *Lemnum*, *& alia loca*, (§.71.) *Thraciam nimirum*, *Thaſum*, multaſque Græciæ Civitates, *invaſerat*. *In Athenienſium porro civitatem derepente incidit, ac primum quidem in Pyræo homines tentavit.*) Haud fruſtra magni judicii vir *Thucydides* Piræeum omnium primum mali contagionem ſuſcepiſſe tradidit ; ſed conſulto id egit: ut nimirum demonſtraret hanc calamitatem non in Athenienſium laribus genitam , ſed ab Æthiopia dilapſam fuiſſe , perque varias *Africæ* , *Aſiæ* , & *Europæ* regiones diſſeminatam , Pyræeum perveniſſe ; indeque diſperſa ejus contagione ſuperiorem in urbem invectam eſſe, veluti ignis ſcintillam per combuſtibile indeſinenter ſerpendo gradiendoque , modo tardo , nunc rapido greſſu , quandoque oculi ictu magnarum ſylvarum incendia cumulantem. „ *Eſt vero*, inquit Nardius (*b*), *Pyræus Athenarum portus*, *ubi primum graſſata fuit Peſtis*, *non intacto forſan* Munichio & Phalero *maritimis ejuſdem Civitatis munimentis*. *Conſcendit quidem lues illa repente ſuperiorem in urbem tunc*, *quum agreſtium turba confugit Athenas*, *verita fœderatorum incurſionem*,

(*a*) In Pompon. Trog. Hiſtor. lib. III. p. 22. B.
(*b*) Animadv. XXXVII. in Lucret. de rer. natura lib. VI. p. 538.

nem, *deferens ſecum interim contracta Morbi contagia*". Perſcrutamini modo, an Variolæ, ſeſe contagione propagando, Athenienſium *Morbum* prorſus æmulentur. Ill. *Jo: Huxhamius*, in conſtruenda *Epidemicorum* omnium Pathologia vitiatæ atmoſphæræ addictiſſimus, de menſe Auguſto anni 1738., & quidem ſub pluvia & admodum frigida tempeſtate, hæc fatur (*a*): „ *Variolæ jam frequentes* a miſeris Saltzburgenſibus *patria expulſis* huc advectæ. *Jure merito inter morbos maxime contagioſos ponuntur Variolæ*; *adeout* vel unus puerulus *hiſce correptus forte* longe lateque ſæpiſſime luem diſpergit". At præſentem Athenienſium Morbi cum Variolis analogiam apud neminem fideliori calamo depictam nobis invenire datum fuit, præter Cl. *Carolum Richa* ſequentia enarrantem [*b*]: „ *Morbilli*, *qui præcedentibus annis totam pene* Pedemontanam *regionem longe lateque infeſtarunt*, *fatiſcentes*, *dein Variolis locum ceſſere*, *quæ* ineunte æſtate *ſubortæ*, *autumno maxime debacchatæ ſunt*, *deploranda tenellæ præſertim ætatis clade*. *Curioſum* (at ſimul dolendum) *ſane erat*, *quo hæ pacto ab uno ad alterum finitimum oppidum migrabant*, *ac ſeſe invicem excipiebant*, *perpendere*; *eumdem ſcilicet*, *quo antea Morbilli*, *ordinem ſervantes*, *ac morem ingeniumque*: Alpina *namque loca ab hiſce primo*, *mox univerſus denique* Pedemontanus ager *funeſtatus eſt*. *Diceres ab* Alpibus *illas ad* Subalpinas urbes *tranſiiſſe*; *unde demum facto veluti agmine ac impetu a* finitimis regionibus *ad magis* diſſitas; *a* Subalpinis *ad* Inſubriam; *ab* Inſubria *ad* Mutinenſem agrum, *ab* hoc *ad* Romanum, totamque *denique* extremam *uſque* Italiam *propagatæ ſunt*". Hæc laudatus *Richa*. Quicumque peculiarem magis & cuique propriam morborum naturam, quam ſpecioſa *hypotheſium* figmenta inveſtigare maluerit, ex enarratis facile perſpiciet, Athenienſium *Morbum* ſimul ac Variolas, minime ſubito repentinoque afflatu, uti Morbos conſtitutionales ex ma-

(*a*) Tom. II. de Aer. & Morb. Epidem. pag. 11.
(*b*) Conſtit. Epidem. Taurin. anni 1720. apud Sydenham. tom. II. §. XV. pag. 521.

Digitized by Google

magna temporum mutatione (§. 27.) procedentes, tot regionibus incubuiſſe; ſed ſola contagione ab *Aethiopia* in *Aegyptum*, ab *Aegypto* in *multas regiones*, ab harum aliqua in *Pyræum*, a *Pyræo* in *Athenarum* urbem: A *Saltzburgenſibus* in *Plymuthum*, ejuſque viciniam, ab *Alpinis* ad *Subalpinas civitates*; ab his ad *Inſubriam*, unde ad *Mutinenſem agrum*, indeque ad *Romanum*, totamque *Italiam*, interrupto progreſſu ſerpſiſſe, ſeſeque propagaſſe. At enim vero dijudicent ſimul ingenui, num, ſuffocato in *Aethiopia*, aut *Aegypto*, vel *Pyræo* primo hujus Morbi *contagionis* ſeminio; præpedito in Plymuthum Saltzburgenſium variolatorum ingreſſu; ad internecionem coercitis intra primam Alpium domum Variolis, Athenæ, Plymuthum cum ſua vicinia, univerſaque pene Italia, tot hominum excidia deploraviſſent, ſub ipſorum initio quam facillime declinanda prohibendaque. Epidemici quidem Morbi (§ 14.), extincto eorumdem contagio (§.41.) extinguuntur (*ibid.*).

Parallelum ſextum.

Variolæ igitur, graſſandi, ſeſeque propagandi ratione, Athenienſium *Morbum* adamuſſim imitantur.

§. 84. *Itaut ab his etiam rumor diſſeminatus fuerit, venena a Peloponneſiis in puteos dejecta fuiſſe.*) Inſueti, nuſquam comperti, mirificique *Morbi* id adhuc proprium fuit, ut Athenienſes, dum malum enorme, monſtroſum, & a cauſis naturaliter evenientibus longe alienum exiſtimarent, ejus culpam in hoſtium immanitatem, confictis venenis, injicerent. Ignaro quidem parcendum vulgo; at mirari nos ſubit vel clariſſimos Medicos de *Epidemicorum* Morborum naturalis cauſæ cognitione deſperantes, ad inuſitata criminoſaque pariter confugiſſe. *Venerea lues*, quæ non minora quam Variolæ fata circa ſuam antiquitatem & cauſam paſſa eſt, a *Gabriele Fallopio* (*a*) venenis ab Hiſpanis confectis, inque puteos injectis, uti & gypſo pani doloſe admixto,

(*a*) Tract. de Morb. Gall. cap. 1.

xto, quibus Galli utebantur, falſo eſt attributa; & a celeberrimo *Andrea Cæſalpino* (*a*) vino veluti ab ipſis Hiſpanis Elephantia affectorum ſanguine coinquinato, & Gallis hauriendum tradito, fuit adſcripta. In hiſce vero fictionibus, a Morborum natura haud procedentibus, quænam unquam Variolarum cum Athenienſium *Morbo* analogia ſubeſſe poterit? Quidnam ſub prioribus Variolarum per id temporis incurſionibus Europæi opinati fuerint, in ignorantiæ tenebris deliteſcit: maxima interim nos urget conjectura, ut credamus, a notis jam in Europam Variolarum ingreſſionibus veneni ſuſpicionem haud abfuiſſe, ſi detur tantum malorum a *Saracenis*, *Mauriſque* bello furentibus, noſtris regionibus, poſtquam pluries exulaverat, fuiſſe conceſſum.

§. 85. *Deinde vero & in ſuperiorem urbem proceſſit &c.*) Hujus textus analogia jam patet ex §. 83.

§. 86. *Pronunciet autem de eo Morbo ut quiſque ſentit &c.*) Ex hac *Thucydidis* libera, reliquis conceſſa, circa *Morbi* cauſam judicandi facultate eruitur, inter medicinæ peritos ſimul & imperitos acriter de illa fuiſſe diſceptatum; attamen nil certi definitum, neque per experientiam, neque per priorum auctoritatem, quum hæ nullæ adeſſent Morbo apprime novo, ac omnino incognito.

§. 87. *Ego vero & cujuſmodi fuerit dicam &c.*) Si Athenienſes id Morbi genus compertum jam pridem habuiſſent, ſupervacaneum *Thucydidi* erat hæc præfari, monereque ſe *Morbum* paſſum, eumdemque in aliis obſervatum, munus aſſumpſiſſe illius deſcribendi, quo poſteri, *ſi quando rurſus hic Morbus ingruat, jam prædocti aliquid habeant, ex quo eum cognoſcant*, tamquam memoria exemploque, unde Malum, uti antea, prorſus non ignorarent. Quibus recte perpenſis, ſatis liquido concludi poſſe videtur, Athenienſium *Morbum* haud vulgarem ſive *bubonicam* peſtim, Athenienſibus (§. 72.) jam notam, fuiſſe, ſed aliam Peſtilitatem, quæ uſque ad id tempus in Athenas nunquam irruerat.

M *Ana-*

(*a*) Art. Medic. lib. IV, cap. III.

Digitized by Google

Analogia tertia.

§. 88. *Ego vero & cujuſmodi fuerit, dicam &c.*) Nec Variolæ Hiſtorico deſtituuntur pene ſimillima, quæ *Thucydides*, exordiente. En quæ præloquitur *Rhazes* (a): „ *Inquit Abu-Becker Moammed Zachariæ filius: Nocte quadam, quum conſeſſus haberetur apud virum quemdam nobilem, incidit ſermo de* Variolis. *Ibi ego in medium protuli ea nocte, quæ illa de re in mentem mihi venerunt. Quibus auditis vir ille, quem Deus hominum bono diu ſuperſtitem incolumemque ſervet, voluit, ut de iſto Morbo Tractatum componerem, ea convenientia & aptitudine elaboratum, quæ eſſet ſolida & ſufficiens. Siquidem ſuper hoc ſubjecto* ab ullo ſive ex antiquis, ſive ex recentioribus ſatis exquiſitus, ac plane ſufficiens ſermo nondum hactenus prodiit. *Quare hunc Tractatum compoſui, ſperans Dei potentis glorioſi remunerationem, & effectum beneplaciti ejus* ".

Parallelum ſeptimum.

Igitur Variolæ Rhazis diebus, attenta majorum traditione, tamquam *Morbus* in Arabiam recenter advectus, ſicuti ille a Thucydide deſcriptus, habebantur.

μθ'. Τὸ μετὰ γὰρ ἔτος, ὡς ὡμολογεῖτο, ἐκ πάντων μάλιϛα δὴ ἐκεῖνο ἄνοσον ἐς τὰς ἄλλας ἀσθενείας ἐτύγχανεν ὄν· εἰ δέ τις ϗ προέκαμνέ τι, ἐς τοῦτο πάντα ἀπεκρίθη. τὰς δ' ἄλλους ἀπ' ἐδεμιᾶς προφάσεως, ἀλλ' ἐξαίφνης, ὑγιεῖς ὄντας, πρῶτον μὲν τῆς κεφαλῆς θέρμαι ἰσχυραὶ, ϗ τῶν ὀφθαλμῶν ἐρυθήματα ϗ φλόγωσις ἐλάβανε. ϗ τὰ ἐντὸς, ἥ τε φάρυγξ ϗ ἡ γλῶσσα, εὐθὺς αἱματώδη ἦν, ϗ πνεῦμα ἄτοπον ϗ δυσῶδες ἠφίει· ἔπειτα, ἐξ αὐτῶν πταρμὸς καὶ βράγχος ἐπεγίγνετο. ϗ ἐν ἐ πολλῷ χρόνῳ κατέβαινεν ἐς τὰ ϛήθη ὁ πόνος, μετὰ βηχὸς ἰσχυρᾶ· ϗ ὁπότε ἐς τὴν καρδίαν ϛηρίξαι, ἀνέϛρεφέ τε αὐτὴν, ϗ ἀποκαθάρσεις χολῆς πᾶσαι ὅσαι ὑπὸ ἰατρῶν ὠνομασμέναι εἰσὶν, ἐπήεσαν, ϗ αὗται μετὰ ταλαιπωρίας μεγάλης. λύγξ τε τοῖς πλείοσιν ἐνέπιπτε κενή,

(a) Tract. de Variol. apud Mead. Oper. Med. in Præf. p. 51.

νη, σπασμὸν ἐνδιδοῦσα ἰσχυρόν, τοῖς μὲν, μετὰ ταῦτα λωφήσαντα, τοῖς δὲ, καὶ πολλῷ ὕστερον. καὶ τὸ μὲν ἔξωθεν ἁπτομένῳ σῶμα, οὐκ ἄγαν θερμὸν ἦν, οὔτε χλωρὸν, ἀλλ' ὑπέρυθρον, πελιδνὸν, φλυκταίναις μικραῖς καὶ ἕλκεσιν ἐξηνθηκός· τὰ δὲ ἐντὸς οὕτως ἐκαίετο ὥστε μήτε τῶν πάνυ λεπτῶν ἱματίων καὶ σινδόνων τὰς ἐπιβολὰς, μήτ' ἄλλο τι ἢ γυμνὸν ἀνέχεσθαι, ἥδιστά τε ἂν ἐς ὕδωρ ψυχρὸν σφᾶς αὐτοὺς ῥίπτειν. καὶ πολλοὶ τοῦτο τῶν ἠμελημένων (ἀνθρώπων) καὶ ἔδρασαν ἐς φρέατα, ἀπαύστῳ τῇ δίψῃ ξυνεχόμενοι. καὶ ἐν τῷ ὁμοίῳ καθειστήκει τό, τε πλέον καὶ ἔλασσον ποτόν. καὶ ἡ ἀπορία τοῦ μὴ ἡσυχάζειν καὶ ἡ ἀγρυπνία ἐπέκειτο διαπαντός· καὶ τὸ σῶμα, ὅσον περ χρόνον καὶ ἡ νόσος ἀκμάζοι, οὐκ ἐμαραίνετο, ἀλλ' ἀντεῖχε παρὰ δόξαν τῇ ταλαιπωρίᾳ. ὥστε ἢ διεφθείροντο οἱ πλεῖστοι ἐνναταῖοι καὶ ἑβδομαῖοι ὑπὸ τοῦ ἐντὸς καύματος, ἔτι ἔχοντές τι δυνάμεως, ἢ, εἰ διαφύγοιεν, ἐπικατιόντος τοῦ νοσήματος ἐς τὴν κοιλίαν, καὶ ἑλκώσεώς τε αὐτῇ ἰσχυρᾶς ἐγγιγνομένης, καὶ διαῤῥοίας ἅμα ἀκράτου ἐπιπιπτούσης, οἱ πολλοὶ ὕστερον διὰ τὴν ἀσθένειαν διεφθείροντο. (καὶ) διεξῄει γὰρ διὰ παντὸς τοῦ σώματος ἄνωθεν ἀρξάμενον τὸ ἐν τῇ κεφαλῇ πρῶτον ἱδρυθὲν κακόν· καὶ εἴτις ἐκ τῶν μεγίστων περιγένοιτο, τῶν γε ἀκρωτηρίων ἀντίληψις αὐτοῦ ἐπεσήμαινε. κατέσκηπτε γὰρ καὶ ἐς τὰ αἰδοῖα, καὶ ἐς ἄκρας χεῖρας, καὶ πόδας· καὶ πολλοὶ στερισκόμενοι τούτων διέφευγον· εἰσὶ δ' οἳ καὶ τῶν ὀφθαλμῶν. τοὺς δὲ καὶ λήθη ἐλάμβανε παραυτίκα ἀναστάντας τῶν πάντων ὁμοίως, καὶ ἠγνόησαν σφᾶς τε αὐτοὺς καὶ τοὺς ἐπιτηδείους.

§. 89.

49. „ *Nam annus ille (ut vel omnium confeſſione conſtabat) ex omnibus maxime fuit immunis ab aliis morbis. Quod ſi quis & ante aliquo alio morbo laborabat, omnes hi morbi in iſtum convertebantur. Alios vero ex nulla certa manifeſtaque cauſa apparente, ſed ex improviſo, cum ſani forent, primum quidem acres capitis fervores, & oculorum rubores, & inflammatio corripiebat. Et interiora, guttur inquam & lingua continuo cruenta erant, & halitum tetrum & graveolentem emittebant. Deinde vero ex his ſternutatio & raucitas ſequebatur: nec multo poſt hic dolor cum vehementi tuſſi in pectus deſcendebat. Ubi vero in corde hæſerat, cum ipſum ſubvertebat, tum etiam omnes bilis ejectiones, quot-*

quot a medicis nominatæ ſunt, ſequebantur, & ipſæ cum ingenti cruciatu. Singultuſque pleriſque incidebat inanis, vehementem afferens convulſionem, in aliquibus quidem ſtatim ceſſantem, in nonnullis multo ſerius. Et corpus quidem exterius tangenti non erat admodum calidum, neque pallidum, ſed ſubrubrum, lividum, parvis puſtulis, & ulceribus efflorescens. *Interiora vero ita flagrabant, ut neque tenuiſſimorum veſtimentorum aut linteorum injectiones ſuſtinerent, neque aliud quippiam præter nuditatem: & libentiſſime in aquas gelidas ſe conjicerent. Et multi eorum, qui neglecti erant, hoc ipſum etiam fecerunt, & in puteos ſe dejecerunt ſiti inſedabili. Et largior potus perinde erat ac parcior. Et corporis vexatio, quæ quieſcendi facultatem adimebat, & perpetuæ vigiliæ eos urgebant. Corpus etiam ipſum, quamdiu* Morbus *vigebat, non languebat; ſed præter opinionem cruciatui reſiſtebat. Itaque plerique intra nonum, aut etiam ſeptimum diem, propter internum ardorem interibant, aliquid virium adhuc retinentes; aut, ſi, hoc temporis ſpatio præterito, mortem vitaſſent; tamen, quia* Morbus *in ventrem inferiorem deſcendebat, & exulceratio vehemens in ipſo naſcebatur, ſimul etiam, quia immoderatum alvi profluvium invadebat, plerique poſtea propter debilitatem interibant.* Morbus *enim, qui primas in capite ſedes collocarat, per totum corpus, initio a ſummis partibus ducto, pervadebat. Et ſi quis ex maximis illis periculis evaſiſſet, extremæ tamen corporis partes, quæ captæ læſæque remanebant, eum hoc* Morbo *laboraſſe teſtabantur. Nam in ipſa quoque pudenda, & in ſummas manus, ſummoſque pedes prorumpebat, multique his membris capti mortem vitarunt; nonnulli etiam oculis amiſſis. Nonnullos etiam, ſimul ac ex* Morbo *convaluerunt, ſtatim omnium rerum oblivio pariter cœpit; ita ut neque ſe ipſos, neque neceſſarios agnoſcerent*". Thucydides *l. c.* 49. *p.* 128. 129.

§. 90. ***Nam annus ille ex omnibus maxime fuit immunis ab aliis Morbis.***) Jam ante (*§. 86.*) Hiſtoricus tam artis Medicæ peritis, quam imperitis, pro decernenda hujus Morbi efficienti cauſa, pene omnimodam conceſſit opinandi liber-

bertatem : ne vero illius culpam aeri inurerent , nunc eoſdem vult monitos , quod *annus ille* , quo *Morbus* incidit , *vel eorumdem confeſſione* , *maxime fuit immunis ab aliis Morbis* ; luculento ratiocinio , tunc temporis atmoſphæram extitiſſe ſaluberrimam , ſilentibus reliquis Morbis , ab ea ut plurimum promanantibus, & quidem *Endemicis* (§.26.) , *Conſtitutionalibus* (§.28.) , atque *Sporadicis* (§.30.) . Qui recte hanc a Thucydide ratam obſervationem , experientia ceteroquin comprobatam , perpendet , *hypotheſim* illam , qua adſtruitur , *Epidemicorum* morborum cauſam aeri inhærere , prorſus e medieo foro eliminandam eſſe fatebitur . Ipſe *Sennertus* huic *hypotheſi* utut addictus , paulo intimius rem meditatus , hæc ſcripſit (*a*) : *Ipſe aer quatenus purum elementum eſt* , *nec putreſcit* , *nec alio modo ita corrumpi poteſt* , *ut* malignus , venenatus , *ac* peſtilens *evadat* ; *ſed ſi talis evadit* , *id accidit* , *quum* miaſmata , *&* inquinamenta *maligna continet* , *per quæ & Morbi* peſtilentes *ſæpe ex una regione in aliam transferuntur* ; *& qui ea hauriunt* , *tam ſubito moriuntur* , *ac ſi præſentiſſimum venenum hauſiſſent* " . Equidem *miaſmata* , ſive *inquinamenta* , aere utuntur tamquam vehiculo , quo a corporibus Peſte *bubonica* , Variolis &c. coinquinatis , eorumque fomitibus ad circumſcriptum diſtans in analoga alia corpora tranſiliunt ; indeque ex contagioſis Morbis , *acuti* quidem omnes , ſed non eodem gradu , ob majorem minoremve , quam *miaſmata* poſſident , tranſiliendi vim , *diuturni* vero fere nulli , ad *diſtans* afficiunt . *Conf.* §. 15. Quod vero *miaſmata* , & *inquinamenta* ſolo aeris miniſterio , abſque corpore nimirum vivente , ſive mortuo , Peſte vel Variolis infecto , aut fomitibus earumdem tabo conſpurcatis , *ex una regione in aliam transferantur* , res eſt , cui omnium temporum & locorum ineluctabilis experientia apertiſſime refragatur . Gynecæa , Monaſteria , carceres , privatorum domus , adhibitis diligentiis , ipſis in Civitatibus vel diriſſima Peſte affectis , immunia ſeſe ſervantia ; & appoſitæ cu-

(*a*) Tom. III. Medic. Pract. de Morb. occult. lib. VI. part. III. cap. II. pag. 488.

cuſtodiæ, ne Peſtis in vicina loca tranſmigret, *hanc miaſmaton ex una in alias regiones aeream vectionem* manifeſtæ falſitatis evincunt; & luce meridiana luculentius demonſtrant, contagioſa *miaſmata*, præſentibus corporibus, & fomitibus infectis, ex quibus erumpunt, atmoſphæram ſatis brevem, vel vento aſportata, tranare poſſe; minimeque aeri inhærere, uti falſo hactenus a doctiſſimis Æſculapiis creditum eſt.

Analogia quarta.

§. 91. *Nam annus ille &c.*) Variolas ſub annis ſaluberrimis, inculpataque atmoſphæra contigiſſe teſtatur egregius *Ballonius*, ſequentia (*a*) loquutus: „*Autumnus anni Domini* 1577. Exanthematon *puerilium feraciſſimus*: *immo qui annis, uſu & experientia valebant, tantam puerorum cladem vix ſe unquam percepiſſe dictitabant. Aeſtas ſalubris fuit, ſicca, & ſqualida; Ver, & principium Aeſtatis humidum & tepidum. Sed mirum! Quum Aeſtas* ſaluberrima *fuiſſet*, *quum* vacarent fere omnes Medici munere ob ægrotantium inopiam, *quomodo eruptio iſta* Puſtularum *tot pueros ſuſtulerit! Quicumque enim initio prehendebantur, ſæviente & flagrante* Malo, *omnes pene peribant*, *& non proficiebat hilum ars ea, quæ multis auxilio eſſe ſolet*". Teſtatur Cl. *Lucas Schroeckius* „*Quum Morbona*, inquiens (*b*), *anno elapſo ad finem vergente*, quietem Medicis Auguſtanis conceſſerat, *multam hoc quoque continuaverat*, *ita ut licet morbi aliqui epidemice urbem infeſtarent*, *raro tamen multos invadere deprehenderentur*; Morbilli *imprimis &* Variolæ *tum benigniores*, *tum confluentes, gravibuſque ſymptomatibus ſtipatæ*, *puerilem æque ac juvenilem ætatem invadebant*, *&* cladem iiſdem inferebant". Teſtatur Cel. *Joſeph Lanzoni* (*c*) hæc ſcribens: „*Epidemia in infantibus tali hyeme* (*frigida nimirum ſerenitate*, *dulcio-*

rique

(*a*) Epidem. & Ephemer. lib. II. Conſtit. Autumn. ann. 1577. p. 133.
(*b*) Conſtit. Epid. Auguſtan. anni 1697. apud tom. I. Sydenh. p. 451.
(*c*) Conſtit. Epidem. Ferrar. anni 1717. apud Tom. I. Sydenh. p. 534.

Digitized by Google

rique aura prædita) *incæpit Variolarum*, *quæ poſtea toto anno* 1717. *miſerrime perſeverans*, Puerorum ſtragem *multiplicavit*. . . *Cæterum præter dictas febres*, *&* *magnam Variolarum copiam cum lumbricis in Puellis*, annus 1717. ſalubris dici potuit ". Teſtantur denique cunctæ frequentiſſimæ Europææ urbes ſimul & emporia, in quibus magnus, & a diſſitis locis hominum fit concurſus, & ubi nuperis hiſce temporibus eo res deducta eſt, ut varioliferus *Morbus* quotannis, ſi non perpetuo epidemice, *Sporadicorum* Morborum ſaltem ritu vagetur. *Plymuthi*, oppidi portu ac munimento, haud vero incolarum frequentia, inſignis, juxta laborioſiſſimas Cl. *Huxhamii* ab anno 1728. ad 1748. exaratas (*a*) obſervationes, præter non paucas ſatis truces contagioſarum febrium graſſationes, Variolæ annis 1729. 1730. 1731. 1734. 1735. 1738. 1740. 1741. 1742. 1743. 1745. 1746. 1747. 1748. populariter ſunt graſſatæ; annis vero 1728. 1732. 1736. 1737. 1739. 1744. *Sporadicorum* more vagatæ. Quid? Unicus annus 1733., quo nullæ extiterunt ibidem Variolæ, *Epidemicis*, lethalibuſque Morbillis infamis fuit, qui adhuc annis 1739. 1742. 1744. & 1746. vulgariter graſſantes, Variolarum clades vel adauxerunt, vel earumdem vicibus functi ſunt. Nec ulli dubitamus, quin ab anno 1748. ad hunc uſque diem (quo annorum curriculo ulteriores nobis deſunt Plymuthianæ *Epidemicorum* Morborum hiſtoriæ) Variolæ, ac Morbilli, ſepoſitis reliquis contagioſis febribus, eamdem, ac nuper expoſitam, illo in emporio luſerint tragœdiam. Quid inde? Qui Variolas, *Epidemicoſque* reliquos Morbos ab *occulta aeris diatheſi*, a quodam occulto aeri inhærente; a *depravatæ atmoſphæræ conſtitutione*, hiſque ſimilibus repetunt, vel inviti concedere deberent, *Plymutho*, cunctis Europæ Metropolibus, perplurimiſque magnis Civitatibus, varioloſo Morbo perpetuo divexatis, inter tot tantoſque annos, nec unum hucuſque illuxiſſe ſalubrem, neque in poſterum eluceſcere poſſe, & quidem luctante experientia.

Pa-

(*a*) De aer. & morb. epid. tom. I. & II.

Digitized by Google

Et Variolæ igitur, & Athenienſium *Morbus* ſub aeris ſalubritate graſſantur.

§. 92. Quod ſi quis & ante aliquo alio morbo laborabat, omnes hi morbi in iſtum convertebantur.) Variolæ non ſolum alios morbos in ſuam trahunt ditionem, ſed vel ipſa Peſte ſimul ferociente graſſari non deſinunt. „ *Variolæ*, inquit ingenuus Sydenhamus (*a*), *quo tempore latiſſime depopulantur, Febris toto anno ſparſim oberrans ejuſdem plane inflammationis eſt particeps, quæ Variolas parit. Uterque nempe Morbus ad eamdem fere normam adoritur, maximaque inter maxime propria utriuſque ſymptomata intercedit cognatio, excepta Variolarum eruptione, & reliquis quæ ab illa pendent; ut ex ingenti illa tum ad ſpontaneos ſudores tum ad ſalivam excernendam propenſione, in qua utrique convenit, abunde conſtat* “. Miaſmata varioloſa cum aliis miaſmatibus, febres ardentes atque malignas excitantibus, conjuncta ſæpiſſime procedere, inferius, ubi de Variolarum Pathologia, indicabimus. Hic ad faciliorem Sydenhami doctrinæ intelligentiam animadvertendum, noſtris in regionibus Variolas jam paſſos, ubi recurrunt, eaſdem haud iterum ſuſcipere; perbene vero acutas febres, a miaſmatibus Variolarum conſectariis promanantes: unde expertiſſimi in arte viri probe notarunt, non ſemel Variolas febres peſtilentes vel præcedere, vel comitari, vel conſequi. *Conf. §. 43. pag. 58.* Athenienſium autem nemo hoc morbo defunctus erat ſub primo ipſius ingreſſu; unde & qui aliis morbis laborabant, ab illo corripiebantur. Cl. *Diemerbroeckius* (*b*) de anno 1640. hæc præ cæteris loquitur. „ *Circa medium menſis Julii Variolæ & Morbilli graſſari cœperunt, qui Morbi & maxime Variolæ menſe Auguſto magna incrementa ſumpſerunt, & ſic uſque ad finem iſtius anni continuarunt, plurimoſque e medio ſuſtulerunt*: *Imo*

(*a*) Tom. I. Sect. I. cap. III. p. 4.
(*b*) Apud Manget. Tom. IV. B. M. P. p. 722. hiſt. I.

Digitized by Google

Imo quibus dictis his menſibus alii contingebant morbi, illis Morbilli, ſed longe frequentius Variolæ brevi *adjungebantur* ". Cl. *Williſius* ad verbum Thucydidis textum imitatus eſt. „ *Quo tempore*, inquit (*a*), *increbeſcit contagium*, *&* *Variolæ ſunt epidemicæ*, fere alii quivis Morbi in hunc degenerant ". At notatu dignum eſt, ut ſupra innuebamus, quod adhuc graſſante *bubonica* Peſte, Varioloſus Morbus impavide etiamnum ferociat. En verba Ill. *Genſelii* id (*b*) teſtantia: „ *Principium Auguſti . . . . Peſtis tam in Auſtria, quam Hungaria continuavit ſævire. Graſſabantur etiam Variolæ malignæ confluentes cum Petechiis intermixtis, illiſque, qui non ſtatim in principio remedia adhibuerunt, fatales &c.* ".

Parallelum nonum.

Variolæ igitur, uti Athenienſium a Thucydide deſcriptus *Morbus*, reliquos Morbos in ſuam ditionem trahunt.

Athenienſis Morbi Puſtularum eruptionem præcedentia ſymptomata.

§. 93. „ *Aliqs vero ex nulla certa manifeſtaque cauſa apparente, ſed ex improviſo, cum ſani forent, primum quidem* acres capitis fervores, & *oculorum* rubores & inflammatio *corripiebat*. *Et interiora*, guttur *inquam* & lingua *continuo* cruenta *erant*, *&* halitum *tetrum* & *graveolentem emittebant*: *Deinde vero ex his* ſternutatio, *&* raucitas *ſequebatur*: *nec multo poſt hic* dolor *cum vehementi* tuſſi *in pectus deſcendebat*. *Ubi vero*, *in* corde *hæſerat*, *cum ipſum* ſubvertebat, *tum etiam* omnes bilis ejectiones, *quotquot a Medicis nominatæ ſunt*, *ſequebantur*, *&* *ipſe cum ingenti* cruciatu. Singultuſque *pleriſque incidebat inanis*, *vehementem*

(*a*) De Febrib. cap. XV. pag. 70.
(*b*) Apud Sydenh. tom. I. Conſtit. epid. inferior. Hungar. ann. 1713. pag. 512.

Digitized by Google

tem afferens convulſionem, *in aliquibus quidem ſtatim ceſſantem, in nonnullis multo ſerius* ".) Funeſta ſymptomata, quibus *Morbi* initio Athenienſes diſcruciati ſunt, Hiſtoricus jam incipit enumerare; quumque [§.92.] animadvertiſſet, id *Morbi* genus adhuc alio morbo detentos infeciſſe, protinus ſubdit: *Alios vero ex nulla certa manifeſtaque cauſa apparente, ſed ex improviſo, cum ſani forent, primum quidem acres capitis fervores corripiebant*; nimirum, nulla prægreſſa in ſex rebus, nonnaturalibus dictis, erroris cauſa, ſive *procatarctica*, ſaniſſimos atque pancratice valentes repente occuparunt *acres capitis fervores*, quos reliqua in textu enarrata conſequuta ſunt ſymptomata.

Analogia quinta.

§. 94. *Alios vero &c.*) Medicorum nullus, qui Variolarum graſſationem vel ſemel ſpectavit, reperietur, qui negarit, ſaniſſimos vividoſque Pueros, Adoleſcentes, robuſtoſque Juvenes, maxime qui ſanguine vigent puriſſimo, ſub inculpata valetudine epidemicis Variolis infeſtari. „ *Id genus Morbus* (*Varioloſus*) inquit Liſterus (*a*) *fere oriri ſolet in corpore maxime integro & ſano, ſine ulla prævia vel corporis vel animi paſſione aut dolore, pariter ac ſi quis ſanus a beſtiola venenata ictus fuerit* ". Illuſtris *Dominicus Cotunnius*, hæc ſcripſit: (*b*) „ *Ad illud* (Variolarum venenum) *recipiendum æque ſaniſſimi ſunt, ac perinfirmi ſubjecti* ". Ab his ne hilum diſtant quæ de anno 1715. enarrat Cl. Gerbetius (*c*) „ quod, *nimirum*, Variolarum *ac Morbillorum epidemia, malignitate parum a Peſte ipſa recedens, tota hyeme* & *vere, præcipue Majo menſe uſque ad Junium*, qui erat amæniſſimus, *eatenus in omnem ætatem & ſexum, præſertim in* quoad faciem ceterum ſaniſſimos *ſævierit, ut tale quid noſtra memoria hic* Labaci *nunquam fuerit obſervatum*: *Ne-*

(*a*) Apud Manget. tom. IV. B. M. P. p. 673. n. 5.
(*b*) De Sedib. Variol. Syntagm. §. LXXVII. p. 143.
(*c*) Apud Sydenh. tom. I. Hiſtor. German. Epid. Conſtit. anni 1715. pag. 528.

Digitized by Google

Neque ſolum hic Labaci, *ſed ſucceſſive & per reliquam* Provinciam, *præſertim circa* Sitticium *in Parochia Sancti Viti, & circa* Rudolphsbertum *in Parochia Sancti Ruperti*, *ubi* maximam ſubditorum partem e medio *ſuſtulit* ". I nunc & a veteribus ſimul ac recentioribus nimium celebratam in corporibus cauſam *proegumenam*, ſine qua homines Variolis, aliiſque contagioſis Morbis opprimi non valeant, expecta! Niſi peculiaris vitalium ſuccorum *Idioſyncraſia*, morboſa *miaſmata* perimens, illis præſto fuerit, vel inculpata gaudentes valetudine contagio ſubjiciantur neceſſe eſt.

Parallelum decimum.

Igitur Variolæ, ſicuti Athenienſium *Morbus*, ſaniſſima corpora adhuc opprimunt.

§. 95. *Primum quidem acres capitis fervores &c.*) Symptomaton, quibus ſub ipſa & Variolarum & *Morbi* Athenienſis aggreſſione humana corpora excruciantur, *Analogiæ* ſatisfacturi unum rogamus, ne a diverſis Scriptoribus ordine perturbata eorumdem poſitio nobis culpæ detur; nam Medicorum quiſque, quæ maxime notabiliora ſibi perſuaſerit, reliquis vel fortioribus præponere ſuevit. Apud *Arabes* omnium, qui de Variolis methodice accurateque ſcripſerunt, vetuſtiſſimus *Rhazes* hujus Morbi initium ſic expoſuit: [a] „ *Eruptionem Variolarum præcedit* febris *continua*, *&* dolor dorſi, *&* pruritus *in naſo*, *&* terrores *in ſomno*. *Hæc quidem ſunt propria ſigna inſtantium Variolarum; ſed præcipue* dolor dorſi *cum febre*, *tum etiam* punctio, *quam ſentit ægrotus in* univerſo corpore; *item* repletio faciei, *tum ejuſdem in priorem ſtatum reditus*; *&* rutilus color, *&* intenſio ruboris *alia atque alia*; rubedo oculorum; *totius corporis* gravitas; oſcitatio *frequens*; dolor *in* gutture *&* pectore *cum quadam* ſpiritus difficultate, *&* faucium anguſtia; *item* ariditas oris; craſſities ſalivæ; raucedo vocis; cephalalgia; gravedo capitis; inquietudo; animi tædium: nauſea

 & mœ-

(a) Tract. de Variol. apud Mead. oper. Medic. cap. III. p. 54.

Digitized by Google

& mœror *magis urgent in Morbillis, quam in Variolis, niſi Variolæ ſint pravæ . . . Et vice verſa* dolor dorſi *magis proprius eſt Variolis, quam Morbillis, ut &* calor totius corporis, *ejuſque* inflammatio, rubor, *&* ſplendor, *& præſertim* calor juguli ". Hæc Rhazes, & quidem circa initium decimi ſæculi æræ chriſtianæ.

§. 96. Apud Hiſpanos cunctorum primus, quantum ſcimus, qui inter Hiſpaniarum Medicos appoſite de Variolis ſcripſit, Cl. *Ludovicus Mercatus*, inclinante ſæculo ſextodecimo, ſequentia (*a*) eſt loquutus. „ *Primo Malum oſtendit* febris *primo acceſſu vehementiſſima, qualem tempore ſtatus eſſe comperimus : Accidentia vero ob id intenſa, quod criſis tempus jam inſtet . Eſt itaque* incendium tam vehemens, *tam* acuta *&* acris caliditas, *ut pituitam naturalem adhuc &* omnem cerebri humiditatem liquet . . . . *Ob id quidem præeſt ſemper in Pueris* tuſſis, *quæ certum eſt hujus affectionis præludium . . . His etiam addes* difficilem reſpirationem . . . *Adſunt* oculorum ſplendor *& veluti* fulgores *quidam . . . Item ſic affecti* involuntarie lacrymantur . . . *Narium adeſt* pruritus *maximus . . . In* dorſo calor ingens, *& ſenſus quidam* punctioni *perſimilis . . . Quibuſdam accidit* ſomnus profundus . . . *Alii* delirant . . . *Multi quidem in* epilepticas convulſiones *deſinunt* : Omnibus *tamen adeſt in* toto corpore calor, rubor *&* punctionis *quidam* ſenſus *per* totam cutim . . . *Sed maximum & infallibile ſignum eſt, hæc omnia* principio affectus *accidiſſe ; nam in reliquis affectionibus contrario modo ſe res habet* ".

§. 97. Apud Gallos circa finem ejuſdem ſæculi decimi ſexti laudatus *Ballonius* (*b*) ſic fatur : „ *Exanthemata* (Variolas intelligit) *& Rubiolæ, & Morbilli, præſertim quum ſint venenati, horrenda afferunt ſymptomata* . Febris *adeſt aſſidua, nunc ad* manum mitis, *nunc acerrima & adurens* ; vocis raucedo; oculorum aliquando caligines, *& mox* ardor *eorumdem* ; corporis totius deflagratio; jactationes; laſſitudo oſto-

(*a*) Oper. tom. III. lib. VII. cap. III. p. 489.
(*b*) Lib. I. Conſil. Med. Comment. hiſtor. V. p. 109.

Digitized by Google

oſtocopos; alyſmos *uterque*; *membrorum veluti* quaſſatio *&* confractio; *aliquando* faucium exulcerationes, *ac veluti* Anginæ metus; propenſio in ſomnum *ſed tum turbulentum*; oculi lacrymabundi *&* lucem refugientes; inappetentia *ſumma*; multorum *&* variorum vomitiones; alvi adſtrictio *aliquando*, *aliquando* fœda illuvies; *corporis* pruritus, *ac veluti* acicularum puncturæ; tuſſis: *Et pro ut venenum magis has, aut illas partes appetit*, *ita varia excitat in variis partibus ſymptomata*. *Vidimus qui quererentur de* ſcapulis *&* dorſo, *ac ſi* ruptio *compagis ipſius ſpinæ eſſet*, *& velut membranarum* Apoſpaſma, *& velut* Aneuryſma *membranarum* ". Et alibi [a] de Variolis ſub ſaluberrima temporis conſtitutione graſſatis ſcripſit, quod „ *non proficiebat hilum ars ea*, *quæ multis auxilio eſſe ſolet*. *Tantum ſeri venenati erat: maxime vero ob* ſurſum tendentiam, *aut ob* capitis quamdam peculiarem plethoram *facies* deturpabatur, oculi intumebant, *ut metus eſſet aut* exertionis, *aut præſentis* cæcitatis ".

§. 98. Apud Italos initio ſæculi decimi ſeptimi Cl. *Joannes Colle* ſcribebat: (*b*) „ *Quæ omnes* (*Variolarum & Morbillorum differentiæ*) *præter* febrem *malignam aut* peſtilentem, *publicam aut privatam*, *ſibi etiam adſciſcunt* ſitim, ardorem, inquietudinem, vigilias, alienationem mentis, appetitus dejectionem, vocis raucedinem, deglutiendi difficultatem, alvi profluvium, *atque* innumera alia horribiliora ". Et eodem ſeneſcente ſæculo magnus ille Mechanicorum Princeps *Laurentius Bellinus* de Variolis ſequentia [c] exaravit: „ *Antecedunt Variolas* dolor capitis pulſatorius in fronte *ac* temporibus; ſomnolentia *gravis*; terrores *in ſomno*; deliria; *interdum* tremores *&* convulſiones; ſternutatio *&* pandiculatio *frequens*; raucedo; tuſſis; ſpirandi difficultas; calor, rubor *&* punctionis ſenſus *in* toto corpore; dolor dorſi; *magna* anxietas *&* inquietudo; lacrymæ in-

(a) Epid. & Ephemer. lib. II. Conſtit. Autumn. ann. 1577. p. 133.
(b) Tom. I. lib. XI. cap. XI. p. 482.
(c) Tract. de Febrib. p. 169.

Digitized by Google

involuntariæ; oculorum ſplendor & pruritus; tumor faciei cum rubore; febris ſynochus *cum his omnibus ſymptomatis ab initio* vehementibus, *ut Morbus ſtatim vigorem attigiſſe videatur* ".

§. 99. Apud Batavos circa medium ejuſdem ſæculi decimi ſeptimi Cel. *Diemerbroeckius* de hac Peſte Varioloſa præ reliquis hæc [*a*] notavit: ,, *Majoris mali præſagium augent* magna virium debilitas; cardialgia; vomitus; ſingultus; ingens ſitis; *ſumma* anxietas & inquietudo *magna*; lipothymia *crebra*; delirium; *altus* ſopor, *aut nimiæ* vigiliæ; convulſio *quaſi* epileptica; pectoris *ac* faucium anguſtia; reſpirandi difficultas; raucedo; cibi averſio; deglutitio impedita; alvi Fluxus & *dolor &c.* ".

§. 100. Apud Britannos, noſtri ſæculi initio laudatus *Freindius* [*b*] hæc loquebatur: ,, *Præcedentia Morbum* (*Varioloſum*) *ſymptomata ſunt*, *acuta* febris; vehemens in capite ac dorſo dolor; cutis ariditas; ſomnolentia; ſpirandi difficultas; inſomnia *turbulenta*; oculorum rubor; punctiones per univerſum corpus; oſcitatio; pandiculatio; pulſatio pondusque *in* capite; ægritudo *ac* vomendi deſiderium. *Mali generis ſigna ſunt ingens in* dorſo dolor; ægritudo vehemens; inquietudo; totius corporis ardor; calor flammeus, *præſertim ſi in* gutture *ſit &c.* ".

§. 101. Germani, poſt abſolutam prorſus Variolarum cum Athenienſium *Morbo* atque *ſacris* Hippocratis *ignibus Analogiam*, integras nobis exhibebunt, ad hanc ipſam luce meridiana clarius evincendam, hiſtorias. Variolas jam ſpectavimus omni ævo, omnique regione funeſtis ſemper ſymptomatibus ſtipatas. Nunc perpendendum reſtat, an infauſtus hic *Morbus* noſtris hiſce diebus apud Europæas gentes vetuſtam ſervet ſæviendi rationem, ut inita ipſius cum *Morbo* Athenienſium perfecta comparatio erroris nequeat inſimulari. Variolas eumdem perpetuo ſervare graſſandi morem vel unus recentiſſimus Ill. *de Sauvages* demonſtrare valet, ſic

(*a*) Apud Manget. tom. IV. B. M. P. p. 694.
(*b*) Hiſtor. Medic. p. 139.

Digitized by Google

ſic inquiens : [*a*] „ *Incipit* Morbus *ab* horrore *&* calore *mutuo ſe excipientibus*; dolet caput; ſplendor *in* oculis *obſervatur*; calor *mox ubique ſuccenditur*; rubor faciem *invadit*; vomitu *aut* nauſea *æger frequenter corripitur*; *membra* trepidant; lacrymæ involuntariæ *fluunt*; tuſſis *cum* difficili reſpiratione *ægrum moleſtat* : febris *cum* vigilia *&* anxietatibus *accenditur*: *Hæc quoque ad aliquot dies* extenduntur, priuſquam *Variolæ erumpant*, *ut* ſæpius obſervavi; *iiſque* ſopor, motus convulſivi, lipothymia *aliquando adjunguntur*, *Variolis difficile erumpentibus* “.

§. 102. Ne vero hæc generatim, a cordatiſſimis cæteroquin Medicinæ Præſulibus literis commendata, alicui nimium exaggerata videantur, unam & alteram hujus *Morbi* particularem hiſtoriam in medium proferre autumamus; modo quiſque probe meminerit illius accuratæ animadverſionis *Ballonii* [§.97.], quod *pro ut venenum magis has*, *aut illas partes appetit*, *ita varia excitat in variis partibus ſymptomata*; & quidem pro varia ætatis, ſexus, temperamenti, regionis, anni temporis, tempeſtatumque conditione: & pariter pro certo habuerit, quod, ſicuti haud fas eſt credere, cuncta Athenienſium *Morbi* deſcripta phœnomena in uno individuorum ſimul contigiſſe, ita & nunc in Variolis nec tale quid ſit unquam expectandum. Primum itaque peculiare Variolarum aggreſſionis exemplum nobis offert Cl. *Ettmullerus* (*b*) hiſce verbis ſcriptum : „ *Graſſantur hoc tempore hic paſſim Variolæ* : *Hinc Puer decem annorum*, *die mercurii*, *e lecto ſurgens poſt noctem inquietam conqueritur de* intenſa cephalalgia, dolore ſpinæ dorſi, æſtu corporis, ſiti, præcordiorum anxietate. *Veſperi* graves *&* continui vomitus, *& frequentes* inanes vomendi conatus *ſuperveniunt*; ſitis clamoſa *urget*; *quicquid tamen propinatur*, *ſubito vomitus impetu ejicitur*: Nox inquieta, *uti & inſequens dies*. *Die veneris mane ceſſat vomitus*; efflореſcunt *hinc inde* Maculæ *&* Puſtulæ parvæ, *rubræ*, *acuminatæ per cor-*

(*a*) De Morb. Infant. cap. XXX. Articul. III. p. 151. 152.
(*b*) Colleg. Conſult. de Variol. cap. XXXVI. p. 845.

Digitized by Google

corporis peripheriam ; ſed copioſa Narium hæmorrhagia *comitatæ, quæ ſubinde ceſſat, ſubinde repetit. Veſperi* atroces inſultus epileptici *ſuperveniunt, ſucceſſivis vicibus per noctem* repetentes. *Die ſaturni omnia quieta ; Puſtulæ copioſiores intumeſcunt, ægro interim admodum* ſiticuloſo: *A meridie* diarrhœa *ſpumoſa ægrum prehendit*, anxium *eum reddens*, vireſque dejiciens *&c.*". Alterum exemplum dat Cl. *Jo: Fortis (a)* his : „ *Adoleſcens nobiliſſimus vigeſimum annum agens, temperamenti totius & jecoris calidi & humidi*, boni habitus, *hoc autumnali tempore, quo per urbem Variolæ graſſantur*, extempore *correptus eſt* febre *continua abſque ullo rigore aut horrore invadente, cum* multo calore, *pulſu celeri & frequenti, quæ ſemper æqualiter uſque ad hunc ſecundum diem eumdem afflixit, cum* capitis dolore, oculorum *&* gutturis, temporum *&* frontis pulſatione; cordis palpitatione; narium pruritu; ſternutatione, *præcedentibus* oſcitationibus, pandiculationibus, *in* ſomno terroribus; *ſuccedentibus inde* dolore dorſi *cum* pulſatione *in* ſpina, totius gravitate *&* ardore. *Præterea nocte præterita acceſſerunt* deliria, ſpirandi difficultas, tuſſis ſicca *&* inanis, tremor *pedum* ; *& hoc mane inſignis obſervatur* faciei *&* oculorum rubedo; vox rauca; linguæ ſiccitas; lacrymæ; punctiones in toto, *cum* cutis aſperitate: Urinæ turbidæ *ſunt*, ſtillaque ſanguinis *modo e naribus emanat* ... *Variolas adeſſe arbitror &c.*".

§. 103. Quiſquis patienter exacteque quæ a §. 94. uſque ad §. 102. exſcriptæ ſunt Cl. Medicorum obſervationes rimatus fuerit; procul omni dubio nedum comperiet cuncta phænomena, quæ ſub Athenienſium *Morbi* [§. 93.] principio evoluta ſunt, *acres* nimirum *capitis fervores, oculorum rubores* & *inflammationem ; gutturis* & *linguæ cruentas ſiccitates* atque *exulcerationes*, unde *teter graveolenſque halitus; ſternutationem; raucitatem; pectoris dolorem; tuſſim, omnes bilis ejectiones cum ingenti cruciatu; ſingultum, vehementemque convulſionem*, ſymptomata per Thucydidem enu-

(*a*) Apud Magnet. tom. IV. B. M. P. p. 706.

Digitized by Google

enumerata; ſed etiam his graviora perſpiciet, *capitis* nempe, *dorſi*, atque *totius corporis* diros *dolores* ſimul & *incendium*; *terrores* in *ſomno*; *deliria*; *vigilias*; *ſopores*; *lacrymas involuntarias*; *flammeum faciei colorem*; *Anginæ metum*; pectoris *oppreſſionem*, unde *difficilis reſpiratio*; *præcordiorum anxietatem*; *clamoſam ſitim*; *appetitus dejectionem*; *ægritudinem*; *lipothymias*; præcoces *Narium hæmorrhagias* & ſanguinis *ſtillicidia*; *totius* & maxime partium capitis *pruritus*, *punctiones*, atque *tremores*, & id genus alia; quorum aliqua inferius recenſet *Thucydides*, aliqua deſcribere omiſit, quod fortaſſe ſub illa *Morbi* graſſatione haud adfuerunt.

§. 104. *Tum etiam omnes bilis ejectiones, quotquot a Medicis nominatæ ſunt, ſequebantur.*) Nulli dubitamus, quin, ſi recentiores *bilioſarum febrium* Patrocinatores hunc Thucydidis textum perſpectum habuiſſent, certo certius eodem uſi fuerint ad ſuam *hypotheſim* confirmandam: quinimo Athenienſium *Morbum* a ferociente bile & repetiſſent, effectum pro cauſa accipientes; quaſi uniuſcujuſque rei præſentia ſatis foret, ut in ignoratæ genuinæ Cauſæ locum ſurrogetur. Hic vero Athenienſis *Morbi* Seminia ab *Æthiopia* [*§*.81.] profluxere. Sed ad inſtitutum: graves continuoſque vomitus, & frequentes inanes vomendi conatus, pariter ac ſpumoſam diarrhœam *Ettmullerus* [*§*.102.] obſervavit.

Parallelum undecimum.

Igitur Variolarum eruptionem præcedentia ſymptomata, ſimillima prorſus ſunt ſymptomatibus, quæ ſub Athenienſium *Morbi* primo impetu, Thucydides eveniſſe tradidit.

§. 105. *Et corpus quidem exterius tangenti non erat admodum calidum &c.*).

Analogia ſexta.

§. 106. *Et corpus &c.*) Ex Ballonio [*§*.97.] jam no-

 tavi-

tavimus, quod ſub Variolis *febris adeſt aſſidua nunc ad manum mitis, nunc acerrima & adurens*. Cl. *Mortonus* (*a*) de malignis Variolis retulit, quod „ *in* his febris mitis eſſe videtur *cum pulſu debili & celeri*, temperie miti, *ſed deliriis, vigiliis, ſubſultibus tendinum, reliquiſque id genus funeſtis ſymptomatis conjuncta* ". Ill. *Van-Swietenius* (*b*) ita loquitur. „ *Imprimis mihi ſemper ſuſpectum fuit in praxi, ſi Variolarum Morbus cum immani lumbagine inciperet* . . . . Febricula lenis admodum *tunc adeſt*; *imo & aliquando in* pulſu parvo & debili nulla omnino percipitur celeritas; *tuncque vidi adeo malignas ſecutas fuiſſe Variolas, ut nullus emerſerit illorum, quos tractavi, licet omnia, quæ noveram, artis auxilia adhibuiſſem* ". Laudatus tandem *Cotunnius* (*c*) de quadam Puella ſequentia notavit: „ *Spes nonnullorum in eo poſita videbatur, quod in tanta* Morbi *malignitate* altior febris aberat, *& mentis emotio; ſed videram* multis exemplis *illos certius gangræna interiorum ſedium interiiſſe, qui ſtante illo Variolarum habitu*, febre miti, tepore cutis, *& pallore ac mentis conſtantia tenebantur* ". Athenienſium *Morbum* malignum extitiſſe, ab eo patrata mortalium clades perſpicue demonſtrat.

Parallelum duodecimum.

Malignæ igitur Variolæ exteriore corporis conditione Athenienſium *Morbum* æmulantur.

Morbi Athenienſis Puſtularum eruptio a capite in omnem corporis ſuperficiem prorepſit.

§. 107. *Neque pallidum* (corpus erat) *ſed ſubrubrum, lividum, parvis Puſtulis & ulceribus eſſloreſcens*.) *Eſſloreſcens*:

(*a*) Exercit. III. cap. VIII. p. 398.
(*b*) Tom. IX. in Boerhaav. §. 1383. p. 35.
(*c*) De Sedib. Variol. Syntagm. §. XXV. p. 36.

Digitized by Google

ſcens: totum nimirum corpus a capite fere ad calcem parvis puſtulis & ulceribus ſcatebat. Laudatus *Mortonus (a)* de Variolis confluentibus ſequentia fatur: „ *Ubi univerſaliter ab initio eruptionis confluant, facile a Variolarum benignarum, vel mediarum (cum quibus vix quicquam habent commune) eruptione, & a congeneri* morbilloſa, ſcarlatina, *vel* eryſipelatoſa, *hæc* efflorefcentia *diſtinguetur. Siquidem hæc* efflorefcentia *eſt plana &* continua, *nequaquam interpuncta uti* morbilloſa. *Secundo* rubedine *magis ſaturata & profunda, quam* ſcarlatina *efflorefcentia, fere ad inſtar eryſipelatis cutim perfundit, & quadantenus incraſſat* ". Magnus *Hoffmannus (b)* hæc ſcribit. „ *Indoles hujus (virulentæ materiæ) videtur mihi duplex: Una acris eſt & inflammans, unde* dolor, ardor, rubor, tumor, arroſio *&* exulceratio: *Altera cauſtica & putrefaciens, quæ motu ſubtiliori inteſtino craſin & unionem partium, mixtum conſtituentium, deſtruit atque corrumpit; & hæc proprie ad ipſam malignitatem magis ſpectat, atque quammaxime ſeſe in Variolis malignis prodit* ". Et infra *(c)* ſubdit: „ *Tertium genus eſt Variolarum, quas nos mediæ naturæ dicimus, quia non ſunt nec adeo malignæ, nec adeo benignæ, ſed medio ſe modo habent; ideoque prudentem Medicum, & idoneam medicinam poſcunt. Tales ſunt, quæ non ſparſim, ſed* confertim, *in primis in* facie *&* manibus *comparent, &* confluentes *fiunt; item quæ interiora*, nares, fauces *interdum etiam* æſophagum *occupant, ut ægri non bene deglutire poſſint* ". Tandem Ill. *de Sauvages (d)* ait: „ *Erupturæ Variolæ conjiciuntur a motu, capitis dolore, lacrymarum effluxu, horrore & calore ſe mutuo excipientibus, membrorum trepidatione & ſubſultu*, cutis rubore *&* puncturis, *Variolis tunc graſſantibus; & ægro nondum iis correpto: Certo declarantur* tumoribus exiguis *in* ambitu rubris, *undique* efflorefcentibus, *qui ſucceſſive creſcunt, & in* Puſtulas *notabiles abeunt* ".

(a) Exercit. III. cap. VIII. p. 399.
(b) Tom. IV. M. R. S. Part. I. Sect. I. cap. VII. §. VI. p. 76.
(c) Ibid. §. X. p. 77.
(d) De Morb. Infant. cap. XXX. art. V. p. 153.

Digitized by Google

eunt ". Nos præterit, an ovum ovo ſimilis magis ſit, quam Athenienſium *Morbus*, juxta allatum, præ reliquis, Thucydidis textum, Variolis eſt ſimillimus. Quid? Quum in tota *Morbi* Athenienſis hiſtoria nulla fiat *Bubonum*, *Anthracumque*, quibus armata incedit vulgaris Peſtis, mentio; & nulla inveniatur inter ipſius & Variolarum ſymptomata vel minima diſparitas, Hiſtoricorum Medicorumque hærebimus opinioni, quæ *Morbum* a Thucydide deſcriptum, vulgarem Peſtim ſive *bubonicam* extitiſſe, inconſulto in acceptis retulit?

Parallelum decimumtertium.

Athenienſium igitur *Morbus*, a Thucydide deſcriptus, corporis colore, atque parvarum Puſtularum & ulcerum conferta eruptione, noſtras Variolas æquavit.

§. 108. *Interiora vero ita flagrabant, ut neque tenuiſſimorum veſtimentorum aut linteorum injectiones ſuſtinerent, neque aliud quippiam præter nuditatem &c.*) Magnum hoc *ſymptoma* in omnibus acutis lethaliſſimum prædixit *Hippocrates Sect. IV. Aph.* 48. *&* 65.

Analogia ſeptima.

§. 109. *Interiora &c.*) *Rhazes* [*§.* 95.]; *Ballonius* [*§.* 97.]; *Colle*, & *Bellinus* [*§.* 98.]; *Diemerbroeckius* [*§.* 99.]; *Freindius* [*§.* 100.]; *Ettmullerus* [*§.* 102.], ſummam inquietudinem; animi tædium; jactationes, & præcordiorum anxietates ſub primo Variolarum inſultu adnotarunt. Laudatus *de Sauvages* (*a*): „ *Verum*, inquit, *ſi graviores*, *vel malignitatis alicujus participes fuerint* (Variolæ), febris *cum* vigilia *&* anxietatibus *magis* ſuccenditur; æſtuant partes internæ, *lingua areſcit*, ſitis maxima eſt, *ardorque faucium non levis cum difficili deglutitione & reſpiratione* ". Ingenuus *Sydenhamus* (*b*) de Va-

(*a*) Ibid. Artic. III. p. 152.
(*b*) Tom. I. Sect. III. cap. II. p. 44.

Variolarum æſtu ſic fatur : „ Phrenitis *a nimia* ſanguinis ebullitione *nonnunquam ægrum corripit* ; *&* caloris *tam* parum eſt patiens, ut magnis viribus , *ac* furibundo niſu *injectas prehendentium & lecto* incarcerantium *manus* eludere conetur " . Et infra (*a*) addit : „ *Phreniticorum (ex Variolis) nonnulli nutricum curam fallentes*, (*miris ſcilicet artibus utuntur homines ita affecti*) *atque* e lecto dilapſi, aeris frigori *ſemetipſos* etiam noctu *expoſuerunt* ".

Parallelum decimumquartum.

Malignæ igitur Variolæ, uti Athenienſium *Morbus*, interno ægrotos exagitant æſtu.

§. 110. *Et libentiſſime in aquas gelidas ſe conjicerent. Et multi eorum, qui neglecti erant, hoc ipſum etiam fecerunt, & in puteos ſe dejecerunt ſiti inſedabili &c.*) „ *Elapſo quinto*, ait commendatus Hoffmannus (*b*), *incipit fieri ſuppuratio, eodem modo ut eruptio gradatim a ſuperioribus ad inferiora tranſiens, quæ ubi in vigore conſtituta, maximeque in facie manibuſque ſuccedit, ob ingentem* ardorem *& dolorem, cutiſque tenſionem fere* intolerabilem , *accenditur nova ſymptomatica ſecundaria febris cum* ſiti , vigilia , *& præcordiorum* anxietate *&c.* " Inſedabilem ſub Variolis ſitim, jam §. 98. 99. 102. 109. ſpectavimus, & obſervante Sydenhamo (*c*) Variolatorum aliqui *frigidam vel furtim vel raptim nacti, vel etiam precibus a nutrice emendicatam hauſerunt* . Nec Athenienſes ſola ſiti in puteos ſeſe dejecerunt ; verum & ut corporis incendium reſtinguerent. De ipſis enim noſtras *Diodorus Siculus* (*d*) hæc enarrat : „ *Accidit ut plerique* Morbo *correpti, reſtinguendi ardoris in corporibus ſuis deſiderio, in puteos ac fontes ſe dejicerent* " . Morbi Varioloſi per totum corpus *incendium*, *ardorem*, internumque æſtum *Rhazes*, *Mercatus*, *Bal-*

(*a*) Ibid. p. 52.
(*b*) Tom. IV. M. R. S. Sect. I. cap. VII. §. II. p. 74.
(*c*) Tom. I. Sect. III. cap. II. p. 52.
(*d*) Biblioth. Hiſtor. lib. XII. p. 316.

Digitized by Google

Ballonius, *Colle*, *Bellinus*, *Freindius*, *de Sauvages*, *Ettmullerus*, *Hoffmannus* probe notarunt; unde perplurima apud Europam nobis præſto eſſent exempla Variolatorum in aquas ſeſe demiſſorum, ſi ipſi *neglecti fuiſſent*: Verumtamen habemus apud *Americam*. En verba Cl. *Joannis Aſtruc* (*a*) id teſtantia: „ *Conſtat*, ait, *Æthiopem illum*, *Pamphili de Narvaez mancipium*, *non* Venerea lue, *ſed* Variolis *laboraviſſe*; *atque adeo non* Veneream luem, *ſed* Variolas *in* Zempoalanos, *ubi Narvaez caſtra metabatur*, *& hinc in cæteros Hiſpaniæ novæ incolas transfudiſſe*. *Quod poteſt facile argui ex* Morbi *ipſius deſcriptione apud hiſtoricos coætaneos obvia*, *ut*, *nempe*, *qui* celeri propagatione ſerperet, *atque adeo in* diſtans; *qui periculoſus*, *gravis*, acutus, mortifer *eſſet*, *quo* plurimi conſumpti ſint brevi temporis ſpatio; *qui febrilem* æſtum accenderet, cujus impatientia ſeſe in fluvios *Indi* demittebant, temperandi nimii fervoris cauſa *&c.* “.

Parallelum decimumquintum.

Variolæ itaque *clamoſa ſiti*, & totius corporis *æſtu* ab Athenienſium deſcripto *Morbo* ne latum unguem diſtant.

§. 111. Et corporis vexatio, *quæ quieſcendi facultatem adimebat*, *& perpetuæ vigiliæ eos urgebant*. *Corpus etiam ipſum quamdiu Morbus vigebat*, *non languebat*, *ſed præter opinionem cruciatui reſiſtebat*.)

Analogia octava.

§. 112. *Et corporis vexatio &c.*) *Animi tædium*, *inquietudinem*, *jactationes*, *anxietates* pariter ac *perpetuas vigilias* malignis Variolis veluti propria ſymptomata inhærere, quæ a §. 95. pene hucuſque excitatæ ſunt Cl. virorum obſervationes manifeſte declarant. „ *Quotquot*, inquit (*b*) *Cl.*

(*a*) Tom. II. de Morb. Vener. lib. VII. Sæcul. XVII. p. 376.
(*b*) Apud Manget. Tom. IV. B. M. P. p. 774.

Digitized by Google

Cl. Pachequus, *Varioliſ, aut Morbillis laborantes vidi, qui* tenſione *&* meteoriſmo *ventris cum* anxietate huc *&* illuc agitabantur, *tot intra paucos dies obire vidi, præcipue ſi dolor junctus fuerit* ". Et Ill. *Van-Swietenius* (*a*) ait: „ *Dum ſuppurationis tempore tota cutis numeroſis Variolis obſita, tenſa & inflammata dolet*, inquietudo magna, *&* pertinaces vigiliæ *torquent* ".

Parallelum decimumſextum.

Membrorum igitur inquies, perpetuaque vigilia non minus varioloſorum quam Athenienſium *Morbum* comitantur.

§. 113. *Corpus etiam ipſum, quamdiu Morbus &c.*) Athenienſium *Morbus* quouſque ſtatum pertingeret, corpora quidem ægrotorum diſcruciabat, ſed viribus, quibus eidem reſiſterent, haud omnino orbabat. Hujus textus *Analogiæ* vel unus laudatus *Cotunnius* ſatisfacere compar eſt. Inter non multas quidem, quas hoc morbo occiſorum refert hiſtorias, ſequentia (*b*) accurate adnotavit: „ *Sub hora tertia pomeridiana, quum æger varia cum vicinis ægris eſſet collocutus*, ſibique gratularetur *de* jam recuperata ſanitate, *repentino, tanquam ſpecimen* ſuperſtitum adhuc virium *adſtantibus præbiturus*, ſurrexit e lecto ſolus, *&* humi inſtitit. *Sui vero ſuſtinendi impos in faciem illico procidit .... ſublevatus vix in lecto contremiſcens repoſitus*, expiravit ". Et alibi (*c*): „ *Quum paullo ante ſomnum* vivaciſſima *Puella apparuiſſet, impoſuiſſetque Medicis . . . obdormiſcere placidiſſime viſa eſt: ut autem reſipuit, convulſa eſt tota . . . poſt horam* expiravit ". Et infra (*d*): „ *Eo tamen titulo dolentius vidi occubuiſſe* [*puerum*], *quod, omnibus ad curationis finem feliciſſime perductis*, dum nihil ulterius timendum videbatur, *mors inexpectata occupavit* ". Et inferius

(*a*) Tom. IX. in Boerhaav. §. 1399. p. 88.
(*b*) De Sedib. Variol. Syntagm. §. XIII. p. 23.
(*c*) Ibid §. XXV. p. 36.
(*d*) Ibid. §. XXIX. p. 42.

Digitized by Google

rius [*a*]: „ *Referebant, qui adfuerant ægrotanti* [*puero*], *duodecimo Morbi die, quum pauciſſimas & benigniſſimas Variolas habuiſſet, bene maturatas, & fere univerſim perſiccatas*, in media ſpe ſalutis, momento temporis, *convulſione oborta*, occubuiſſe ". Tandem de alio variolato viro ſubdit [*b*]: „ *Ventre craſſis fæcibus exonerato, ſequente exacta nocte, proxime diluculo alterius diei*, poſtquam ſuper lectum ſemel ſe iterumque elevaſſet, *æger expiravit* ". Horum innumera haberemus exempla, ſi praxim Factitantes hoc phænomenon animadvertere & literis tradere curaſſent. Bene memini, ſub dira hujus Morbi in Patria mea graſſatione anni 1782., mihi ad variolatum Filiolum *Joſephi Galiano* cæmentarii ſub veſperas accedenti, quem eodem mane firmiſſimum ad ſuſtinendum Morbum exiſtimaſſem, occurriſſe, qui ejuſdem interitum nuntiavit.

Parallelum decimumſeptimum.

Tum igitur ſub Variolis, tum ſub Athenienſium *Morbo* ægroti valentibus viribus fato occumbunt.

Excidii tempus ex Athenienſium Morbo, Variolis, haud bubonicæ Peſti, proprium.

§. 114. *Itaque plerique intra nonum, aut etiam ſeptimum diem, propter internum ardorem interibant, aliquid virium adhuc retinentes.*

§. 115. *Plerique intra nonum &c.*) Inter cætera argumenta, quibus aperte arguitur, Athenienſium *Morbum* haud fuiſſe *vulgarem* ſive *bubonicam* Peſtim, non infimum obtinet locum tempus, quo ille ægrotis mortem attulit. Ill. *Freindius*, Athenienſem *Morbum vulgarem* Peſtim ratus, hanc enormem illius differentiam cum Peſte Conſtantinopolitana ſerio

(*a*) Ibid. §. XXXIII. p. 49.
(*b*) Ibid. §. XLV. p. 75.

ſerio ac perdocte animadvertit: ,, *Modus ipſe*, inquiens [*a*], *quo hæc* [*Conſtantinopolitana Peſtis*] *ſeſe diſſeminavit* , *erat diverſus* . *Hic enim vel* repentina morte occubuerunt , *vel* primo die , *vel ſaltem* intra paucos dies . *Et* Agathias, *qui ſecundam ejus invaſionem deſcribit*, *quæ Conſtantinopoli anno Domini DLVIII. accidit* , *diſerte ait* , pleroſque momento temporis obiiſſe , *ſicut a vehementi Apoplexia* ; *& eos*, *quibus maxime natura vires ſuppeterent*, quinto die nunquam ſuperfuiſſe . *In* Athenienſi *autem* , Morbus ad ſeptimum *vel* nonum diem ibat , *qui quidem uſitati erant mortis dies* ". De *Florentina* vulgari Peſte anni Domini 1348. venuſtus inter *Italici Sermonis* Parentes *Joannes Bocaccius* , qui teſtis illius atque obſervator fuit , enarrat [*b*], majorem Peſte affectorum partem tertio die citius , vel paullo ſerius ab *Anthracum* , *Bubonumque* eruptione fato ceſſiſſe ; & infra [*c*] refert , non paucos mortalium robuſtiſſimos, quos *Galenus*, *Hippocrates*, *Æſculapiuſque* paneratice valere decreviſſent , quique mane inter conjunctos amicoſque hilariter agitarunt prandia, ſero ejuſdem diei cum mortuis cœnaſſe fratribus . Cl. *Paulus Barbette* inter non multas hominum Peſte correptorum hiſtorias refert (*d*) , eorum aliquos ſecundo , tertio , quartove Morbi die occubuiſſe . Ill. *Fabricius Hildanus* de Peſte *Lauſannenſi* anni 1614. ſic fatur (*e*) : ,, *Vehemens* (*fuit hæc Peſtis*), *quia multi*, antequam vix ægrotarent , extincti fuerunt ; *qui* , *neſcio quanam vertigine & virium labefactatione oppreſſi* , intra paucas horas ; *multi vero phrenitici* ſecundo , *aut* tertio die defecerunt " . Sub Peſte *Noviomagenſi* anni 1635., ex hiſtoriis ab ea occiſorum a Præl. *Diemerbroeckio* poſteritati traditis (*f*), eorum aliquibus *primus*, *ſecundus* , *tertius* , *quartuſve dies* fatalis fuit . Laudatiſſimus

P

(*a*) Hiſtor. Medic. p. 43.
(*b*) Decamer. Giorn. I. p. 3.
(*c*) Ibid. p. 8.
(*d*) Apud Manget. tom. IV. B. M. P. a p. 62. ad 66.
(*e*) Apud eumdem ibid. p. 61.
(*f*) Apud eumdem ibid. a p. 66. ad 100.

Digitized by Google

mus *Meadius* de Peſte Maſſilienſi anni 1718. hæc ſcribit (*a*) : „ *Medici* Galli *quinque claſſium*, *in quas pro gradu Mali ægros Maſſilienſes diſpeſcebant* , *omnes comitatas obſervarunt* bubonibus *&* carbonibus, excepta prima, *cujus claſſis ægri* tanta vi corripiebantur , *ut* , aut paucis horis expirarent, *aut intra* primum , ſecundumque , *ut maxime ſero* diem ; *oppreſſi anxietate & lipothymiis*, *in quas conjiciebat primus ſtatim Morbi impetus*, *quippe ſtatim viſceris alicujus gangræna incenſa*, *quod in ſectis cadaveribus apparebat* “. Olim inclitæ, nunc terræmotu ſubverſæ noſtratis Urbis *Meſſanæ* Peſtis anni 1743. maximum hominum numerum ante quintum ſextumve diem (*b*) e medio ſuſtulit; quinimo, quum enarretur (*c*) in eadem Urbe, tunc temporis ſexaginta circiter mortalium millia enutriente , a ſexto ad vigeſimum uſque diem menſis Junii quindecim millia ferali hac Lue proſtrata jacuiſſe , conjectari conſonum eſt , horum plurima ſi non repente, intra primum ſaltem vel ſecundum diem animas efflaviſſe. Quid! Nobis alias *vulgaris* ſive *bubonicæ* Peſtis hiſtorias conſulentibus maniſeſto apparuit , eamdem repentino ſemper & admodum cito hominum interitu fuiſſe comitatam ; unde quouſque hae ſuper re ratæ non adducantur obſervationes ſuperius appoſitis contrariæ , ſequentem Concluſionem inter demonſtrata referendam eſse quiſquis ingenuus fatebitur:

Concluſio quinta.

Athenienſium igitur *Morbus* a Thucydide exaratus ; etiamſi numeroſa mortalium clade infamis pro vulgari Peſte ab omnibus acceptus ſit , quum tamen repentinis ac citis mortibus, a bubonica Peſte patrari ſuetis, omnino deſtitutus fuerit, hac ſaltem ratione bubonicæ Peſtis nomine haud vocari meretur ; ſed potius Varioloſus decernendus , quia inter

(*a*) Oper. Medic. Diſſert. de Peſt. Part. I. cap. I. p. 168.
(*b*) Stor. dell'anno 1743. lib. III. p. 250.
(*c*) Ibid. p. 257.

inter ſeptimum & nonum diem; uti hic, ut plurimum fuit lethalis, quinimo ipſa Peſte bubonica vel magis mortiferus.

Analogia nona.

§. 116. *Itaque plerique intra nonum, aut etiam ſeptimum diem, propter internum ardorem interibant.*) Jam §. 106. repetitis obſervationibus demonſtravimus, malignas Variolas, febre ad manum miti ſtipatas, interiorum ſedium gangræna affectos interimere. Summam *acutiem* Variolis quandoque non defuiſſe teſtantur *Ettmulleri* verba ſic ſcripta [*a*]: „ Bartholinus *in* Act. Med. Haffn. *habet exempla eodem tempore Variolis infectorum, &* eodem temporis puncto iiſdem intereuntium ": teſtantur *&* ſequentia *Meadii* [*b*]: „ *Ut prona ſit concluſio, æque has eruptiones (Bubonum & Anthracum)* pathognomonicum *ſignum hujus Morbi (Peſtis vulgaris) eſſe, quam ſunt* (Puſtulæ), *quibus Variolæ & Morbilli agnoſcuntur, & diſtinguntur: quibus etiam Morbis, quemadmodum ægri illi primæ claſſis Peſte correptorum, ſæpe obſervantur* e vita abripi ægri nimia febris vehementia, *antequam Puſtulis prodire* datur ". At vero variolatorum excidii tempus ſub ſtadio præpeditæ ſuppurationis inſtare, cunctis Praxin Factitantibus notum eſt. „ *Notandum eſt tamen*, inquit ingenuus Sydenhamus (*c*), *quod qui lethalibus iſtis veſiculis, ac mortificatione, quæ nonnullis primo menſe, quo hæc ſpecies (Variolarum) invadebat, accidiſſe memoravimus, libitinæ deſtinabantur, intra* paucos dies *ab* eruptione *interibant* ". Commendatus *Cotunnius* (*d*) de quodam hæc ſcribit: „ *Die ſexto ſuppuratio apparuit plerarumque Puſtularum faciei; ſed interim tumor cutis nullus erat, neque in facie, neque in reliquo cor-*

P 2

(*a*) Colleg. Conſult. Caſ. XXXVI. in annot. p. 847.
(*b*) Oper. Med. Differt. de Peſt. cap. I. Part. I. p. 168.
(*c*) Tom. I. Sect. IV. cap. VI. p. 71.
(*d*) De Sedib. Variol. Syntagm. §. XX. p. 29.

Digitized by Google

corpore ; & ſubſidere Variolæ viſæ ſunt , ſic ut ſeptimo exeunte die, *multis inutiliter , quo ſublevari poſſet , tentatis , gravi jam* anhelitu, *mox & ſopore prehenſus æger occubuerit* ".

Parallelum decimumoctavum.

Athenienſium igitur *Morbus* , ſicuti repentinis ac citis excidiis deſtitutus a *bubonica* Peſte (Concl. V.) recedit; ita cladis genere ac tempore Variolas adamuſſim exprimit.

§. 117. *Interibant , aliquid virium adhuc retinentes .*) Vim vitæ præſentem, deficientibus ſenſibili Reſpiratione, atque Pulſu, teſtatur quandoque membrorum omnium conſtans flexibilitas, qua una ſuperſtite non ſemel mulieres vehementiſſimo uteri ſtrangulatu prehenſas vita haud exceſſiſſe comperimus : hinc eſt, ut inter certiora mortis ſigna, modo Catalepticos excipiamus, ſupremum obtinet locum accedens poſt aliquot obitus horas artuum rigiditas cum marmorea frigiditate. Athenienſes *Morbo* peremti aliquid virium poſt mortem retinebant; at in extinctis non reſpirationem vel obſcuriſſimam, non pulſum exilem animadvertere potuit *Thucydides*, quibus hoc aliquid virium ſignificare voluiſſet, ſed ſolummodo *flexibilitatem* membrorum, aliquam vitæ vim adhuc exprimentem. In hanc conjecturam rationibus ſatis innixam nos firmat *Titus Lucretius Carus* Atticæ locutionis peritiſſimus, & proximis quidem poſt vulgatum hunc *Morbum* temporibus Athenis eruditus, quum anno ab urbe condita CDLVIII. [*a*] natus ſit. Is enim, Peſtilitatis exemplum depingere cupiens, integram Athenienſium *Morbi* hiſtoriam a *Thucydide* ad verbum eſt mutuatus, eamdemque maxima cum felicitate carminibus comprehendit; atque hoc Thucydidis *aliquid virium adhuc retinentes* ſequenti incluſit verſu: *Nec nimio rigida poſt ſtrati morte jacebant* (*b*), & qui-

(*a*) Nardius in T. Lucr. C. Vit. p. 3.
(*b*) T. Lucret. cum Avercamp. de Rer. Natur. lib. VI. p. . .

Google

quidem tropis ornata, quod poetarum maxime eſt, locutione, quam *Juvenalis* ſequutus, adhuc cecinit: *(a)*

Ad generum Cereris ſine cæde & vulnere pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte *Tyranni*.

Porro in hoc *aliquid virium adhuc retinentes*, & *nec nimio rigida morte*, magni momenti Phænomenon continetur, *bubonicæ* Peſti pariter atque Variolis proprium & peculiare; quod ſi Medici hactenus probe perpendiſſent, utiliſſimi fuiſſet uſus in judiciis de Peſtilitate ferendis. Citato igitur *Thucydidis* textu id quidem exprimitur, quod *Morbo* poſtratorum cadavera haud rigida, tenſa, dura, uti in cæteris mortium ſpeciebus perpetuo contingit, jacebant; ſed dormientium inſtar flexibilia atque mollia perſiſtebant. Peſte occiſorum cadavera flexibilia manere Auctor eſt Cl. *Drelincurtius* [*b*] ex Dn. Guiot: „ *Cadavera*, inquiens, *Peſte interfectorum plane* flaccida poſt refrigerationem *manent* “: Auctor & eſt laudatus *Colle*, qui inter ſigna, Peſtis præſentiam decernentia, hoc annumerat [*c*], *ſi*, nimirum, vel primi defuncti *cadaver aut molle*, *aut confractum* remanſerit. Utinam ſelecti Aſclepiades in hactenus per Europam vulgatis Peſtilitatibus dijudicandis hoc ſigno adhæſiſſent! Multa quidem Hominum excidia antevertere potuiſſent. Quod Variolatorum cadaverum *flexibilitatem* ſpectat, quantum ſcimus, hujus phænomenis detectio laudati *Cotunnii* ſollertiæ, magnæque in obſervationibus anatomicis dexteritati tribuenda eſt. Ipſe quidem de primo Variolati cadaveris extiſpicio ſic loquitur [*d*]: „*Ut in theatrum cadaver eſt perlatum*, *& tractari primum cæpit*, *illud mirum fuit*, *quod* flexilitatem *tantam membrorum articuli ſervabant*, *ut nihil in* vivente *deſiderari ulterius potuiſſet* “, & quidem poſt viginti quatuor horas ab exitio, uti ibidem paulo ſupra. De ultimo pariter ſcribit [*e*]: „ *Erat cadaver* flexibi-

(*a*) Satyr. X.
(*b*) Apud Manget. tom. IV. B M P. p. 35.
(*c*) Tom I. lib. XII. cap. VIII. p. 501.
(*d*) De Sedib. Variol. Syntagm. §. XIV. p. 25.
(*e*) Ibid. §. XLV. p. 75.

Digitized by Google

biliſſimum, *qui* communis eſt omnium, ut paſſim memini, Variolis extinctorum character ".

Parallelum decimumnonum.

Athenienſium itaque *Morbus* cadaverum *flexibilitate* Variolas exacte imitatus eſt.

Athenienſium Morbus nec Bubones, neque Anthraces excitavit.

§. 118. *Aut, ſi, hoc temporis ſpatio præterito, mortem vitaſſent; tamen, quia* Morbus *in ventrem inferiorem deſcendebat, & exulceratio vehemens in ipſo naſcebatur, ſimul etiam quia immoderatum alvi profluvium invadebat, plerique poſtea propter debilitatem interibant.* Morbus *enim* qui primas in capite ſedes collocarat, per totum corpus, *initio a ſummis partibus ducto, pervadebat.)*

Analogia decima.

§. 119. *Quia* Morbus *in ventrem inferiorem deſcendebat &c. qui primas in capite ſedes collocarat, per totum corpus &c.*] Varioloſam Peſtim in capite primum coaleſcere, ejuſdem immanis dolor, faciei repletio, rubor, & rutilus color; rubedo oculorum, lacrymæ involuntariæ, vocis raucitas, linguæ ariditas, narium pruritus, faciei punctiones, ſternutationes, ex *Ballonio* demum *capitis peculiaris* ad *oculorum* exertionis, vel *cæcitatis* uſque. metum *plethora*; ſymptomata jam ſuperius a §. 95. ad §. 102., ubi de Variolarum aggreſſione adnotata, ſatis clare evincunt. Puſtularum varioloſarum eruptionem a capite incipere expertus nemo negarit. ,, *Intra tertium*, inquit magnus Hoffmannus [a] *& quartum diem conſpiciuntur in facie & collo veſtigia macularum rubrarum, quæ pedetentim numero plures*

(a) Tom. IV. M. R. S. Part. I. Sect. I. cap. VII. §. II. p. 74.

Digitized by Google

res efflorescunt; poſt *faciem & collum*, *pectus*, *brachia*, *ac* demum *etiam* abdomen, dorſum *cum* femóribus pedibuſque *occupantes*. *Durat hæc eruptio ad duos uſque dies* ſucceſſive *&c.* ".

Parallelum vigeſimum.

Itaque Athenienſium *Morbus* & capitis invaſione, & puſtularum eruptionis ordine varioliferum Morbum preſſo pede ſequutus eſt.

§. 120. *Et exulceratio vehemens in ipſo* [ventre] *naſcebatur.*] Totius ventris ac laterum vehementes exulcerationes, quinimo univerſi fere corporis, ut ita dicamus, *decorticationes*, Variolæ non Medicis ſolum, ſed quibuſvis viſu gaudentibus miſerando ſpectaculo intuendas quotidie obtulerunt. Ill. *Fernelius* ad evincendam Variolarum ac Morbillorum venenatam qualitatem, hæc præ cæteris loquitur (*a*): „ *Hoc & Morborum fœditas teſtatur, tam deformis aliquando viſa, ut* occœcatis oculis, univerſa cutis *in* ſquamas fœtidas, *& in* cruſtas ingentes ſolveretur, *corpus omne non aliter contabeſceret*, *& macie*, nigroreque torreretur, *quam ſi* menſes quatuor *e furca pependiſſet* ". Unum interim ingenuis Medicinæ Æſculapiis animadvertendum exhibemus, quod, nimirum, *Thucydides*, dum affabre diri Athenienſium Morbi externam faciem appingendam aſſumpſerit, nec *Bubonum*, neque *Anthracum*, individuarum *vulgaris* Peſtis eruptionum, unquam meminerit; ſed totius corporis ſuperficiei vaſtationem *Puſtulis*, atque *ulceribus* & quidem *parvis* [*§.* 107.], quæ *primas* in *capite ſedes* collocarant, inque *ventrem inferiorem deſcendentes exulcerationem in ipſo* excitaverant *vehementem*, & *per totum corpus*, *initio a ſummis partibus ducto pervadebant*, ſolummodo attribuerit. Quæ quidem, ſi unis Variolis conveniant necne, ipſorum Æſculapiorum eſto judicium.

Con-

(*a*) Lib. II. de Abd. rer. cauſ. cap. XII. p. 622.

Digitized by Google

Concluſio ſexta.

Athenienſium igitur *Morbus*, Anthracibus Bubonibuſque Peſti vulgari cognatis, prorſus deſtitutus, bubonicæ Peſtis ſpeciem minime conſtituit.

§. 121. *Simul etiam quia immoderatum alvi profluvium invadebat, plerique poſtea propter debilitatem interibant.*] Immoderatum alvi profluvium, perpetuo Naturæ inimicum, reliquis ægrotorum cruciatibus accedens, ipſorumque vires peſſumdans, interitum inferebat; quod quidem ſummopere diſtat a critica Diarrhœa, qua ægroti quammaxime ſublevantur.

§. 122. *Simul etiam quia &c.*] Pereunt & Variolis oppreſſi poſt ſeptimum vel nonum diem ab alvi ſuperveniente profluvio. „ *Qui moriuntur ex Variolis*, inquit Sennertus [*a*], *vel angina plerumque pereunt, interclusa a* Puſtulis *ſpiritus via, vel* ſyncope, *ex ſpirituum a materia maligna corruptione, vel* alvi profluvio *& Dyſenteria* “. Cel. *Mercatus* [*b*] inter ultima & graviora Variolarum ſymptomata, *Dyſenteriam* recenſet *vel ex humorum malitia, vel ex Medicorum nimia diligentia in excitando ventre* ſuperaccedentem. Cl. *Pechlinus* [*c*]: „ *Si Diarrhœa*, ait, *infeſtat, tum aſſumptæ nimia colliquatione vires, propulſandæ in cutim materiæ impendere ſe nequeant. Quid? quod complanata ad diarrhœam Variolarum convexa ſatis oſtendunt deſtinatam cuti materiam in alvum deſiiſſe in naturæ fraudem? Ut autem adultioribus a ſalivatione, ſic pueris a diarrhœa plus eſt periculi* “. Laudatus *Mortonus* [*d*] *conatum per alvum* ſub Variolis fere ſemper ſymptomaticum, atque languentis & corruentis naturæ indicium, uti vires veneni augentem, fatumque accelerantem, declarat. Praxeos medicæ feliciſſimus aſſertor *Riverius* (*e*) hæc loquitur: „ *Purgatio in hoc affectu*

(*a*) Tom. III. de Febr. lib. IV. cap. XII. p. 183.
(*b*) Oper. tom. II. lib. VII. cap. III. p. 471.
(*c*) Apud Manget. tom. IV. B. M. P. p. 692.
(*d*) Exercit. III. cap. VI. p. 366.
(*e*) Prax. Medic. lib. XVII. cap. II. p. 441.

Digitized by Google

ctu ſuſpecta eſt . Fit enim motus motui naturæ contrarius , nempe a circumferentia ad centrum ; *&* quibuſcumque Variolis laborantibus alvi fluxus contingit, *retroceſſio Variolarum repentina &* mors ut plurimum conſequitur, *ut in progneſi notavi* ". Filia Joannis *Craſſelt*, ac altera Nicolai ab *Hervelt* , referente *Diemerbroeckio* [a] , *diarrhœa purulenta* Variolis accedente, octava die interierunt. Laudatiſſimus *Tralles* tandem hæc ſcribit [b]: ,, *Puer quinque annorum , & puella decennis , undecima Variolarum die* ſuperveniente fœtido admodum cum dolore alvi fluxu , *irritis Boerhaavianis præſidiis fato ceſſerunt* ". Quorſum plura? Apud nos alvi fluxum ſub Variolis vulgus ita male accipit, ut in earum curatione purgantia vel leniſſima reformidet.

Parallelum vigeſimumprimum.

Et Athenienſis igitur *Morbus*, & Variolæ, poſt ſeptimum ac nonum diem, alvi profluvio ægrotos interimunt.

Athenienſium Morbus perpetuas maculas notaſque , tanquam ſuæ feritatis teſtes, extremis corporis partibus illorum, qui ex eo evaſerant, inuſſit ; oculoſque perdidit .

§. 123. *Et ſi quis ex maximis illis periculis evaſiſſet , extremæ tamen corporis partes , quæ captæ læſæque remanebant , eum hoc morbo laboraſſe teſtabantur . Nam in ipſa quoque pudenda , & in ſummas manus , ſummoſque pedes prorumpebat , multique his membris capti mortem vitarunt: nonnulli etiam oculis amiſſis . Nonnullos etiam , ſimulac ex Morbo convaluerunt , ſtatim omnium rerum oblivio pariter cepit, ita ut neque ſe ipſos, neque neceſſarios agnoſcerent .)* Ingenuos obteſtamur Medicinæ Aſclepiades , ut , ſepoſitis præjudicatis opinionibus hypotheſibuſque , quas hactenus ad-

(a) Apud Manget. tom. IV. B. M. P. hiſt. II. p. 722.
(b) Vexatiſſ. noſtr. Ætat. &c. apud de Haen tom. III. Opuſcul. Medic. Phyſ. p. 9. & 10.

adlaboravimus, quaſque modo ſubjiciemus Athenienſis *Morbi* cum Variolis *analogias*, æqua lance librare haud graventur. Equidem, qui *Thucydidis* diebus Athenienſes totamque Græciam magna clade mulctavit, *Morbus*, poſt hominum memoriam [§. 69. 72. 73.] omnino ignotus prorſuſque novus; Variolis in omnibus [a §. 74. hucuſque] perquam ſimillimus; cita morte [§. 115.], bubonibus atque anthracibus, [§. 120.], perpetuis *vulgaris* Peſtis ſociis, carens; nunc corporibus ab ipſo evaſis ſuæ feritatis turpia monumenta affigit; oculos, dulciſſimum illud vitæ præſidium ac decor, adimit, membraque detruncat: unde Veritatis aſſertores decernant, cuinam ipſe hiſce ſignatus characteribus propius accedat, *bubonicæ* nimirum Peſti, an Varioloſæ?

Analogia undecima.

§. 124. *Et ſi quis ex maximis illis periculis evaſiſſet, extremæ tamen corporis partes, quæ captæ læſæque remanebant, eum hoc Morbo laboraſſe teſtabantur.*] *Ex maximis illis periculis:* Lethalibus, nimirum, funeſtiſque illis ſymptomatibus, ſuperius [§. 89.] enumeratis, quæ ut plurimum laborantium excidio clauduntur. Talia ſub malignis Variolis evenire ſymptomata, ſtrenuorum Medicorum nullus, qui huic diro Morbo medicam opem præſtitit, inficias iverit. *Extremæ corporis partes*: Caput, nempe, manus, pedes tunc temporis crepidis tantummodo muniti, & aeri objecti. *Quæ captæ læſæque remanebant &c.*] Perpetuis ſcilicet notis a Morbo inflictis deturpatæ, intuentium oculis perpeſſæ violentiæ ſigna, & veluti miſeranda offerebant monumenta, & quidem huic *Morbo* propria & peculiaria; ſed omnium maxime facies cicatricibus, foveiſque defœdata de eo teſtaretur neceſſe fuit, utpote quod omnibus ſpectabilior, & maxime conſpicua. An hæc interpretatio nos fallit? Thucydidianæ locutionis *ſyntaxim*, imo totum hiſtorici textum, §. 123. exſcriptum, accuratus Morborum ſpeculator *Pechlinus* ad verbum, nil tale cogitans, in membrorum devaſtationibus, a Variolis patratis, deſcribendis, eſt imitatus: „ *Quemadmodum*, in-

Digitized by Google

inquit, (*a*) *prodigia naturæ quotidie eveniunt*, *ita vidi*, *qui cum* peſſimis ſymptomatibus *colluctati* mortem tamen evaſerint; ſed ita, ut ex ſuperſtite quadam nota, periculi magnitudinem, qua olim laboraverant, hariolari facile *licuerit*. *Notavimus efferari adeo atque invaleſcere Variolarum fermentum*, *ut ſuperſtes in membris organiſque virulentia alium* oculis, *alium* auditu, *alium* pedum uſu, magnaque ſanitatis parte mulctaverit. *Vidi* clauditatem *ex malignis Variolarum reliquiis contractam*, *jamque annos duos hærentem*, *balneorum tandem uſu profligatam*. *Nota ſunt* cæcitatis *a Variolis profectæ exempla*. *Et vero etiam* excſam *a Variolis* uvulam *vocis gratiam corrupiſſe obſervavi*; *ſed & vagatum per diverſa corporis Variolarum virus*, carbunculi inſtar cutim atque carnes erodit, *&* faciem *imprimis*, *illam alias partium omnium reginam*, *& pulchritudinis ſedem*, profundis fœdiſſimiſque nævis *dehoneſtat*. *Vidi ubi copia & malignitas Variolarum*, pereſis *jam* genis, gingivæ *gangrænam*, *&* lævæ maxillæ oſſi inferiori cariem *intulerit*". Num vel in *Thucydidis*, hiſtorici brevitatis amantiſſimi, nimium contracta ſcribendi ratione, a *Pechlino* per partem enumeratæ corporis deturpationes vaſtationeſque adamuſſim non comprehenduntur? Quouſque ratis obſervationibus haud evincatur, extremas corporis partes illorum, qui *vulgari* ſive *bubonica* Peſte laborarunt, poſtquam ex illa evaſerint, ita captas læſaſque remanere, ut eos tali Peſte laboraſſe teſtatæ fuerint; Athenienſium *Morbum* minime *bubonicam* Peſtim fuiſſe, in demonſtratis habendum fore cenſemus.

Parallelum vigeſimumſecundum.

Thucydidianus igitur *Morbus* perpetuis notis, quas ſuperſtitum extremis corporis partibus inuſſit, uti Variolæ, ſe clarum reddidit.

§. 125. Nam in ipſa quoque pudenda (Morbus) . . . *pro-*

(*a*) Apud Manget. tom. IV. B. M. P. p. 692.

Digitized by Google

prorumpebat.) *In ipſa pudenda*, haud vero in inguina, in quibus ſub *vulgari* Peſte *Bubones* pullulare ſolent atque erumpere. Qui confluentibus Variolis obſita corpora vel ſemel conſpexit, utriuſque ſexus diros cruciatus, quos ſub mejendi conamine, ob pudendarum partium, puſtulis jam ſcatentium, doloris pleniſſimas exulcerationes, ſimul & frequentes, ad Urinæ uſque exitus impedimentum, ſtrangulatus, Variolati ſuſtinere coguntur, ignorare nequit. Variolarum hiſce in locis eruptio tam conſtans ſuetaque eſt, ut ab ea facundus *Fernelius* neſcio quam rationem ſuæ *hypotheſi* veluti ſuffragantem extorquere ſit arbitratus: „*Quin etiam*, inquiens (*a*), *raucitas*, *ſpirituſque difficilis initio premens*, *&* *prima eruptio in faucibus & ore*, *in* ano *&* partibus obſcœnis *apparens*, *planum facit*, *ex intimis partibus hæc mala* (*Variolæ & Morbilli*) *originem habere*". Nobis liceat, Cl. *Drelincurtii* obſervationes, lubricis verbis abactis, hic attexere, maxime quod non ad hanc ſolum, verum & ad integram §. 123. illuſtrandam pertineant: „*Nec cicatrices*, inquit (*b*), *illæ vel palpebrarum hiatu*, *vel oris rictu ſolum deformes*; *ſed aliunde mulcebres Veneris delicias turbant*. *Hinc Juvenis*, (*teſtibus* Hildano, *&* Germanicis Ephemeridibus) . . . . *Variolarum* phymoſi *capiſtro* (*pravum ulcus edax olente*) *coercetur*. *Tanta quippe præputii cicatrix mentulæ capitulo capiſtrum velut injicit*, *quo* . . . . *Sed quid leviora externaque memorem? Hoc enim Variolarum pure ulcera* Telephiis *atque* Chironiis *deteriora vidi tantos ſparſim cuniculos egiſſe*, *ut vel* Hippocratis *manum eluſiſſent*. *Hinc annoſæ virginis* glutæos muſculos, mammarumque colles, *imo &* oculorum globos *purulentiæ cuniculis ſuffoſſos dolui*. *Hinc* ulcera *rebellantia*, *&* eroſa cornea, *atque horribilem* cæcitatem *exhorruerunt* Foreſtus, *atque* Guillemeus". Tandem Ill. *Van-Swietenius* (*c*) ita fatur: „*Sic vidi unicam papulam in præputio infantis* (*Variolati*) *mo-*

(*a*) Lib. II. de Abd. rer. cauſ. cap. XII. p. 622.
(*b*) Apud Manget. tom IV. B. M. P. p. 667.
(*c*) Tom. IX. in Boerhaav. §. 1396. p. 68.

Digitized by Google

moleſtiſſimam feciſſe phymoſim ; *dum celluloſa tunica miro modo inflata in hac parte difficilem reddebat Urinæ exitum* ".

Parallelum vigeſimumtertium.

Athenienſis itaque *Morbus*, non minus quam Variolæ, mortalium verenda affecit.

§. 126. *Et in ſummas manus, ſummoſque pedes* (Morbus) *prorumpebat*.) Ex *Pechlino* (§. 124.) Variolarum virus *alium pedum uſu mulctavit*, in alio *clauditatem* intulit. *Swietenio (a)*, emenſo per ipſum varioloſi Morbi curriculo, *integra ſolea, cui adhærevant planæ orbiculares cruſtulæ, Variolarum exſiccatarum reliquiæ, a plantis pedum ſeceſſit*. Ill. *Tralles (b)* triſtem dirorum malorum a Variolis excitatorum iliadem, ex clariſſimorum Virorum obſervationibus, deſcripſit; & præ cæteris adnotavit articulorum non paucos abſceſſus; coxarum apoſtemata & contracturas; pedum duros tumores, *pedarthrocacen* in manibus, pedidus, ſpina dorſi, & *Lernam* malorum ex *Tulpio* „ *qui* (ſunt verba ipſius Tralles l. c.) *Variolas epidemicas deſcribens, illos, quos non occiderint, ſaltem* voce, viſu, auditu, inceſſu, *aliorumque membrorum uſu privaſſe refert* ". Nos non pigeat audire clariſſimum *Paræum* hæc *(c)* loquentem : „ *Quoad prognoſin Variolarum & Morbillorum, affinitate ſumma conjunctorum affectuum, aſſerere liceat ſubeſſe* deleteriam *&* contagioſam *qualitatem, non humoribus ſolum &* partibus carnoſis infeſtam, *ſed* ipſis *etiam* oſſibus, *quæ ab ea lue*, non ſecus ac a Venerea, corrodantur. *Id, quod non ſolum anno* 1568. *experiri licuit, ſed &* ſæpius *per longum vitæ ſtadium a Deo mihi conceſſum. Inſigne vero ſuppeditavit exemplum & mirum puella quinquennis circiter, filia Claudii Pique Regii Bibliopegi, quæ ob Variolas*

(a) Ibid. §. 1400. p. 92.
(b) Venauff. noſtr. Ætat. &c. apud de Haen Opuſc. Med. Phyſ. Quæſt. VII. p. 123. & ſeqq.
(c) Apud Manget. tom. IV. B. M. P. p. 774.

Digitized by Google

las decubua per menſem, *natura autem veneni non potente*, *abſceſſus ſterni regioni innati ſunt &* humerorum commiſſuris. *Hinc humor virulentus ſterni oſſa omnino corroſit & ſeparavit*, *ſimul cum* epiphyſibus oſſium humeri, *ſimulque partem maximam homoplatæ . . . . Rolinus Marie conſpiciliorum venditor Pariſienſis ad me adduci curavit puellam quatuor annorum cum duobus menſibus natam*, *cui univerſum corpus puſtulis conſperſum erat*; oſſa *præterea* brachiorum & crurum putridis abſceſſibus, fracturis cum putredine, *tentata*, *comite febre ardente*; *cui manum admovere recuſavi*, *poſtridie morte ſuccedente*.. *In multis præterea* gingivarum caries *& putredo deprehenditur magno cum fœtore . . . . Quandoque* motu articuli privantur, cubitorum *præſertim*, carporum, genuum & pedum. *Quibuſdam* cœcitas *omnimoda inducta*; *alii* audiendi facultate *orbati ſunt*, alii odorandi, *ab excreſcente carne in* narium & aurium *canalibus*; *quod in cæteris corporis partibus accidit tam interioribus*, *quam externis . . . Paucis*: *Si corpus & Variolis & Morbillis non rite expurgetur*, *æque moleſta & periculi plena exoriuntur ſymptomata*, ac a Lue Venerea ". Sic Paræus.

§. 127. *Multique his membris capti mortem vitarunt*.) „*Felicior*, inquit *Swietenius* (*a*), *quidem puris varioloſi reſorpti* metaſtaſis *fit verſus* exteriorem corporis ſuperficiem, *aut* artus; ſed tamen & tunc miſeri moleſtiſſimis *ſæpe* malis vitam redimunt. *Vidi utriuſque* cubiti *immedicabilem* anchyloſin *inde natam in vegeto juvene*. *In* genubus *ſimile infortunium obſervavi*. *Sæpius* ulcera *ſinuoſa*, *quæ magna cum difficultate curari poterant*, *vidi in carnoſis* artuum ſuperiorum & inferiorum partibus ": Et inferius (*b*) inducit *Mortonum* ſcribentem, quoſdam Variolas paſſos, *funeſto* tandem *claviculæ*, *maxillæ*, vel *tibiarum* ſphacelo inexpectato ſuborto interiiſſe; *Trillerum* in formoſa virgine ſpectaſſe ex confluentibus Variolis *uvulam eroſam*, *partem oſ-ſis*

(*a*) Tom. IX. in Boerh. §. 1400. p. 92.
(*b*) Ibid. §. 1401. p. 94.

Digitized by Google

ſis palati ſeceſſam, *naſum ſubſeſſum*; & *Jacotium* ex hujus morbi virulentia obſervaſſe *gingivarum*, *palati*, *totius oris*, *uvulæ*, *fauciumque* ulcera in cancrum degenerata. *Conf.* §.124.

Parallelum vigeſimumquartum.

Et Athenienſium *Morbus* igitur, & Variolæ pari virulentia varia, quinimo fere omnia, corporis membra non ſolum deturpant, verum etiam & prorſus perdunt.

Oculorum amiſſio ſæpiſſime ſub varioloſa, nunquam ſub bubonica Peſte contingit.

§. 128. *Nonnulli etiam oculis amiſſis*.) Adamuſſim per nos evolutis *Conſtantinopolitanæ*, *Florentinæ*, *Lauſannenſis*, *Noviomagenſis*, *Maſſilienſis*, *Meſſanenſis* [§. 115.] truculentæ *vulgaris* Peſtis hiſtoriis, ne unum quidem legimus, qui a *bubonico* tabo cœcus evaſerit. *Sylvius*, qui *Bruxellenſi* Peſti *bubonicæ* medendæ vacavit; *Sennertus*, qui perplurimas hujuſmodi peſtilitatum hiſtorias perſpectas habuit; *Sydenhamus*, qui *Londinenſem* & aufugit & deſcripſit; *Muratorius*, qui harum multarum meminit; *Williſius* atque *Doleus*, qui de eadem abſolutos ediderunt tractatus, inter diros effectus, ab ipſa produci ſolitos, id infortuniorum ſummum, *cæcitatem* nimirum, neutiquam nominant: Quinimo, ſi linguæ imminutionem perquam raram a *Conſtantinopolitana* (*a*), & *Noviomagenſi* (*b*) *bubonica* Peſte allatam, ob carbunculos in illa progerminatos, excipiamus, cæterarum corporis partium immenſam devaſtationem, ab Athenienſi *Morbo* patratam, nunquam ſub *vulgari* Peſte eveniſſe comperimus. *Nonnulli etiam oculis amiſſis*.] *Pechlinus* [§.124.]; *Drelincurtius* [§.125.]; *Tralles* ex Tulpio, & *Paræus* [§. 126.]; Medicorumque multi, uti apud eumdem

(*a*) Apud *Freindium* Hiſtor. Medic. p. 40.
(*b*) *Diemerbroeckius* apud Manget. tom. IV. B. M. P. annot. ad hiſtor. XXXVI. p. 76.

dem *Tralles* loco ſupra citato, perfectam *cæcitatem* a Variolis allatam & viderunt, & humaniſſime commiſerati ſunt. Quid? Perquam rarus apud univerſam Europam vel humillimus extat pagus, ubi inter efferа lugubriaque Varioloſæ Peſtis perpetua monumenta, omnium luctuoſius triſtiuſque *cæcitatis trophæum* inveniri non datur. Hæc igitur probe perpendant, qui noſtram Athenienſis *Morbi* cum Variolis *Analogiam*, & nimium excogitatam, & minus promiſſis reſpondentem, paſſim obgannire non deſinunt; & quoad ipſi verbis potius, quam obſervationibus pugnare maluerint, nos ex demonſtratis ſequentem concluſionem erui poſſe autumamus:

Concluſio ſeptima.

Quum nullis igitur obſervationibus conſtet, *bubonicam Peſtim* inter ſua feralia producta *cæcitatem* unquam attuliſſe; & contra perpetua experientia demonſtratum maneat, Variolas, præcipue confluentes, ſæpenumero *cæcitatem* producere; ſatis firma ratione inferri poſſe videtur, Athenienſium *Morbum* oculos adhuc perdentem, haud *bubonicam*, ſed Varioliferam fuiſſe Peſtim; vel id confirmante ejus cum Variolis hactenus conſpicua in reliquis phœnomenis comparatione.

§. 129. *Nonnullos etiam, ſimulac ex Morbo convaluerunt, ſtatim omnium rerum oblivio pariter cepit &c.*] A Variolis productæ amentiæ maniæque exempla collegit laudatiſſimus *Tralles* [a]. Ill. *Swietenius* [b] hæc loquitur: „ *Probe memini Variolas epidemice graſſatas fuiſſe in pago quodam, & paucos admodum ægros Medicorum opem adhibuiſſe. Plurimi, qui evaſerant ab hoc Morbo*, manſerunt hebetes, ſtupidi, & oblivioſi, *licet per totum Morbi decurſum opio vel opiatis nunquam uſi fuiſſent* “.

Pa-

(a) Vexatiſſ. noſtr. Ætat. &c. apud de Haen tom. III. Opuſc. Medic. Phyſ. p. 123. ſeqq.
(b) Tom. IX. in Boerh. §. 1402. p. 102.

Variolæ igitur, uti Athenienſium *Morbus*, ægrotos obliviofos quandoque linquunt.

ν'. Γενόμενον γὰρ κρεῖσσον λόγου τὸ εἶδος τῆς νόσου, τά τε ἄλλα χαλεπωτέρως ἢ κατὰ τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν προσέπιπτεν ἑκάστῳ, καὶ ἐν τῷδε ἐδήλωσε μάλιστα ἄλλο τι ὂν ἢ τῶν ξυντρόφων τι. τὰ γὰρ ὄρνεα καὶ τετράποδα ὅσα ἀνθρώπων ἅπτεται, πολλῶν ἀτάφων γιγνομένων, ἢ οὐ προσῄει, ἢ γευσάμενα διεφθείρετο. τεκμήριον δὲ, τῶν μὲν τοιούτων ὀρνίθων ἐπίλειψις σαφὴς ἐγένετο, καὶ οὐχ ἑωρῶντο οὔτε ἄλλως, οὔτε περὶ τοιοῦτον οὐδέν. οἱ δὲ κύνες μᾶλλον αἴσθησιν παρεῖχον τοῦ ἀποβαίνοντος, διὰ τὸ ξυνδιαιτᾶσθαι.

§. 130.

50. „ *Cum enim hoc* Morbi *genus multo fuerit atrocius, quam quod oratione poſſit exprimi, & aliis in rebus gravius, quam ut humana natura ferre poſſit, ſingulos invaſit, ac etiam hoc indicio maxime declaravit, ſe aliquid aliud eſſe, quam aliquod familiarium: Nam alites, & quadrupedes quotquot humanis cadaveribus veſci ſolent, cum multa jacerent inſepulta, aut non accedebant, aut, ſi guſtaſſent, interibant. Argumento autem hoc eſt, quod hujuſmodi avium manifeſtus fuit defectus; nec uſpiam alibi, nec circum ulla hujuſmodi cadavera viſebantur. Canes vero, propter conſuetudinem, quam cum hominibus habebant, majorem eventus ſignificationem dabant* ". *Thucyd.* 50. *pag.* 129. 130.

§. 131. *Cum enim hoc* Morbi *genus multo fuerit atrocius, quam quod oratione poſſit exprimi.*) Sub hujus *Morbi* deſcriptionis initio Thucydides (§. 47.) dixit: *Verumtamen neque tanta Peſtilentia, neque tot hominum interitus uſpiam accidiſſe memorabatur;* luculenta ſatis argumentatione, eumdem perbene claram *vulgaris* Peſtilitatis ideam, ſive lectione, ſive hominum traditione habuiſſe. Si *hoc Morbi genus* Peſtim conſtituiſſet *bubonicam*, ipſi non defuiſſent exempla, quibus eamdem oratione compararet. His vero *Morbo* enarrando imparibus repertis, diriſſima inſuetaque illius facie

R Hiſto-

Hiſtoricus veluti obrutus, dum omnia ejuſdem phœnomena ad unguem appingere deſperaret, ſatius habuit inexplicabilem fateri, quam fœdam horrificamque ipſius indolem ſiccis exponere verbis.

Concluſio octava.

Quum hucuſque perſpicue demonſtratum ſit, & inferius adhuc demonſtrabitur, Variolas ſimillima afferre ſymptomata, ac quæ Athenienſium *Morbus* attulit; apertum ſatis eſſe videtur, Athenis, ante hujuſce *Morbi* graſſationem, Varioloſum Morbum nunquam fuiſſe vulgatum, dum Thucydides illum, quem cum Varioloſo peroptime comparare potuiſſet, inexplicabilem definivit.

Analogia duodecima.

§. 132. *Cum enim hoc Morbi genus &c.*) Poſt octo minimum ſæcula, ex quo Variolæ perpetuo per totam Europam volutantur, inter bis millenos, ſi non plures, qui de Variolis egerunt, Scriptores, habemuſne vel unum, apud quem examuſſim omnium Varioloſorum phænomenon abſoluta reperiatur hiſtoria? Judicent hac ſuper re eruditiores Æſculapii. Nobis majora evolvenda manent ad propoſitum inſtitutum pro noſtra virili enucleandum.

§. 133. *Et aliis in rebus gravius, quam ut humana Natura ferre poſſit, ſingulos invaſit.*) Sueta Naturæ opera, etſi maxima quidem admiratione digna, ſæpiſſime tamen prætcrimus: inſueta vero, quanquam illis minora, magno capti ſtupore veluti prodigia miramur. Variolis noſtris oculis quotidie ſeſe objectantibus, eo res deducta eſt, ut ipſarum atrocitatem, diramque in humanum genus ſævitiem vel imperturbato ſpectemus animo. Detur autem nobis per aliquod horæ ſpatium, qui hunc Morbum nec viſu, auditu, nec nomine cognoverit. Huic adoleſcens Variolis confluentibus onuſtus intuendus offeratur, facie immenſum tumida nigerrimaque fœdiſſimis ulceribus, imo

Digitized by Google

imo ingenti ulcere obſita, mephitim undique ſpargente, ut nec quo oculos recondat, neque ſi nares oſque habeat, percipi ullatenus queat. Interrogemus eumdem, putetne hominem potius, an larvam intueri? Spectet dein totum illius corpus non ſolum æquali turpitudine defœdatum, ſed propriis unguibus decorticatum, carbunculis, abſceſſibuſque undique ſcatens, ita putidum, *ut ſi menſes quatuor* [§ 120.] *e furca pependiſſet*: Audiat interim ipſius ſuſpiria luctuoſa rauca voce emiſſa, ejulatus, indiſtinctaque verba: Aſſequatur hominem *viſu*, *auditu*, *olfactu*, *guſtuque* fere deſtitutum, uno tactus ſenſu ſolummodo præditum, quo totius ſuæ laceratæ cutis acerbiſſimos perſentiat dolores: Aſſequatur ejuſdem animi angores, clamoſam ſitim, inquietudinem, implacidos uſtionis ſenſus, perpetuas vigilias, ingentes ad levem corporis motum, ſanguinem ex vulneratis partibus evocantem, cruciatus, ſub potus deglutitionem magnum, quod init, ſuffocationis periculum, & id genus alia. Quid? Procul omni dubio obſervator hic fateatur neceſſe eſt, *hoc Morbi genus multo eſſe atrocius, quam quod oratione poſſit exprimi, & aliis in rebus gravius, quam ut humana natura ferre poſſit.* Suntne hæc nimium excogitata? Unum audiamus Ill. *Swietenium* ſequentia (a) loquentem: „ *Ubi loco puris, in peſſimis confluentibus gangrænoſis, ichor adeſt*, cutis certe tota fere exeditur, *& ſi evaſerint tales ægri, fœdiſſimis cicatricibus deformes vivunt. In confluentibus pejoris notæ Variolis* tota facies una quaſi pelle tegitur, *quæ exſiccari incipiens*, nigra fit, *& pertinaciſſime cuti inhæret, quæ ab acri ichore* roditur *perpetuo. Dum emollitæ per fomenta cruſtæ tales ſecedunt*, eroſa *cutis tenax liquidum plorat, quod brevi ſpiſſeſcens novam cruſtam format, ſub qua* profundior *adhuc* eroſio *cutis fit. Accidit, quod reſorptus a venis ichor quandoque per eroſa hæc cutis vaſa viam ſibi faciat, ſicque liberentur interiora ab acris materiæ affluxu*; ſed tota fere cutis deſtruitur, *& nihil ſupereſt poſtea præter turpiſſimarum cicatricum fœdam congeriem. Memini probe, & hor-*

(a) Tom. IX. in Boerhaav. §. 1401. p. 93.

Digitized by Google

horreſco referens, me vidiſſe formoſiſſimum juvenem, qui per octo ſeptimanas cum diro hoc Morbo luctatus evaſit tandem. Verum alæ narium eroſæ; labia *a vicinis cutis cicatricibus* diſtorta; palpebræ inverſæ *cum* lippitudine perpetua *adeo deturpaverant venuſtam faciem, ut de Morbo reſurgens a parentibus vix agnoſceretur*". Quantum novimus, quæ hactenus exarata ſunt, certe ſub *bubonica* Peſte non evenerunt.

Concluſio nona.

Thucydides igitur, dum Athenienſium *Morbum* & narratu difficillimum, & toleratu atrociorem declaravit, Variolas potius ſibi prius non perſpectas, quam jam vulgatam *bubonicam* Peſtim, innuiſſe videtur.

§. 134. *Singulos invaſit, ac etiam hoc indicio maxime declaravit, ſe aliquid aliud eſſe, quam aliquod familiarium: Nam alites &c.*] *Singulos invaſit*: Contagione, nimirum, in omnes graſſatus eſt. *Aliquid aliud eſſe &c.* Hoc Thucydidis *aliquid aliud eſſe, quam aliquod familiarium* illis Hippocratis verbis [*a*] exacte reſpondet: „ *Si quidpiam eſt in Morbis divinum, hujus quoque providentiam perdiſcere*". *Divinum* quidem viſu, nec auditu; olfactu, nec guſtu; neque tactu, uti Deus eſt, unquam aſſequendum. *Aliquid aliud, quam aliquod familiarium:* Extra nimirum ſenſibiles, & familiares illas cauſas, a quibus Morbi *Endemici* [*§.* 23.], *Conſtitutionales* [*§* 27.], & *Sporadici* [*§.*29.] ortum ſuum ducunt, poſitum. Quidnam vero fuiſſet hoc *aliquid aliud, quam aliquod familiarium* Hiſtoricus jam ſupra [*§.* 80.] probe ſignavit, *miaſma* ſcilicet contagioſum, prorſus exoticum, ab *Æthiopia* eruptum, per *Ægyptum*, *Libiam*, *Syriam* propagatum, indeque *Athenas* invectum, perque totam *Græciam* populariter diffuſum. Ineſtne vero Variolis hoc *aliquid aliud, quam aliquod familiarium Thucydidis*, ſicuti & Hippocratis *quidpiam*

(*a*) Lib. I. Prognoſt. VII.

Digitized by Google

piam divinum ? Cl. *Diemerbroeckius* (*a*) ſic fatur : „ Occultum *&* inexplicabile quid *in Variolis non minus* , *quam in Peſte latet* “ . Et quo equidem ſpectare poterunt , *occulta Sydenhami* [§. 9.] aeris textura ; contagioſa venenataque *Boerhaavii* [§.13.] materies *aeri inhærens* ; *Swietenii* concurſus plurium cauſarum, *quas ſe ignorare* [§.37.] *lubens fatetur* ; Varioloſorum demum miaſmaton naturam Ill. *de Sauvageſii* (*b*) *determinandi impoſſibilitas* ; niſi in hoc *aliquid aliud* , *quam aliquod familiarium* , & in *quidpiam divinum* ?

Parallelum vigeſimumſextum .

Variolæ igitur, æque ac Athenienſis *Morbus*, occultam hucuſque habuerunt cauſam.

§. 135. *Nam alites* , *&* *quadrupedes quotquot humanis cadaveribus veſci ſolent*, *cum multa jacerent inſepulta*, *aut non accedebant* .] Alites , feles , canes olfactu , quo maxime pollent, ad victum ſibi quæritandum duci, eorum ex diſſitis locis ad cadavera concurſus clare docet. Dum vero hæc animalia cadavera Athenis inſepulta non adierunt, hoc ciborum genus fœtore ſibi incongruum adverſumque percepiſſe , neceſſe fuit . Id maximi infortunii , quod nimirum variolata cadavera inſepulta , feriſque objecta manſerint , apud Europam nunquam eveniſſe arbitramur . Quo autem hariolari liceat , num alites quadrupedeſque , ſi quandoque id contigiſſet , illa adierint , necne ; adeamus noſtra non cadavera , ſed viventia adhuc variolatorum corpora . Robuſtiſſimo juveni apud *Meadium* (*c*) „ *tota facies nigra atque arida facta gangræna corrumpebatur* , & *putreſcebat* : adactis ſcalpello in hunc locum ad ſanam uſque carnem multis vulnuſculis , *pus odore tam gravi* ex iis *profluxit* , *ut in cubiculo*

(*a*) Apud Manget. tom. IV. B M. P. p. 722.
(*b*) De Morb. infant. cap. XXX. art. I. p. 143.
(*c*) Oper. Med. lib. de Variol. cap. III. p. 42.

culo morari nemo ex domeſticis poſſet ". *Swietenius* (*a*) confluentes Variolas *peſſimo* & *cadaveroſo fœtore* in fine Morbi ſtipari aſſerit : alibi [*b*] ſic ſcribit : „ *Imo & in diſcretis* (*Variolis*) *talem nigredinem* , *ſummumque fœtorem vidi* ; *& plures inde moriebantur* , *dum* totum corpus in putrilaginem vertebatur ": tandem [*c*] ſubdit : „ *Probe memini* , *quod aliqualem illum* (*Variolarum*) fœtorem Diemerbroeckii *quandoque tantum invenerim* , *ut fere* in animi deliquium lapſus fuerim , *licet me non adeo delicatum credam* , *ut a levioribus facile afficiar* " . Apud Ill. *Tralles* (*d*) ſub ſecunda hujus Morbi Febre , Puſtulæ *ſerum gangrænoſum continent* , *& interdum tetram ſpirant mephitim*. Quid? Vel ipſe *Sydenhamus* de Variolis anomalis anni 1674. 1675. [*e*] ſequentia fatur : „ *Maturæ* pejus olebant , *ita ut iiſdem graviter laborantibus* præ fœtore *vix quidem* accedere poſſem ". Si Variolati, adhuc vitam agentes, tam cadaveroſum fœtorem tetramque diffundunt mephitim , ut domeſticos, conſtantem *Swietenium*, diligentem *Sydenhamum* [& quot vero hiſce delicatiores Medicos!] in fugam vertere poſſint; putamuſne, illorum cadavera, aeri expoſita, magis corrupta, & *marie nigroreque* horrifica, alites quadrupedeſque non fore averſaturos?

Parallelum vigeſimumſeptimum.

Variolæ igitur tam abominabili ſæpius fœtore inficiunt cadavera, ut alites quadrupedeſque, non aliter quam Athenienſium *Morbo* interemptorum cadavera , in fugam verterent , ſi ad ipſa adeundi illis daretur locus.

§. 136. *Aut ſi guſtaſſent* , *interibant* .] Athenienſium *Morbum* haud in omnes eadem ſæviiſſe ferocitate , ſed in alios

(*a*) Tom. IX. in Boerhaav. §. 1394. p. 62.
(*b*) Ibid. §. 1398. p. 82.
(*c*) Ibid. §. 1402. p. 103.
(*d*) Vexatiſſ. noſtr. ætat. &c. apud de Haen tom. III. Opuſc. Medic. Phyſ. Part. II. p. 200.
(*e*) Tom. I. Sect. V. cap. IV. p. 85.

alios acerbius, mitius in alios, manifeſtum eſt ex iis, qui ab eo evaſerunt. Quum vero eorum plurimi inter *nonum* & *ſeptimum diem* necarentur, planum eſt conjectari non omnia illorum cadávera eo corruptionis deveniſſe, ut intolerabilem ſpargerent fœtorem, alites quadrupedeſque longe abigentem. Horum igitur aliqui, fame adacti, ex inſepultis cadaveribus *guſtarunt*. Haud inconſulto verbo *guſtarunt* Hiſtoricus uſus eſt, verum ut innueret, bruta ipſa pertentatum cadaverum eſum incongruumque ſibi compertum protinus deſeruiſſe: nihilo tamen ſecius *Morbo* arrepta *interiiſſe*. Sunt qui negant bruta Variolis affici poſſe. Ill. vero *de Sauvages* (*a*) ſcribit: „ *Nec animantibus dirus hic affectus* (*Varioloſus*) *parcit*: *Inter verveces & jumenta graſſatur cum magno hominum detrimento* ". Cl. *Stegmannus* [*b*] hæc fatur: „ *Hiſce menſibus* (*Novembri ac Decembri*) *Variolæ*, *ſuis maculis*, *primæ*, *mediæ & ultimæ ætatis homines ſignarunt* . . . *Sic & bruta a Variolis* non immunia fuere; *ex quibus*, *pennata*, *utpote* anſeres & gallinæ *tum domeſticæ tum Indicæ* hiſce infecta *perierunt ferme omnia*: Oves & Porci *vero*, *quibus expellentia* (*utpote cineres ex ſtipitibus fabarum*, *vel frumento ſecalino cum urina humana vel rob ſambuci &c.*) *œconomicis curioſis propinata ſunt*, *evaſerunt ſuperſtites* ".

Parallelum vigeſimumoctavum.

Variolæ itaque, haud minus quam Athenienſium *Morbus*, bruta animantia contagio afficiunt interimuntque.

§. 137. *Argumento autem hoc eſt*, *quod hujuſmodi avium manifeſtus fuit defectus*, *nec uſpiam alibi*, *nec circum ulla hujuſmodi cadavera viſebantur*.) Apud Europæas nationes, in quibus, a ſæculo ſaltem decimo, maxima mortalium pars, recurrentibus per intervalla Variolis, eaſdem jam pridem paſſa, iterum non corripitur; tale quid hor-

(*a*) De Morb. infant. cap. XXX. p. 138.
(*b*) Hiſtor. Epid. Mansfeldiac. ann. 1698. apud Sydenh. tom. I. p. 196.

Digitized by Google

horrendum & lamentabile nunquam accidit, ut nimirum Variolata cadavera inſepulta manerent: unde, quantum ſcimus, nullæ apud nos occurrunt obſervationes de alituum longe a Variolatorum cadaveribus fuga: interim quæ §.135. & §. 136. hac ſuper re notata ſunt, ſi forte id infortunii uſpiam contingiſſet, illam arguere viderentur.

§. 138. *Canes vero, propter conſuetudinem, quam cum hominibus habebant, majorem eventus ſignificationem dabant.*) Alites Athenienſium *Morbo* interfectorum cadaverum eſum expirationemque fugientes, Athenas deſeruerunt: Canes vero, utpote fideles & inſeparabiles dominorum comites, aut ad cadavera non acceſſerunt, aut ſi guſtarunt, contagio affecti, interiere, feritatis *Morbi* majorem ſignificationem dantes.

να΄. Τὸ μὲν οὖν νόσημα, πολλὰ καὶ ἄλλα παραλιπόντι ἀτοπίας, ὡς ἑκάστῳ ἐτύγχανέ τι διαφερόντως ἑτέρῳ πρὸς ἕτερον γιγνόμενον, τοιοῦτον ἦν ἐπίπαν τὴν ἰδέαν. καὶ ἄλλο παρελύπει κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον οὐδὲν τῶν εἰωθότων· ὃ δὲ καὶ γένοιτο, ἐς τοῦτο ἐτελεύτα. ἔθνησκον δὲ, οἱ μὲν, ἀμελείᾳ, οἱ δὲ, καὶ πάνυ θεραπευόμενοι. ἕν τε οὐδὲν κατέστη ἴαμα, ὡς εἰπεῖν, ὅ, τι χρῆν προσφέροντας ὠφελεῖν. τὸ γάρ τῳ ξυνενεγκὸν ἄλλον τοῦτο ἔβλαπτε. σῶμά τε αὔταρκες ὂν οὐδὲν διεφάνη πρὸς αὐτὸ, ἰσχύος πέρι ἢ ἀσθενείας, ἀλλὰ πάντα ξυνῄρει, καὶ τὰ πάσῃ διαίτῃ θεραπευόμενα. δεινότατον δὲ παντὸς ἦν τοῦ κακοῦ, ἥ τε ἀθυμία, ὁπότε τις αἴσθοιτο κάμνων, (πρὸς γὰρ τὸ ἀνέλπιστον εὐθὺς τραπόμενοι τῇ γνώμῃ, πολλῷ μᾶλλον προΐεντο σφᾶς αὐτοὺς, καὶ οὐκ ἀντεῖχον) καὶ ὅτι ἕτερος ἀφ᾽ ἑτέρου, θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι, ὥσπερ τὰ πρόβατα, ἔθνησκον· καὶ τὸν πλεῖστον φθόρον τοῦτο ἐνεποίει. εἴτε γὰρ μὴ θέλοιεν δεδιότες ἀλλήλοις προσιέναι, ἀπώλλυντο ἐρῆμοι, καὶ οἰκίαι πολλαὶ ἐκενώθησαν ἀπορίᾳ τοῦ θεραπεύσοντος· εἴ τε προσίοιεν, διεφθείροντο· καὶ μάλιστα οἱ ἀρετῆς τι μεταποιούμενοι. αἰσχύνῃ γὰρ ἠφείδουν σφῶν αὐτῶν, ἐσιόντες παρὰ τοὺς φίλους, ἐπεὶ καὶ τὰς ὀλοφύρσεις τῶν ἀπογιγνομένων τελευτῶντες καὶ οἱ οἰκεῖοι ἐξέκαμνον, ὑπὸ τοῦ πολλοῦ κακοῦ νικώμενοι. ἐπιπλέον δὲ ὅμως οἱ διαπεφευγότες τόν τε θνήσκοντα καὶ τὸν πονούμενον ᾠκτίζοντο, διὰ τὸ προειδέναι τε, καὶ αὐτοὶ ἤδη ἐν τῷ θαρσαλέῳ εἶναι. δὶς γὰρ τὸν αὐτὸν, ὥστε καὶ κτείνειν, οὐκ ἐπελάμβανε. καὶ ἐμακαρίζοντό τε ὑπὸ τῶν ἄλλων, καὶ αὐτοὶ τῷ παρα-

χρῆμα

χεῆμα περιχαρεῖ, κὴ ἐς τὸν ἔπειτα χρόνον ἐλπίδος τὶ εἶχον κέφης μηδ᾽ ἂν ὑπ᾽ ἄλλȣ νοσήματ۞ ποτὲ ἔτι διαφθαρῆναι.

Peculiare adverſus Athenienſium Morbum *nullnm inventum eſt remedium; nec ulla prophylaxis: Qui tamen ab illo evadebant, iterum non corripiebantur.*

§. 139.

51. „ *Hic igitur Morbus (ut omittam multa alia inuſitatæ atrocitatis, pro ut unicuique aliquid accidebat diverſum, ab eo, quod alteri contingebat) omnino ſpecie talis fuit. Et tunc temporis nullus alius Morbus ex conſuetis Athenienſes infeſtabat. Quod ſi quis exoriretur, in hunc deſinebat. Moriebantur autem, alii incuria, alii vero vel diligentiſſime curati. Nec ullum prorſus remedium, ut ita loquar, repertum eſt, quod adhibitum prodeſſet. Quod enim alteri profuerat, hoc ipſum alteri nocebat: Nullumque corpus, ſive firmæ, ſive infirmæ valetudinis eſſet, tanti mali violentiæ reſiſtere potuit: ſed omnia pariter, vel ea, quæ omni victus ratione curabantur, corripiebat. Illud vero in toto hoc malo graviſſimum erat, tum quod, ſimulac quis ſe Morbo correptum ſenſiſſet, animo conſternaretur, (ſtatim enim animo ad ſalutis deſperationem converſi, multo magis ſe ipſos projiciebant, neque reſiſtebant,) tum etiam quod propter mali contagionem, quam alter ex alterius curatione hauriebat, adeo ut ex ea oppleretur, tanquam pecudes morerentur. Atque hæc fuit præcipua maximæ ſtragis cauſa. Sive enim noluiſſent metu deterriti mutuo ſe inviſere, deſerti interibant, multæque familiæ propter inopiam hominum, qui ægrotos curarent, exhauſtæ ſunt: ſive alteri ad alteros adiſſent, interibant. Nam præ pudore ſibi ipſis non parcebant, dum in amicorum ædes ingrediebantur, ut eos inviſerent: ſiquidem vel ipſi domeſtici tandem lamentationibus eorum, qui moriebantur, defaticati, non amplius commovebantur, mali violentia ſuperati. Illi tamen, qui evaſerant, & eum, qui moriebatur, & eum qui laborabat, magis miſerebantur; tum quod hoc malum prius experti cognoſcerent, tum etiam*

Digitized by Google

quod ipſi in tuto jam eſſent. Hic enim Morbus *eumdem bis non corripiebat, ita ut eum etiam interimeret. Et ab aliis beati cenſebantur, ipſique propter præſentem ſalutis inſperatæ lætitiam exultantes, quandam etiam levem ſpem habebant, ſe ne alio quidem Morbo in poſterum amplius unquam abſumtum iri.* " *Thucyd.* 51. *p.* 130. 131.

Analogia decimatertia.

§. 140. *Hic igitur Morbus omnino ſpecie talis fuit.*] In omnibus, quos arripuit, iiſdem notis characteribuſque, *parvis* præcipue *Puſtulis* ac *Ulceribus* [§. 107.] corpora impetens, Athenienſis *Morbus*, peculiarem & ſui juris ſe perpetuo præſtitit. „ *Hic igitur Morbus* (Varioloſus), inquit *Meadius* (*a*), *mihi vera Peſtis* ſui generis *eſſe videtur* ".

§. 141. *Ut omittam multa alia inuſitatæ atrocitatis, prout unicuique accidebat ab eo, quod alteri contingebat.*] *Inuſitatæ atrocitatis.*] Nunquam jam pridem viſæ neque enarratæ, nec ab ullo *Endemicorum*, *Conſtitutionalium* vel *Sporadicorum* Morborum genere perpetratæ. Conf. §. 72. & 73. *Pro ut unicuique &c.*] Ex Ill. *Ballonio* jam §. 97. notavimus hæc: „ *Et pro ut venenum* (*Varioloſum*) *magis has, aut illas partes appetit, ita varia excitat in variis partibus ſymptomata* ": Sed hæc omnia ſingillatim enarrare veluti refugens *Thucydides*, paucis his verbis *ut omittam multa alia inuſitatæ atrocitatis*, magno ſummorum malorum deſcribendorum oneri ſe ſubduxit. Hujus autem textus Analogiam quilibet ex §. 132. & 133. repetere valet.

Parallelum vigeſimumnonum.

Varioliferus *Morbus* tam enormi Symptomatum atque ſupervenientium malorum multitudine ſtipatur, ut, ſicuti a Thucydide Athenienſium *Morbus* haud exacte, ita ab aliquo vel diſertiſſimo nunquam abſolute deſcribi paſſus ſit.

§. 142.

(*a*) Oper. Med. lib. de Variol. cap. I. p. 34.

§. 142. *Et tunc temporis nullus alius Morbus ex conſuetis Athenienſes infeſtabat; quod ſi quis exoriretur in hunc deſinebat.*] *Ex conſuetis*: *Endemicus*, nimirum, vel *Conſtitutionalis*, aut *Sporadicus*, ex quibus ſcjungitur, qui tunc temporis Athenas inceſſerat Morbus, prorſus inſuctus, ignotuſque. *Quod ſi quis exoriretur &c.* Adhuc & hujus textus Analogia ex §. 90. 91. & 92. repetenda: in quarum poſtrema, ex *Williſio*, *increbeſcente Varioloſo contagio*, *fere alii quivis Morbi in hunc degenerant*.

§. 143. *Moriebantur autem, alii incuria, alii vero vel diligentiſſime curati.*] Ill. *Tralles* (*a*) ſequentia loquitur: „ *Prorſus convictus ſum rectiſſime & veriſſime ſcripſiſſe Cl.* Furſtenau, *pluribus medendi methodis laudatis* non obſtantibus, *plurimos* (*dicam ego multos*) *Variolis jugulari*, ſummæ *pariter* (diligentiſſime nimirum curatos) *ac infimæ* (incuria nempe deſertos) *conditionis*, *& cujuſvis ætatis homines*, *quando epidemice graſſantur* “: Et quidem poſt octo ferme ſæcula a vulgatis per Europam Variolis.

§. 144. *Nec ullum prorſus remedium, ut ita loquar, repertum eſt, quod adhibitum prodeſſet. Quod enim alteri profuerat, hoc ipſum alteri nocebat.*] *Titus Lucretius Carus* graphice hunc Athenienſium *Morbum* carminibus exponens [*b*], poſtquam modulatus erat, *Muſſabat tacito Medicina timore*, præſentem *Thucydidis* textum his concluſit verſibus:

Nec ratio remedi communis certa dabatur:
Nam quod alis dederat vitaleis aeris auras,
Volvere in ore licere, & cœli templa tueri,
Hoc aliis erat exitio, lethumque parabat.

Et invictus Latii Poetarum Princeps *Virgilius Maro* de hoc ipſo *Morbo*, qui, uti infra dilucidius demonſtrabitur, a Græcia in Dalmatiam Italiamque propagatus, inque bruta animantia contagione irruptus, ovium, Bovumque armen-

S 2

(*a*) Vexatiſſ. noſtr. Ætat. &c. apud de Haen tom. III. Opuſc. Medic. Phyſ. Præfat. p. 7.
(*b*) Lib. VI. de Rer. Natur.

Digitized by Google

menta vaſtavit, præ reliquis ſequentia cecinit [*a*]:

. . . . nec jam mutari pabula refert,
Quæſitæque nocent artes, ceſſere magiſtri
Phillyrides Chiron, Amythaoniuſque Melampus.

Analogia decimaquarta.

§. 145. *Nec ullum prorſus remedium &c.*] Jam ſub initio decimi ſæculi *Rhazes* ſcribebat (*b*) : „ *Sin videris ſimul cum difficili maturatione poſt earum eruptionem Puſtulas fieri duras &* verrucoſas, *neque melius ſe habere ſtatum ægroti, vel ſi pravitas Morbi augeatur, jam noveris* hujuſmodi Variolas eſſe lethales. Ne itaque cogites de illarum maturatione; *ſunt enim* de genere quæ maturari non poſſunt ". Sæculo decimoſexto *Ballonius* [ut §. 97.] pro Variolis ajebat: „ *Non proficiebat hilum ars ea, quæ multis auxilio eſſe ſolet* ". Ingenuus *Sydenhamus* (*c*) hæc loquebatur: „ *Attamen* (*quod ſane dolendum eſt, quum florentiſſima hominum ætas hac fere ſtrage deleatur*), *tum his, quæ præcipimus, cum aliis omnibus, quæ hactenus invenit ars Medica*, præſidiis nihil proficientibus, *ſæpenumero æger, licet uſque eo non admodum periclitetur, tamen vel undecimo quod uſuvenit die, vel alio aliquo iſtorum, quos* variis ſpeciebus *Variolarum confluentium, ceu magis fatales aſſignavi, vehemente febre corripitur, una cum ſuffocatione, & jactatione inquietiſſima; & de tanta ſpe decidens* ſubito *moritur*, attonitis *&* ſtupentibus *amicis*, *qui ad* hoc uſque punctum *ægro bene ominabantur* ". Celeberrimus *Boerhaavius* noſtri ſæculi initio de malignis Variolis ſequentem cudebat ſententiam (*d*) : „ *Vulgata methodo* nullus *niſi ſponte emergit* ". Circa idem tempus Ill. *Meadius* tam abſonum habuit inveniri poſſe adverſus Variolas *ſpecificum* præſidium, ut

(*a*) Georg. lib. III.
(*b*) Apud Mead. Op. Medic. Tract. de Variol. cap. VII. p. 62.
(*c*) Tom. I. de febr. putrid: Variol. confluent. ſupervenient. p. 371.
(*d*) De Cogn. & Curand. Morb. §. 1403. p. 230.

Digitized by Google

üt in Boerhaavium hæc adnotare nullatenus hæſitaret (a): „ *Quiſquis hæc ita expoſita bene perpenderit, jure mirabitur doctiſſimum Medicum Boerhaavium in animum ſibi inducere potuiſſe, ut ſperarit, fore fortaſſis aliquando, ut inveniatur* antidotum ſpecificum *veneno huic* (*varioliſero*) *contagioſo oppoſitum, quo nimirum illud ita penitus extinguatur, ut, etiamſi corpore receptum fuerit, Morbum non producat.* *Cæterum* tam certa ſunt & conſtanti naturæ lege fixa rerum principia & ſemina, *ut, qui hæc permutare velit, ſimiliter faciat, ac Philoſophi iſti per ignem* (*uti ſe vocant*), *qui, dum metalla viliora in aurum tranſmutare ſatagunt, ſpe licet ipſi decipiantur, fumos ex carbonibus ſuis rerum ignaris, & credulis hominibus divendunt* “. At vero hic mirari ſummopere nos ſubit, quod *Boerhaavium* immerito Ill. *Meadius* carpſerit. Summum equidem intercedit diſcrimen inter viliorum metallorum in aurum argentumve *tranſmutationem*, & effectuum, a *rerum principiis* & *ſeminibus* promanantium, *deſtructionem*. Ferrum, æs, cuprum, argentum, aurum, ſua peculiaria ſibique propria, quæ minime deſtrui neque unquam commutari poterunt, poſſident *principia* & *ſemina* ex ipſorum peculiari Matrice ſuſcepta: At ars chemica, fuſione, mixtioneque quot non mutat, infirmat, prorſuſque deſtruit horum metallorum effectus, a ſuis principiis atque immutabilibus ſeminibus procedentes? Opium ſuis venenoſis principiis atque ſeminibus adhuc ad pauca grana ſumptum, hominibus, maxime Europæis, eſt exitioſum; aceto autem ejus vis deleteria ita extinguitur, ut ad drachmas innoxie deglutitur. Malignarum intermittentium febrium venenatum *miaſma* uno Cortice Peruviano deſtruitur. Indi occidentales noſtris *hypotheſibus* haud addicti, referente Piſone (b), *ubi de natura veneni ſibi conſtiterit, in ſylvis efficaciſſimas herbas colligunt, quas contuſas inſtar potionis ægris ſubminiſtrant, animaſque pene extinctas ſuſcitant*. Quis neſcit ex Chemiæ Cultoribus venenum veneno cicu-

(a) Op. Med. lib. de Variol. cap. III. p. 42.
(b) Hiſtor. Natur. & Med. Ind. lib. V. cap. I. p. 272.

Digitized by Google

cicurari. Hæc omnia haud alia ratione perfici queunt, quam effectuum a rerum principiis & ſeminibus proficiſcentium deſtructione. Haud inconſulto igitur *Boerhaavius* in animum ſibi induxit, fore fortaſſis aliquando, ut inveniatur *antidotum ſpecificum* Variolis extinguendis opportunum. Quod ſecundo animadvertendum, id quidem eſt, diſertiſſimum *Meadium*, qui perſpicue noverat Varioloſum Morbum ex *certa & conſtanti naturæ lege fixis principiis* & *ſeminibus* inſtructum eſſe; origine (§. 82.) fuiſſe *Æthiopicum*; apud Europam nunquam ſponte & abſque contagio (§ 41.) natum, neque naſciturum, & *ſolo tabo* (a) hiſce æthiopicis ſeminibus referto, *quod ex puſtulis effluens in ſtragulis ac veſtimentis ægrotorum deliteſcens, ſe perpetuo propaget*, perſalutiferam toti Europæ præteriiſſe concluſionem, ex hiſce certis notionibus vel ultro profluentem, quod nimirum apta circumſpectione extinctis, quæ nunc per noſtras nationes vagantur circumvolvunturque, exoticis hiſce Varioloſis ſeminibus, uti quondam *Lepræ* ac *bubonicæ* Peſtis ſemina per Europam longe lateque diffuſa jam extincta fuere, peroptime tota Europa in poſterum a Variolis libera vivere poſſet: maxime quod ſatis perſpectum habuerat [§. 79.], quonam modo vel ſtupidi *Ottentotæ* Variolas, jam pridem ipſis ignotas a *Batavis* in ſuam regionem tunc primum invectas, ſcitiſſime longe a ſeſe abegerint. Aſt e diverticulo in viam. Quid? Apertumne fuit ipſi *Meadio* aliquod remedium, quod adhibitum adverſus Variolas prodeſſet? Uni experientiæ hujus Morbi curationem commiſit, ſequentia [b] ediſſerens: „ *Hæc horum Morborum Analogia non ſolum docet* non magis ſperanda eſſe contra Peſtem antidota & ſpecifica remedia, quam contra Variolas: *Sed ducit etiam ad curationem Morbi minus* cogniti tentandam iis modis, *quos in vulgatiori utiles* experientia *comprobavit* “. Experientia duce Variolarum curationem pertentavit omnibus modis Ill. *Werlhoffius*; attamen apud

(a) *Meadius* Op. Med. lib. de Variol. cap. I. p. 34.
(b) Oper. Med. Diſſert. de Peſt. cap. III. p. 190.

Digitized by Google

apud *Tralles* (*a*) illum ſcripſiſſe reperimus, *Variolas nonnunquam ita maligniſſimas eſſe, ut nihil omnino juvet*: pertentavit & ipſe experitiſſimus atque recentiſſimus *Tralles*; interim [*b*] aſſerit hæc: „ *Similes hujuſmodi (infelicis eventus) caſus, qui ſaltem mihi uni inter Medicos, opinor, non obvenient, me credere faciunt, ad eam paupertatem ſæpe in vaſto illo medicinalis materiei campo redigi doctiſſimum & expertiſſimum quemque, ſine exceptione* Practicum, *ut in curatione Variolarum* neſciat, quo ſe vertat, & ut dare cogatur multitudinem funerum a naturalibus ". Quid? Uni Boerhaavianæ ſpei hærebimus, *fore fortaſſis aliquando, ut inveniatur antidotum ſpecificum, Variolarum veneno oppoſitum? Morbi minus cogniti* curationem expectabimus ab experientia *Meadianis modis* pertentandam, dum quælibet ab expertiſſimis excogitata Methodus hactenus inſecuram ſeſe probaverit? Noſtris oculis offuſas tenebras excutiamus. Procul ſit invidus livor, qui ſaniorem hucuſque Medicinam peſſumdare conatus eſt. Præſidium, non ſolum adverſus Variolas, ſed contra reliquos contagioſos Morbos, habemus omnium præſtantiſſimum, infallibile, nullo pretio redimendum, *facillimam* nimirum *in omnibus Europæ Nationibus contagionis horum Morborum extinctionem*, ſumma evidentia demonſtratam, & binis, ad ſummum ternis Inſtitutionibus abſolvendam: Cujus præſidii maximam neceſſitatem evincit, quod ſequitur:

Parallelum trigeſimum.

Igitur nec ſub *Morbo* primum in Athenas irruente, nec ſub malignis Variolis ab octo ferme ſæculis per totam Europam vulgatis, de ulla certa Medicina hactenus conſtitit.

§. 146. *Quod enim alteri profuerat, hoc ipſum alteri nocebat.*) Etſi hujus textus Analogia ex §. 145. aperta maneat, ad majorem tamen ejuſdem illuſtrationem referre hic

(*a*) Epiſt. Apologet. apud de Haen Opuſc. Med. Phyſ. tom. III. p. 55.
(*b*) Vexatiſſ. noſtr. Ætat. &c. ibid. quæſt. VI. p. 104.

Digitized by Google

hic juvat Medicorum lites, jurgia, obtrectationes, quibus quotidie ſub Variolarum curatione pro quovis remedio admittendo vel refellendo pugnatur; in medium adductis utriuſque partis obſervationibus.

Parallelum trigeſimumprimum.

Sub Athenienſium igitur *Morbo* adhibita præſidia, non ſecus ac in Variolis contingere ſolet, in ægrotorum perniciem ut plurimum vertebantur.

§. 147. *Nullumque corpus, ſive firmæ, ſive infirmæ valetudinis eſſet, tanti mali violentiæ reſiſtere potuit.*) Ex *Cotunnio* §. 94. jam retulimus, quod ad *Variolarum venenum recipiendum æque ſaniſſimi ſunt, ac perinfirmi ſubjecti.* Conf. citata §. 94.

§. 148. *Sed omnia pariter, vel ea, quæ omni victus ratione curabantur, corripiebat.*) Apertum eſt ex hoc textu, medicinam *prophylacticam*, adverſus *Endemicos*, *Conſtitutionales*, *Sporadicoſque* Morbos perquam utilem, Athenienſibus innotuiſſe; unde & contra hunc *Morbum* id perperam deſpectæ, vel male ut plurimum hucuſque uſurpatæ medicinæ genus in auxilium vocare non omiſerunt; ſed irritis cunctis victus rationibus, a *Morbo* corripiebantur adhuc robuſto præditi corpore.

Analogia decimaquinta.

§. 149. *Sed omnia pariter &c.*] An adverſus Variolas ad noſtros uſque dies ulla certa, ſecuraque inventa eſt *Prophylaxis*? Magnus *Hoffmannus* (*a*) de celebratiſſimo *Waldſchimidii*, *Dolæi*, aliorumque antivarioloſo præſidio, ſub Variolis epidemicis anni 1698. ſcribit: „ *Non potuit hoc remedium, omni etiam diligentia adhibitum, extinguere malignitatem in nonnullorum ſanguine, nec Variolas numeroſas*

(*a*) Tom. IV. M. R. S. Part. I. Sect. I. cap. VII. obſ. I. p. 88.

Digitized by Google

ſas declinare “; & alibi (*a*) illorum meminit, qui poſt ejus uſum obierunt. Pro inſitiva *prophylaxi* unius hic adducere ſufficiet Ill. *Tralles* auctoritatem, ab eadem cæteroqui non abhorrentis: „ *Taceo*, inquit (*b*), *plura*: *ſaltem jam doleo*, *nondum evinci potuiſſe*, *ſitne repudianda*, *vel admittenda* Inoculatio, *poſt tot ſcripta experientiſſimorum Virorum* pro eadem, & contra eamdem *publicata*. *Bone Deus! Quæ opinionum differentia! Quod ſententiarum divortium*! Omnia ſæcula futura noſtro inventum hoc invidebunt: *ita gratulabundus perorat Ill.* de la Condamine. Omnia ſæcula futura, vituperatura merito inſitionis methodum, lubrico fundamento innixam, juſte carperent Medicos præſentes, ſi tacuiſſent: *ita exclamat Cl.* de Haen. *Quæ vero tandem ex hiſce diſceptationibus nondum ad finem perductis*, nec facile perducendis, *reſultabit veritas? Una hæc credo*: Certam ſalutem miſeris mortalibus nec eſſe ab inſitione Variolarum; nec a naturalium *therapia* “. Ex Hoffmanno [*c*] perpendenda offerimus hæc: „ *Jam in debellanda epidemica hac* (*Variolarum*) *lue ita ſum verſatus*: *Incurſum quidem ipſius arcere ab iis*, *qui nondum experti*, per remedia fuit irritum; optimum fuga tantum contagii “. Sed certa ſalus miſeris totius Europæ mortalibus haud a privatà Variolarum contagii fuga, ſed a generali ipſius Contagii in omnibus Nationibus, facillimo negotio aſſequenda, *extinctione*, erit expectanda: quum, vigentibus ubique locorum varioliferis *miaſmatibus*, clanculum & per tenebras longe lateque diſcurrentibus, neque a contagio vel diligentiſſime ſibi caventes a Morbo immunes ſeſe futuros ſibi polliceri valeant; uti perplurimis docemur exemplis.

(*a*) Opuſc. Medic. Pract. Diſſert. V. §. XXXII. p. 67.
(*b*) Vexatiſſ. noſtr. Ætat. &c. apud de Haen tom. III. Opuſc. Medic. Phyſ. Quæſt. X. p. 189.
(*c*) Tom. IV. M. R. S. Part. I. Sect. I. cap. VII. obſ. I. p. 88.

Digitized by Google

Additio prima.

Dum hæc prælo committebantur, in noſtras venerunt manus ſummæ exiſtimationis Viri Michaelis Roſa *circa Variolarum Inſitionem Commentariola duo cum aliis Opuſculis edita Neapoli* 1788. *apud Porcelli. Celebris hic Auctor* anno 1779. *a Mutinenſibus Publicæ Sanitatis Præſulibus ſerio interrogatus*, num Variolarum promiſcua & libera Inſitio permittenda eſſet, *negativam tulit ſententiam* (*a*). *Ratis enim obſervationibus, ex uberi ipſius Inſitionis hiſtoria petitis, in demonſtratis habuit, quicquid utilitatis ex hac prophylaxi Magnates, privatæque Familiæ, quæ ſolummodo ea uti poſſunt, percipere valeant, in maximum Reipublicæ detrimentum verti, dum Inoculati Variolarum contagium longe lateque proſeminant, magna ſuorum civium clade* (*b*). *Ad hanc evincendam veritatem, utitur calculo* Londini *inito ex necrologiis hoc Morbo extinctorum, quibus clarum eſt, intra triginta octo annorum ſpatium, ſub quo Variolarum Inſitio promiſcue ibi uſurpari cœpit*, 24549. *mortalium capita ex Variolis fuiſſe deſiderata ſupra illa, quæ ſub idem temporis curriculum ab eiſdem ſine Inſitione occubuerunt* (*c*). *Inde factum aſſerit, ut anno* 1763. Lutetiæ Pariſiorum, *anno* 1765. *Lotharingiæ, dein* Divioni, Flandriæ ac Bataviæ (*d*), Boſtoni *apud Americam, atque* Londini [*e*] lege cautum eſſet, *ne inſitiva Variolarum prophylaxis promiſcua in uſum vocaretur. Neque ex extructis ad hoc opus in* Britannia, Dania, Suecia, Moſcovia, Polonia, *multiſque* Germaniæ *Civitatibus, non paucis Noſocomiis, tam inſigne illuxiſſe emolumentum refert, ut fere derelicta non maneant* [*f*]. *Hæc præcipua ad noſtrum Inſtitutum. Cætera perquam digna ſunt, ut apud Illuſtrem Auctorem legantur; apta-*

(*a*) Saggio di oſſervazioni ec. Memor. I. e II. pag. 213. ad pag. 258.
(*b*) Ibid. Memor. I. pag 222.
(*c*) Ibid. Memor. I. pag. 215.
(*d*) Ibid. pag. 216.
(*e*) Ibid. Memor. II. pag. 229.
(*f*) Ibid. pag. 233. ſeqq.

aptaque ad firmandum judicioſiſſimi hac ſuper re laudati Tralles [§. 149.] *præſagium*.

Parallelum trigeſimumſecundum.

Athenienſium igitur *Morbus*, ſicuti Variolæ, nulla alia prophylaxi declinari potuit, quam ſola, inferius dilucidanda, Contagii fuga.

§. 150. *Illud vero in toto hoc malo graviſſimum erat, tum quod, ſimulac quis ſe Morbo correptum ſenſiſſet, animo conſternaretur (ſtatim enim animo ad ſalutis deſperationem converſi, multo magis ſe ipſos projiciebant, neque reſiſtebant*.] Horrida Morbi facies, horribiliora ejus ſymptomata, & lethalis exitus, eum terrorem in Athenienſium animos incuſſerant, ut quamprimum eorum aliquis indicia contracti Morbi perſentiſceret, abjecta evadendi ſpe, neque repugnans, ſævientis mali arbitrio ſe committebat, veluti ineluctabili fato Morbo ceſſurum.

Analogia decimaſexta.

§. 151. *Illud vero &c.*] *Taurici*, referente Cl. Abbate *Lambert* (*a*), quemcumque Variolis mulctatum ita execrantur, ut omni auxilio deſtitutum derelinquant; illique certo pereundum eſt, ni ſui corporis robur ad perferendum Morbum ſuffecerit. Cl. *Loew* (*b*) ſic fatur: „ *De Japonibus ſcribit Wilhelmus ten rhine Diſſert. de Arthrit. in ſuis notis, quod quidem Peſtem ignorent, Variolas tamen timeant, quum ipſis maxime ſint contagioſæ, atque ſæva & multiplici hominum ſtrage illorum terras depopulentur, ut major etiam mortalium pars his in Japonia aliquando ſuccumbat, quam Peſte alibi. Atque idcirco præ labis iſtius* metu, *parentes liberos, mariti uxores, & quæcunque dulcia* T 2 *ſunt*

(*a*) Stor. Gener. tom. IX. trad. p. 156.
(*b*) Conſtitut. Epid. Sempronienſ. ann. 1699. apud Sydenham. tom. II. pag. 468.

Digitized by Google

ſunt vel ſanguinis vel thori pignora relinquant ". „ *Shipſtoni* , inquit Meadius [*a*] , parvo oppido , *ſito ad amnem* Stour *in* Worceſtershire, *miſer aliquis erro Variolis laborans obambulabat per plateas* . Territus *populus curavit eum abduci in parvam domum*, *ſitam in colle* , *aliquantum ab urbe diſtante ſuppeditatis omnibus neceſſariis &c.* " Cl. *Tiſſotius* & viros uxores , & matrem filios , & civem amicos præ Variolarum Contagii metu linquere ſcribit [*b*] . Apud cunctos Europæ inviĉtiſſimos Principes , graſſantibus per Metropolim Variolis , in more poſitum eſt , ut lex indicetur, ne quis Variolatus, vel cum eo diverſatus Aulam Regiam per quadraginta dies ingredi audeat . Equidem , tam longe a veritate abeſt opinio illa , a cordatis adhuc Viris [*c*] firmiter ſuſcepta , omnes homines vel naturæ inſtituto Variolas ſaltem ſemel neceſſario perpeti debere, ut potius, naturæ inſtinctu , audito hujus diri Morbi nomine mortales contremiſcant . Sed propius ad Analogiam . *Diemerbroeckius* ſequentia loquitur [*d*] : „ *Plurimi exiſtunt* (*præſertim adulti*, *& ſeniores* , *ut & aulici de pulchritudine ſua præ aliis valde ſolliciti*) , *qui ſibi de hoc Morbo* (*Varioloſo*) *admodum metuunt* , *tam propter vitæ periculum*, *quam propter foveas*, *cicatrices*, *aliaſve turpitudines*, *quas in facie frequenter relinquit* ". „ *Infantes*, inquit Mortonus (*e*) , *animi pathematibus vacui* , *rarius quam adulti ſorte Variolarum confluentium & malignarum admodum dura plectuntur* . *E contra vero ſtudioſi* , *intente cogitabundi*, *meticuloſi*, *triſtitia depreſſi* , *anxii & ſolliciti amatores*, *ſæpe pertinaciter vigiles & deliri in ipſis Variolis diſcretis ſupremum oppetunt diem* , *& in confluentibus & cohærentibus durius tractantur* , *& ægre admodum evadunt* : *Adeo ut* , *ſi mihi optio daretur* , nunquam hujuſmodi

(*a*) Oper. Med. Differt. de Peſt. Part. I. cap. II. p. 186.
(*b*) Inocul. Giuſtif. obſ. XII. art. XIII. trad. p. 92.
(*c*) *Mead* Oper. Med. de Variol. cap. V. p. 46.: *Tyſſot* l. c. art. V. §. XII. p. 35.: *de la Condamine* Memor. I. p. 1. *Aliique non pauci*.
(*d*) Apud Manget. tom. IV. B. M. P. p. 694.
(*e*) Exerc. III. cap. VI. p. 370.

di ægrotantibus medicinam facerem ". Tandem Ill. *Swietenius*, referens [a] ſatis citam Variolarum eruptionem in nobiliſſimo viro, nimium ab hoc Morbo, a quo peremptus eſt, pertimeſcente, obſervaram, hæc ſubdit: „ *Plures alios ſimiles caſus vidi, ſed fere ſemper in illis, qui Morbum hunc horrebant quammaxime, & vel ſolo ejus nomine audito expalleſcebant* ". Sepoſitis infantibus, nimiumve ſtupidis, nulli ſunt reliqui homines, qui ab hoc truci Morbo non infremant. Undenam vero hæc a Variolis hominum trepidatio? Qui ſequentia bene perpenderit, hujus phænomeni rationem jam erit aſſequutus. „ *Nonne*, ait *Ill.* Tralles (b), *ipſe* Sydenham, *qui de diſcreto genere adeo bene ſentit, ſimul audiri debet, verba faciens*, de ægris *ob materiem ptyaliſmi viſcidam factam ſuffocatione plerumque extingui ſolitis*; de incerto lubricoque loco, *in quo locatur Morbus Variolarum, & praxis Medica eiſdem accommodanda*; de fama *Medici frequenter Variolis mederi juſſi in anguſto verſante*; de re *periculoſæ aleæ, ſi Variolæ confluant*; de ſaliva *viſcida ægros fere omnes ſuo marte undecimo Morbi die jugulante*; de lethalibus *veſiculis cum mortificatione ægros intra paucos dies ab eruptione Libitinæ deſtinantibus*; de ægris *pleriſque, qui vehementius laborabant Variolis anomalis anno* 1674. 1675., *intereuntibus*; de ingenti *diſcrimine a puſtularum numero*; de prævidenda *hominis funeſta ruina ex imminente indomita vi febris ſuccedaneæ*; de ingente *periculo, quod die undecimo inſtat*; de ægri *viribus prorſus imparibus, ut febri a reſorpta ſanie excluſæ reſiſtant*; de ægro *puris copia obruto, & fato ſuccumbente*; de criſtis *a Medico non erigendis, quando ipſi non cum diſcretis, ſed cum confluentibus, & ægris* adultis *res eſt, ne ſervatos a ſe judicet, quos non occiderit*; de ſummo *& tremendo diſcrimine febris putridæ Variolis confluentibus ſuperveniente*. " His tantummodo *Meadii* verba

(a) Tom. IX. in Boerhaav. §. 1384. p. 26.
(b) Vexatiſſ. noſtr. Ætat. &c. apud de Haen Tom. III. Opuſcul. Medic. Phyſ. Quæſt. VI. p. 101. & 102.

ba (*a*) adjiciendà putamus: ,, *In nulla febre incertiora ſunt de vita & morte judicia, quam in ea* (*Varioloſa nimirum*), *de qua hic agimus* ". Varioloſorum itaque ſymptomaton inſolentia, incertoque Morbi exitu, tum homines perterriti Variolarum vel nomen formidant, tum ab ipſis ægrotantes animo conſternantur.

Parallelum trigeſimumtertium.

Thucydidis igitur *Morbus* adhuc ipſo, quem hominibus incuſſit, timore Variolas æmulatus eſt.

§. 152. *Tum etiam, quod propter mali contagionem, quam alter ex alterius curatione hauriebat, adeo ut ex ea oppleretur, tanquam pecudes morerentur.*) *Propter mali contagionem &c.*] Jam ſupra (§. 77.) *Meadium* audivimus ſic loquutum: ,, *Variolæ, Morbilli, & ipſa Peſtis* hauriuntur *ſolo propiore acceſſu ad ægrum* " : Sed quod ad *diſtans* inficit contagium, adhuc coinquinat per *fomitem* & per contactum, uti §. 15. evictum eſt. *Quam alter ex alterius curatione hauriebat &c.*] Non ab occulto ſtatu aeris peſtiferi, [§. 8.]; non ab occulta aeris craſi [§. 10.]; haud a venenata materie aeri inhærente [§. 13.]; aut depravata Atmoſphæræ conſtitutione [§. 36.]; vel occulto ex rebus nonnaturalibus variarum cauſarum ignorato concurſu [§. 37.]; neque ab aere *miaſmatibus*, in centro terræ ſucceſſu temporis ſenſim genitis, inquinato [§. 43.], ſui *Morbi* contagionem in ſanos inſilire *Thucydides* aſſeruit; ſed ab uno acceſſu ad ægrotos *Morbo* coinquinatos, a quibus qui longe abierunt, *Morbum* vitarunt. *Tanquam pecudes morerentur.*] Duplici modo hoc poteſt intelligi, vel ob contagium, quia vel una pecus contagioſo Morbo arrepta, ſi non illico necetur, univerſum gregem contagione proſternit; vel ob ſanorum fugam ab ægrotis hoc Morbo mulctatis. Hi enim ab omnibus derelicti præ contagii metu, omni

(*a*) Oper. Medic. de Variol. cap. III. p. 29.

omni ſolatio, auxiliis rebuſque neceſſariis orbati, *tanquam pecudes moriebantur*.

Parallelum trigeſimumquartum.

Athenienſium igitur *Morbus* iiſdem Contagii modis, quos poſſident Variolæ, populariter vulgatus eſt.

§. 153. *Atque hæc fuit præcipua maximæ ſtragis cauſa*.) Nimirum Contagium, ob rationes §. 152. relatas. *Sive enim noluiſſent metu deterriti mutuo ſe inviſere, deſerti interibant*.] Hujus textus Analogia ſatis ſuperque §. 151. & 152. abſoluta eſt; & *Tiſſotius* [a] mortem illorum puerorum ingemuit, qui a matribus hunc Morbum pertimeſcentibus longe ſejuncti, quum ipſarum miniſterio ſolatioque ſervari potuiſſent, miſere interierunt. *Multæque familiæ propter inopiam hominum, qui ægrotos curarent, exhauſtæ ſunt*.] Apud Europam, recurrentibus a ſæculo ſaltem decimo ad hunc diem per intervalla Variolis, cunctarum familiarum majores natu hoc Morbo functi, immunes manent: An vero, quum primum hæc Peſtis in Europæas irrupit nationes, id infortunii genus contigerit, necne, eorum temporum barbaries ignorantiæ tenebris obvolvit. Americam certe ſi reſpiciamus, enarrante *Gonſalo Ferdinando de Oviedo* [b] primus ibi Variolarum impetus non tantum *multas familias*, ſed integras Provincias habitatoribus *exhauſit*. At enim vero etiamſi Variolæ apud nos vacuas domus non faciant, multas tamen vel nobiliſſimas familias non ſemel extinxere, earumdem unicam prolem interimentes; quas inter lugubre exemplum nobis exhibet illa *Excellentiſſimi* ac *egregii Principis Acis*, ſive *Campi Floridi*, Invictiſſimi Regis noſtri FERDINANDI IV. armorum Generalis Ducis, cujus virilem progeniem ferox hic Morbus e vita abſtulit. *Sive alteri ad alteros adiſſent, interibant: præcipue vero*

(a) Inocul. Giuſtif. objez. art. XIII. n. XCII. trad. p. 149.

(b) Viag. del Colomb. vol. III. hiſtor. gener. lib. XVII. Traduzione pag. 180.

vero qui aliquam virtutis partem ſibi vendicabant. Nam præ pudore ſibi ipſis non parcebant, dum in amicorum ædes ingrediebantur, ut eos inviſerent.] Ex hoc textu patet, Athenienſes probe noviſſe *Morbum* contrahi *acceſſu* ad *ægrotos*, & maxime *eorumdem contrectatione*; unde fuerunt qui ſibi proſpicientes ægrotos nec adiere; fuerunt qui horum ædes ingreſſi, nullam iiſdem tribuerunt opem, ne contrectantes magis inficerentur; fueruntque qui vitam potius amittendam eſſe rati, quam illorum amicitiam defraudandam, & ægrotos adierunt, & diligentius iiſdem operam præſtiterunt, *aliquam virtutis partem ſibi vendicantes*, unde, facilius ſuſcepto tabo, *interibant*. *Siquidem vel ipſi domeſtici tandem lamentationibus eorum, qui moriebantur, defatigati, non amplius commovebantur, mali violentia ſuperati.*) Hujus textus Analogia ex §. 135. maxime patet.

Parallelum trigeſimumquintum.

Variolæ igitur, non ſecus ac Athenienſium *Morbus*, haud ſemel integras familias exhauſerunt.

§. 154. *Illi tamen, qui evaſerant, & eum, qui moriebatur, & eum, qui laborabat, magis miſerebantur; tum quod hoc malum prius experti cognoſcerent.*) Si ante *Thucydidis* dies id *Morbi* genus Athenis fuiſſet proxime vulgatus, eſſent qui eodem perfuncti ſub ipſius recurſione ægrotis ſine metu ſuam navaſſent operam. At, quum jampridem nunquam illic innotuerit, [§. 72. 73.], ſub primo ipſius ingreſſu ab omnibus ſine diſcrimine perferendum ſe immiſit; nulliſque ſpernendum, niſi iis, qui tunc ab eo evaſerant.

Analogia decimaſeptima.

§. 151. *Illi tamen, qui evaſerant &c.*) Qui Variolas jam paſſi ſunt ſine ſuſcipiendi contagii metu hoc Morbo affectos inviſunt, iiſque miniſtrant; & in ætate adulta eumdem paſſi, toleratarum ærumnarum memores, *& eum qui labo-*

laborat, *& eum*, *qui moritur*, *magis miſerentur*, *tum quod hoc Malum prius experti cognoſcunt*, *tum etiam quod ipſi in tuto jam ſunt*. Hujus textus Analogia ob ſuperius demonſtrata obſervationibus non eget. *Hic enim Morbus eumdem bis non corripiebat*.) Controverſum, nondum vero confirmatum apud Medicos manet, ſemel tantum an pluries idem homo *bubonica* Peſte affici poſſet. *Sennertus* hæc fatur (*a*): „ *Experientia ſæpius teſtata eſt*, *nonnullos non ſolum bis*, *ſed & ter Peſte laboraſſe*; *imo nonnullos*, *quum primo evaſiſſent*, *iterum Peſte correptos*, *mortuos eſſe* ". Apud *Hoffmanni* Supplementa (*b*) hæc legitur propoſitio : „ *Qui ſemel Peſte afflicti fuere*, rarius *altera vice in hanc incurrunt* ". Cl. *Diemerbroeckius* contra *Guilelmum Magiſtrium*, *Maſſariam*, & *Untzerum* negativam tuentes partem, hæc ediſſerit (*c*) : „ *Verum omnes has auctoritates & rationes ipſa* experientia *facillime evertit*. *Nam varios novimus*, *qui ante aliquot annos Peſte laboraverant*, *& propterea tamen in hac conſtitutione* (Noviomagenſi) *non magis a lue immunes fuerunt*, *quam alii*. Eodem autem anno eumdem *hominem* bis *Peſte corripi poſſe*, *liquet ex prædicta hiſtoria*, *ut & ex hiſtoria* 45. Sic etiam *Marſilius lib. Epidem. cap.* 54. ſcribit, ter unum ex Florentinis luem hanc *invaſiſſe*, *qui etiam ſecundo perfecte liberatus*, *tertio mortem evadere non potuit*. Angelus Bellicochus Tract. de Peſt. *refert*, *in illa Peſte* Veneta *nonnullos ab hoc graviſſimo malo liberatos*, *per aliquos menſes ſe rurſum ſatis bene habuiſſe*, *& poſtea iterum in Morbum hunc incidiſſe*, *a quo tamen nonnulli fuere reſtituti*. *Sic etiam* Follinus Amulet. cap. 29. Probl. 2. *dicit ſe in Peſte* Sylveducenſi *vidiſſe*, *qui* ter *hoc Morbo laboraverunt*, *& nonnullos fuiſſe defunctos*, *qui novena Morbi pugna ſuccubuere*. *Verum*, *etſi hæc ita ſe habeant*, *tamen docet experientia illos*, *qui ſemel hoc malo afflicti fuerunt*, *tutius degere*, *& minus periclitari aliis*, *qui nunquam*

(*a*) Tom. III. de Febr. lib. IV. cap. III. p. 145.
(*b*) Tom. I. Differt. de Peſt. orig. §. XXI. p. 151.
(*c*) Apud Manget. tom. IV. B. M. P. annot. hiſt. XXXVII. p. 80.

Digitized by Google

quam eo detenti fuere . Quod etiam in graviſſima ſui temporis Peſte notat hiſtoricus Thucydides in lib. 2.: Verum , *inquit* , ii præcipue morientium laborantiumque miſerebantur , qui ipſi evaſerant : quippe id jam antea experti , ac de ſe ſecuri . Neque enim bis eumdem Morbus corripiebat , ut extingueret . *Verum in noſtra Peſte* Noviomagenſi , *etſi qui ſemel Peſtem experti eſſent* raro *ſecunda vice illam inciderent* ; *quibuſdam tamen hoc contigiſſe novi* , *eorumque nonnullos evaſiſſe*, nonnullos mortuos *fuiſſe* ". Hæc *Diemerbroeckius* . At vero qui abſolutam hucuſque Athenienſium *Morbi* cum Variolis Analogiam naviter , cordata ſinceritate , & ſine præoccupatione libraverit , procul omni dubio fatebitur deſumptum ex Athenienſium Peſte exemplum ad propoſitum evincendum minime conducere , quum univerſa illius Phœnomena clariſſime demonſtrent id *Morbi* genus haud *bubonicam* , ſed *Varioliferam* Peſtim extitiſſe . Perpendamus autem, an *genuinæ* Variolæ ſecundo , vel tertio eumdem hominem corripere ſueverunt . Diximus , *genuinæ* , quum Medicorum nullus inſicias ire poterit , dari adhuc Variolas *ſpurias* diverſæ indolis & ſpeciei, quas *Sennertus* (*a*) & *Van-Swietenius* (*b*) germanicis appellant nominibus , noſque vernaculo ac generico verbo *baſtardi* ac *ravaglioni* vocamus ; quæ quidem *genuinas* paſſos etiam arripiunt , non abſque contagione . De *genuinis* itaque Variolis ingenuus *Sydenhamus* hæc loquitur [*c*] : „ *Integras familias contagio ſuo afflantes nemini parcunt* , *cujuſcunque demum ætatis is fuerit* , niſi prius hoc Morbo laboraverit . *Neque tamen eximuntur illi* , *quod* adulterinum *Variolarum genus* aliquod , *ad hunc Morbum* nihil attinentium , *prius obſederit* " . Cl. *Williſius* (*d*): „ *Peculiare* , inquit , *quoddam febris genus conſtituunt* (*Variolæ*) *hominibus quidem proprium* , *verum alio modo quam Porphirius aſſignavit* . *Convenit enim homini omni* , *ſoli* , *ac* ſemel *Variolis &* *Mor-*

(*a*) Tom. III. de Febrib. lib. IV. cap. XII. p. 178.
(*b*) Tom. IX. in Boerhaav. §. 1381. p. 8.
(*c*) Tom. I. Sect. III. cap. II. p. 41.
(*d*) Op. Medic. de Febr. cap. XV. p. 70.

Digitized by Google

Morbillis affici ". III. *Meadius* ſic fatur (*a*): „ *Nemo mortalium* , *quemquam hoc periculum* (*a Variolis*) bis *unquam ſubire poſſe* , *vel minimam ſuſpicionem fovere debet* . *Quænam autem cauſſa efficiat* , *ut* ſemel omnino *corpus invadere poſſit hæc* Peſtilentia , *juxta ſcio cum ignariſſimis* ". Quid demum ? Firmatur hæc aſſertio obſervationibus haud facile percellendis , a Variolarum *Inoculatione* petitis , & per *Swietenium* (*b*) in unum collectis , quibus conſtitit immiſſum per vulnuſcula intra corpora Variolas jam paſſa ſatis ſufficiens hujus Morbi ſeminium nunquam Variolas excitaſſe , iteratumque irritum ſemper evaſiſſe ; unde laudatus Auctor ibidem obſervationes hiſce contrarias dilucide *ſpuriis* Variolis tribuendo , definit haud mutandam eſſe ſententiam illam , *quæ ſtatuit homines in univerſum bis non pati Variolas* . Magis rata evadet propoſitio ſi illud *in univerſum* in *ut plurimum* vertatur . *Morbus eumdem bis non corripiebat* , *ita ut eum etiam interimeret* .] Inferius Hiſtoricus hæc ſubdet : „ *Quum autem eos* (Athenienſes) *rurſus eſt aggreſſus* (Morbus) *non minus anno integro apud eos immoratus* ; *prius vero* , *vel per biennium eſt graſſatus* " . Itaque trium annorum curriculo indeſinenter hoc Malum Athenas mulctavit . Per id temporis , qui ab ipſo evaſerant , dum ægrotis ſuam locabant operam , aliquid contagionis ſibi quidem affricabant ; ſed id tale non erat , *ut eos etiam interimeret* . Cl. *Ettmullerus* hæc ſcribit (*c*): „ *Refert* Drelincurtius *in diſſertatione de Variolis mulieres lactantes pueros Variolis obſeſſos ulcera mammas erodentia periculoſiſſima incidiſſe* " . Et *Swietenius* [*d*] inquit : „ *Cuſtodes*, *qui hoc Morbo* (*Varioloſo*) *decumbentibus perpetuo aſſiſtunt* , *licet a contagio tuti fuerint* , *Morbum hunc jamdudum antea paſſi* , *tamen ophthalmia* , *&* *angina inflammatoria ſæpe corripiuntur* " . Dilectus nepos meus Franciſcus quinquennio minor , cujus tunc genæ

(*a*) Op. Med. lib. de Variol. cap. IV. p. 45.
(*b*) Tom. IX. in Boerhaav. §. 1381. p. 11. 12.
(*c*) Colleg. Conſult. cap. XXXVI. in annot. p. 847.
(*d*) Tom. IX. in Boerhaav. §. 1386. p. 42.

næ roſæ ac lilii referebant colores, ceteroquin ſaniſſimus, vigeſimo ſexto Januarii anni 1782. ſub vigente aquilonari ac nivoſa temporis conſtitutione, confluentibus Variolis, quæ in pago *Bonaccurſorum Acis* elapſo menſe a binis pueris, inter ſolemnia divi Stephani cum infanti Variolato illuc moratis, contractæ, noſtrum in Oppidum aſportatæ fuerant, enormiter prehenditur. Meo in cubili, a quo Matris ubera deſeruerat, mecum condormire ſuevit: Unde a tam diri Morbi principio ad finem uſque nunquam paſſus eſt ſe unum per noctem in lecto manere; ſed nunc me, modo patrem ſuum comitem ſemper efflagitavit. Nono Morbi die nocturna Intermittens Febris diris Pueri ærumnis ſupervenit, & quidem extremarum corporis partium refrigeratione, atque intercisis rigoribus. Per id temporis nos, viciſſim cum eo in faciem cubantes, inſtanter rogabat, ut ipſum in ſinu noſtro foveremus, quod accurate factitavimus, etſi Puer jam tetrum fœtorem exhalare inciperet. Suffocata per Corticem Peruvianum intermittente Febre, ferociente tamen aquilone & alta nive terras cooperiente, Puerulus quavis nocte ſuetum preſſius expoſtulavit fotum. *Quid non mortalia pectora cogit* dulcis amor! Quanquam Puer in dies mephitim magis ſpiraret, id tamen muneris ad Morbi finem per vices ſuſtinuimus; ſatis læti ægrotulum cum morte ad menſem colluctatum, adhuc ſuperato Dei miſerentis ope oculum dextrum amittendi periculo, ob *ſpuriam* puſtulam in eodem ſupernatam, & ſacchari albiſſimi pulvere percuratam, ſuperſtitem manſiſſe, amiſſa quidem oris pulchritudine, at non deformem. Quo vero hæc? En. Siniſtrorſum cubitum a pueritia ſemper moleſtum, quinimo ſæpius terrificum ego nactus, puerulum dum foverem, dextera incumbens amplexatus ſum; ipſius vero Pater, ut plurimum ſiniſtra, & quidem ambo vel imberbes Variolis perfuncti. Hæc cum Puero intima conſuetudo inſons utrique non extitit. Poſt aliquot enim dies, prægreſſis per latus dextrum dolorificis punctionibus, & veluti formicarum morſibus, una cum moleſtiſſimo ſcalpendi pruritu, ſeptem ardentes & ſatis magni carbunculi, tres in brachio & quatuor

Digitized by Google

tuor in crure ejuſdem lateris, atque Anthrax mali moris ſupra *Iſchias* mihi præſto fuerunt: Fratri vero meo, iiſdem præcedentibus moleſtiis, ſex ejuſdem indolis carbunculi per pectus & brachium ſiniſtrum eruperunt, ad diem uſque quadrageſimum nos divexantes; *ſed* non *ita ut etiam interimerent*. Hujuſmodi exempla ſub *bubonica* Peſte hucuſque non legimus.

Concluſio decima.

Quum igitur repetita experientia demonſtratum ſit, dari nonnullos, qui, poſtquam *bubonicam* Peſtim ſemel ſuperaſſent, iterum atque tertio ab ipſa correpti fuerint; atque ſatis perſpicue per eamdem conſtet, eumdem hominem fere nunquam bis *genuinas* Variolas paſſum fuiſſe; rectiſſime concludi poſſe videtur, Athenienſium *Morbum*, *qui eumdem bis non corripuit*, haud *bubonicam* fuiſſe Peſtim, ſed illam, quæ Variolas eructat.

§. 156. *Et ab aliis beati cenſebantur, ipſique propter præſentem ſalutis inſperatæ lætitiam exultantes, quandam etiam levem ſpem habebant, ſe ne alio quidem ullo Morbo in poſterum amplius unquam abſumtum iri.*) De ſuperata *bubonica* Peſte has gratulationes, hæc vel levia blandimenta, quibus a Morbo evaſi ne quidem alio Morbo (ejuſdem credimus ſpeciei) ſe in poſterum abſumtum iri prædicabant, nobis legere hucuſque non datum. De Variolis vero Cl. *Loew* (*a*) hæc refert: „ Japones, *&* Sinæ *liberis dotati*, *ubi interrogantur*, *quot ſoboles alant*? *regerunt totidem*, *quot Variolis jam laborarunt*; *reliquorum enim vitam in ancipiti locant*, *atque inter permanentes proles non numerant* ". Certiſſimo hæc ſunt argumento, apud has Nationes in confeſſo poſitum eſſe Variolas *eumdem bis non corripere*, & *beatos cenſeri illos*, *qui* ab *ipſis evaſerant*; at pro *bubonica* Peſte nec id ſecuritatis, nec id lætitiæ

(*a*) Conſtitut. Epidem. Sempron. ann. 1699. apud Sydenham. tom. II. pag. 468.

titiæ definitum. Apud nos adagium vulgatiſſimum: *Puellam baud dici poſſe pulchram, niſi poſtquam Variolas ſuperarit*; nec minori præ Athenienſibus a Morbo evaſis fœlicitate beantur illi, qui Variolas vicerunt.

Concluſio undecima.

Igitur Athenienſium gaudium a ſuperato *Morbo* non obſcure oſtendere videtur ipſum non *bubonicam* Peſtim; ſed Varioliferam fuiſſe.

νβ΄. Ἐπίεσε δ᾽ αὐτοὺς μᾶλλον πρὸς τῷ ὑπάρχοντι πόνῳ καὶ ἡ ξυγκομιδὴ ἐκ τῶν ἀγρῶν ἐς τὸ ἄςυ, καὶ οὐχ ἧσσον τοὺς ἐπελθόντας. οἰκιῶν γὰρ οὐχ ὑπαρχουσῶν, ἀλλ᾽ ἐν καλύβαις πνιγηραῖς ὥρᾳ ἔτεις διαιτωμένων, ὁ φθόρος ἐγίγνετο, οὐδενὶ κόσμῳ, ἀλλὰ καὶ νεκροὶ ἐπ᾽ ἀλλήλοις ἀποθνήσκοντες ἔκειντο· καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐκαλινδοῦντο, καὶ περὶ τὰς κρήνας ἁπάσας, ἡμιθνῆτες, τῇ τοῦ ὕδατος ἐπιθυμίᾳ. τά τε ἱερὰ, ἐν οἷς ἐσκήνηντο, νεκρῶν πλέα ἦν, αὐτοῦ ἐναποθνησκόντων. ὑπερβιαζομένου γὰρ τοῦ κακοῦ, οἱ ἄνθρωποι οὐκ ἔχοντες ὅ, τι γένωνται, ἐς ὀλιγωρίαν ἐτράποντο καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων ὁμοίως· νόμοι τε πάντες συνεταράχθησαν, οἷς ἐχρῶντο πρότερον περὶ τὰς ταφάς. ἔθαπτον δὲ ὡς ἕκαστος ἠδύνατο· καὶ πολλοὶ ἐν ἀναισχύντους θήκας ἐτράποντο, σπάνει τῶν ἐπιτηδείων, διὰ τὸ συχνοὺς ἤδη προτεθνάναι σφίσιν. ἐπὶ πυρὰς γὰρ ἀλλοτρίας, φθάσαντες τοὺς νήσαντας, οἱ μὲν, ἐπιθέντες τὸν ἑαυτῶν νεκρὸν ὑφῆπτον, οἱ δὲ, καιομένου ἄλλου, ἄνωθεν ἐπιβαλόντες ὃν φέροιεν, ἀπῄεσαν.

§. 157.

52. „ *Ipſos autem præter laborem, quo jam vexabantur, ipſa quoque rerum ex agris in urbem comportatio, præcipue vero ruſticos, qui in eam confluxerant, gravius preſſit. Cum enim non eſſent ædes, ſed in tuguriolis æſtuoſis ob anni tempus habitarent, ſtrages edebatur, nullo ordine: quin etiam alii ſuper alios morientes, mortui jacebant; & in viis, & circa fontes omnes, aquæ deſiderio, ſemimortui volutabantur. Et templa, in quibus tabernacula habitandi cauſa fecerant, cadaveribus hominum, qui ibi in ipſis moriebantur, erant referta. Malo enim ſupra modum urgente, homines non haben-*

bentes, quid agerent, aut quo ſe verterent, ſacra ac profana æque negligere cœperunt, omneſque leges, quibus ante in ſepultura utebantur, pariter ſunt conturbatæ. Nam ſepeliebant, ut quiſque poterat. Multique, propter crebram domeſticorum jam defunctorum ſtragem, rerum neceſſariarum penuria ad impudentia ſepulcra ſe converterunt. Nam alii quidem in alienos rogos, antevertentes illos, qui eos extruxerant, mortuum ſuum imponebant, igneque ſubjecto accendebant: alii vero, dum alterius cadaver arderet, ſuo cadavere, quod ipſi ferebant, ſuperjecto, diſcedebant". *Thucyd.* 52. *pag.* 131.

Analogia decimaoctava.

§. 158. *Ipſos autem præter laborem &c.*] Etſi hæc infortunia hominum cladem cumulaverint, a *Morbi* tamen natura haud promanarunt, &, ſoluta, abactis hoſtibus, urbis obſidione, abeſſe potuerant: Unde Analogiam non ſuſtinent apud Europam, ubi omnes hoc Morbo correpti vel in ſuo lectulo jacent, vel in Noſocomiis degunt neceſſario miniſterio nunquam deſtituti. In Europæ quidem caſtra ſæpe acceſſerunt Variolæ, & Ill. *Joannes Pringle* (*a*) ſcribit, anno 1745. Variolas *militibus ſuppletis a Britannia in caſtra aſportatas, minime inter milites fuiſſe diſſeminatas; neque unquam ſe comperiſſe, eaſdem in caſtris populariter eſſe graſſatas.* Interim, rationem, qua hic *Epidemicus Morbus* populariter in caſtris non vulgetur, accuratiſſimus hic Morborum Caſtrenſium Speculator & Scriptor ſilentio præteriit. Si, quæ §. 155. probata ſunt, majori indigerent illuſtratione, maximam ab hac obſervatione repeterent. Europæorum exercituum ſumma militum pars, (ni dicamus univerſus exercitus) Variolis ſub pueritia vel adoleſcentia perfuncta eſt, nec poteſt iterum hoc Morbo affici. In caſtris igitur, calonum tantummodo pue-

(*a*) Oſſerv. ſopra le Malatt. di Armat. P. I. cap. V. Trad. p. 12., & P. II. cap. I. p. 27.

pueros, & militum eumdem non expertorum paucos Variolæ corripientes populariter non graſſantur. Detur vero vel temporis momento multus apud Europam miles, cujus nemo Variolas jampridem ſit paſſus; iſque in taguriolis, templiſque, ſub animam ſtrangulante æſtivo calore, congeratur; injiciaturque in ipſum Varioliferi *miaſmatis* parva ſcintilla, ita ut unum vel alterum apprehendat; vel extemplo hujus Peſtis incendium immenſum exardeſcat, totumque abſumat militem, neceſſe eſt.

§. 159. *Sed in taguriolis æſtuoſis ob anni tempus habitarent, ſtrages edebatur, nullo ordine &c.*] *Galenus* [*a*] inter præcipuas Peſtis cauſas, ambientis aeris caliditatem immodicam, putredinem corporum promoventem, adnumerat, ſubditque: „ *quemadmodum in ea peſtilentia quæ Athenienſes invaſit, ut* Thucydides *inquit:* Sed in tuguriis ſuffocantibus æſtatis tempore habitantium corpora corruptione laborabant “. Hæc verba *habitantium corpora corruptione laborabant* in Dukeriano Codice non leguntur; tamque longe abeſt, *Thucydidem* huic cauſæ Athenienſium *Morbum* tribuiſſe, ut potius accuratius conatus ſit clariſſime demonſtrare (§. 80. 90. 93.) *Morbum* ab *Æthiopia* eruptum, ſub anni ſalubritate, corpora vel ſaniſſima corripuiſſe; ejuſque cauſam [§. 134.] *aliquid aliud, quam aliquod familiarium extitiſſe*. Interim, pene omnes Medicinæ adhuc recentiores Aſclepiades in recenſendis Peſtis cauſis, e quarum numero ex ſex rebus nonnaturalibus dictis fere nullam excipiunt, *humidi* & *calidi aeris conſtitutioni* principatum concedunt. Id vero rerum magiſtræ experientiæ adverſari, præter innumera obſervata, quæ hic congerere longum eſſet, una a *Ruſſellio* probe notata, apudque *Swietenium* exarata relatio aperte demonſtrat: „ *In genere*, inquit (*b*), *obſervatum fuit in* Aleppo, *quod Peſtis* deſinat *ſemper*, *dum* fervidiſſima aeris tempeſtas adeſt, *uti enumeratio* plurium annorum, *quibus Peſtis graſſabatur*, *docet manifeſte*. *Unde* [ſubdit Swietenius] *concludi poteſt*, putre-

(*a*) Cl. III. lib. I. de differ. febr. cap. IV. p. 32. B.
(*b*) Tom. IX. in Boerhaav. §. 1408. p. 137.

putrefaciens illud *in Peſte* diverſum quid eſſe a putredine, quæ per calorem augetur *&* fovetur ". Abeant Hypotheſes legitimam Artem Apollineam ſubvertentes. Putrefaciens in Peſte, cunctiſque epidemicis Morbis conſtituunt *contagioſa ſeminia* [§.20.], quovis anni tempore & ſub ſæviſſimo adhuc aquilone immenſum ſæpe graſſantia, ſine quibus vel æſtuoſiſſimus ſimul & humidiſſimus Auſter nec ullum uſpiam Europæ excitabit *epidemicum* Morbum, neque ſex rerum nonnaturalium ulla cauſa excitare quandoque valebit. Quum vero apud cunctas *Europæ* nationes nulla extent horum ſeminiorum [§. 23. 24. 41. & 82.] domicilia, vel luce meridiana clarius innoteſcet, extinctis, quæ nunc per totam *Europam* hominum commercio volutantur, exoticis contagioſorum Morborum ſeminiis, omnes *epidemicos* Morbos in tota *Europa* extinctum iri.

§. 160. *Sed in teguriolis æſtuoſis &c.*] Sub Variolis, contra ac in Peſte, [§.159.], æſtivus calor, & in aere ſtrangulante manſiones, binæ ſunt concurrentes cauſæ, quæ *miaſmata* variolifera fovendo, excubando, juvando, inque rabiem adigendo mortalium funera longe lateque coacervant; unde ſcitiſſime ab ingenuo *Sydenhamo* in ſuis de Variolis accuratis monumentis ubique locorum nigerrimo notantur carbone. Celeberrimus *Boerhaavius* (*a*) de Morbo Varioloſo, laudatum *Sydenhamum* ſequutus, hæc ſcripſit: „ *Eſt ut plurimum Epidemicus, verno tempore primo incipiens, æſtate creſcens, languens autumno, hyeme ſequenti fere cedens* ". Ex *Diemerbroeckio* §.92. notavimus, Variolas Auguſto menſe magna incrementa ſumpſiſſe. Ill. *Genſelius* (*b*) refert, Variolas Auguſto menſe fatales evaſiſſe, additque ſequentia: „ *Suppuratæ rurſus materia ichoroſa repletæ conſpiciebantur, &* ſecunda vice *ad ſuppurationem pervenere, inque interſtitiis ſuppuratarum novæ ſubinde oriebantur Variolæ. In defunctis per nares & oculos ſanguis prorupit copio-*

 pio-

(*a*) Aph. de cogn. & curand. Morb. §. 1380. p. 228.
(*b*) Conſtitut. Epid. infer. Hungar. anni 1713. apud Sydenham. tom. I. pag. 512.

Digitized by Google

pioſus. *Nonnulli a barbitonſoribus imperitis male tractati tubercula circa artuum juncturas*, *& his retropulſis per topica*, *totalem reportarunt contracturam*; *alii* cœcitatem, *ſtrumoſoſque colli tumores*, *quibus evaneſcentibus corripiebantur vomitu cruento lethali* ". Apud Ill. *Huxhamium* (*a*), ſub diverſæ temperiei æſtatibus annorum 1739. 1740. 1741. 1742. 1743. 1744. 1746. 1748. *Plymuthi*, inque ejus viciniis Variolæ ſemper populariter graſſatæ ſunt, & magna ex parte lethales extitere: de Junio anni 1741. [*b*], admodum fervida exiſtente tempeſtate, hæc ſcribuntur: „ *Variolæ maxime epidemicæ longe lateque permultos occidunt* "; & de Auguſto ejuſdem anni [*c*] hæc: „ *Variolæ adhuc maxime epidemicæ*, *jamque multo pejores* ". Analogiam concludamus *Swietenii* hiſce verbis [*d*]: „ *Variolæ & magis increſcere* (æſtivo nimirum tempore) *& periculoſius ſævire ſolent*, *imprimis ſi fervida æſtas fuerit* ".

Concluſio duodecima.

Quum ſub ferventiſſima aeris conſtitutione *bubonica* Peſtis ut plurimum extinguatur [§. 159.], Variolæ vero perpetuo exacuentur; Athenienſium *Morbus*, qui æſtivo tempore mortes auxit, ad Variolas potius, quam ad Peſtim *bubonicam* eſt referendus.

§. 161. *Quin etiam alii ſuper alios mortui jacebant*.] Etiamſi noſtra *Europa* hiſce calamitatibus haud ſubjiciatur, rationibus §. 158. & alibi jam adductis; ſæpiſſime tamen bina, terna, quaterna, quandoque plura a Variolis peremtorum puerorum cadavercula uno in feretro per idem tempus ad ſepulcrum aſportari lacrymabili ſpectaculo non ſemel conſpexit.

§. 162. *Et circa fontes omnes*, *aquæ deſiderio*, *ſemimor-*

(*a*) Tom. II. de Aer. & Morb. Epid. p. 30. & ſeq.
(*b*) Ibid. pag. 69.
(*c*) Ibid. pag. 72.
(*d*) Tom. IX. in Boerhaav. §. 1380. p. 5.

Digitized by Google

mortui volutabantur.] Hujus textus Analogia abunde §. 110. abſoluta eſt.

§. 163. *Et templa in quibus tabernacula &c.*] Hic integer textus, ſi aliquam ſuſtinet analogiam, quum extra *Morbi* naturam & Europæorum morem poſitos eventus referat, ex §. 159. expeti poterit.

νγ΄. Πρῶτόν τε ἦρξε καὶ ἐς τἄλλα τῇ πόλει ἐπιπλέον ἀνομίας τὸ νόσημα· ῥᾷον γὰρ ἐτόλμα τίς ἃ πρότερον ἀπεκρύπτετο μὴ καθ' ἡδονὴν ποιεῖν, ἀγχίστροφον τὴν μεταβολὴν ὁρῶντες τῶν τ' εὐδαιμόνων καὶ αἰφνιδίως θνησκόντων, καὶ τῶν οὐδὲν πρότερον κεκτημένων, εὐθὺς δὲ τἀκείνων ἐχόντων. ὥστε ταχείας τὰς ἐπαυρέσεις καὶ πρὸς τὸ τερπνὸν ἠξίουν ποιεῖσθαι, ἐφήμερα τά τε σώματα καὶ τὰ χρήματα ὁμοίως ἡγούμενοι· καὶ τὸ μὲν προσταλαιπωρεῖν τῷ δόξαντι καλῷ, οὐδεὶς πρόθυμος ἦν, ἄδηλον νομίζων εἰ πρὶν ἐπ' αὐτὸ ἐλθεῖν, διαφθαρήσεται· ὅ, τι δὲ ἤδει τε καὶ πανταχόθεν τὸ ἐς αὐτὸν κερδαλέον, τοῦτο καὶ καλὸν καὶ χρήσιμον κατέστη. θεῶν δὲ φόβος, ἢ ἀνθρώπων νόμος οὐδεὶς ἀπεῖργε· τὸ μὲν, κρίνοντες ἐν ὁμοίῳ καὶ σέβειν καὶ μὴ, ἐκ τοῦ πάντας ὁρᾷν ἐν ἴσῳ ἀπολλυμένους· τῶν δὲ ἁμαρτημάτων οὐδεὶς ἐλπίζων μέχρι τοῦ δίκην γενέσθαι βιοὺς ἂν τὴν τιμωρίαν ἀντιδοῦναι· πολὺ δὲ μείζω τὴν ἤδη κατεψηφισμένην σφῶν ἐπικρεμασθῆναι, ἣν πρὶν ἐμπεσεῖν, εἰκὸς εἶναι τοῦ βίου τι ἀπολαῦσαι.

§. 164.

53. „ *Hic autem* Morbus *aliis etiam in rebus civitati majoris improbitatis fuit initium. Facilius enim quilibet audebat* palam *facere, quæ prius* pudore impeditus *occultabat, ita ut ex animi libidine non patraret, quod repentinam rerum mutationem fieri viderent: & homines quidem fortunatos repente mori; illos vero, qui nihil ante poſſidebant, ſtatim illorum bona poſſidere animadverterent. Itaque bonis illis celeriter perfruendum, operamque voluptatibus dandam cenſebant, quod pariter & corpora & bona momentanea & in diem tantum duratura eſſe exiſtimarent. Nemoque promtus erat ad labores tolerandos rei cauſa, quæ honeſta videretur, incertum exiſtimans, an eſſet interiturus priuſquam ad illam perveniret. Quod autem unuſquiſque jucundum, & undique ſibi quæſtuoſum fore noverat, hoc etiam hone-*

Digitized by Google

honeſtum, & utile conſtituebatur. Nec ullus Deorum metus; aut hominum lex eos arcebat; partim quidem, quia Deos colere, perinde eſſe judicabant, ac non colere, quod omnes pariter mori viderent: partim vero; quia nullus ſe tamdiu ſuperſtitem futurum ſperabat, dum inſtituto judicio pœnas ſuorum delictorum daret. Multoque majorem pœnam fatorum judicio *jam decretam, ſibi impendere exiſtimabant; ante cujus adventum, aliquibus vitæ voluptatibus ſibi perfruendum eſſe cenſebant*". *Thucyd.* 53. *pag.* 132.

§. 165. *Hic autem Morbus*, & quæ ſunt reliqua hujus paragraphi 53.] Quanquam, poſt vulgatas a multis ſæculis in *Europam* Variolas, nulla ejus Civitas ſuperius enarratis calamitatibus impetita legatur; nihilotamenſecius, ſi qua aliquando eiſdem ſubjecta circumſtantiis, ac fuit illa Athenienſium, Variolis aggrederetur, haud abs re opinandum venit, quod, arreptis peremtiſque hoc diro Morbo legum Promotoribus, &, qui has exequi cogunt, Præſulibus, ingentique peracta mortalium clade, humana pariter ac divina ab improbis, quibus hominum Societas perpetuo abundat, ſuſque deque perturbarentur, atque profanarentur; uti apud *Americam* ab hoc ferali *Morbo* ſub primo ipſius ingreſſu perpetrata excidia [§. 153.] cuilibet ſuadere valent.

νδ'. Τοιούτῳ μὲν πάθει οἱ Ἀθηναῖοι περιπεσόντες ἐπιέζοντο, ἀνθρώπων τε ἔνδον θνησκόντων, καὶ γῆς ἔξω δῃουμένης. ἐν δὲ τῷ κακῷ, οἷα εἰκὸς, ἀνεμνήσθησαν καὶ τοῦδε τοῦ ἔπους, φάσκοντες οἱ πρεσβύτεροι πάλαι ᾄδεσθαι,

Ἥξει Δωριακὸς πόλεμος, καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ.

Ἐγένετο μὲν οὖν ἔρις τοῖς ἀνθρώποις μὴ λοιμὸν ὠνομάσθαι ἐν τῷ ἔπει ὑπὸ τῶν παλαιῶν, ἀλλὰ λιμόν. ἐνίκησε δὲ ἐπὶ τοῦ παρόντος εἰκότως, λοιμὸν εἰρῆσθαι. οἱ γὰρ ἄνθρωποι πρὸς ἃ ἔπασχον, τὴν μνήμην ἐποιοῦντο. ἢ δέ γε, οἶμαι, ποτὲ ἄλλος πόλεμος καταλάβῃ Δωρικὸς τοῦδε ὕστερος, καὶ ξυμβῇ γενέσθαι λιμὸν, κατὰ τὸ εἰκὸς οὕτως ᾄσονται. μνήμη δὲ ἐγένετο καὶ τοῦ Λακεδαιμονίων χρηστηρίου τοῖς εἰδόσιν, ὅτε ἐπερωτῶσιν αὐτοῖς τὸν θεὸν εἰ χρὴ πολεμεῖν, ἀνεῖλε κατὰ κράτος πολεμοῦσι νίκην ἔσεσθαι, καὶ αὐτὸς ἔφη ξυλλήψεσθαι. περὶ μὲν οὖν τοῦ χρηστηρίου, τὰ γιγνόμενα εἴκαζον ὅμοια εἶναι. ἐσβεβληκότων δὲ τῶν Πελοποννησίων, ἡ νό-

ἡ νόσος ἤρξατο εὐθύς· καὶ ἐς μὲν Πελοπόννησον οὐκ ἐσῆλθεν, ὅ,τι καὶ ἄξιον εἰπεῖν, ἐπενείματο δὲ Ἀθήνας μὲν μάλιστα, ἔπειτα δὲ καὶ τῶν ἄλλων χωρίων τὰ πολυανθρωπότατα. ταῦτα μὲν τὰ κατὰ τὴν νόσον γενόμενα.

§. 166.

54. „ *Athenienſes igitur in hujuſmodi* Morbum *inciderunt*, *eoque graviter premebantur*, *tum quod homines intra muros morerentur*, *tum etiam quod foris ager ab hoſtibus vaſtaretur*. *Dum autem hoc malo vexarentur*, *ut veriſimile eſt*, *hoc etiam carmen in memoriam revocarunt*, *quod ſeniores olim decantatum dicebant:*

Doriacum veniet *loimo* comitante duellum.

Inter homines autem altercatio erat non λοιμὸν *in iſto carmine ab antiquis nominatum*, *ſed* λιμόν. *Sed in præſentia illud merito evicit*, *peſtilentiam ſignificatam fuiſſe*. *Homines enim ad mala*, *quæ patiebantur*, *carminis mentionem accomodabant*. *Quod ſi unqnam aliud Doricum bellum poſt hoc eos invaſerit & λιμόν eſſe contigerit*, *veriſimiliter hoc modo canent*. *Oraculum etiam Lacedæmoniis redditum*, *ab illis*, *qui hoc noverant*, *memorabatur*, *quum ipſis oraculum conſulentibus*, *an bellum eſſet movendum*, *Deus reſpondit*, *ipſos fore victores*, *ſi bellum totis viribus gererent*, *ſeque ipſis opem daturum dixit*. *Quod igitur attinet ad oraculum*, *ea quæ tunc fiebant*, *cum ipſo convenire conjiciebant*. *Cum autem Peloponneſii in Atticam irrupiſſent*, *hic* Morbus *ſtatim graſſari cœpit*. *Nec ipſam Peloponneſum invaſit*, *nec ullo malo eam affecit*, *quod ſit relatu dignum*: *depaſtus vero eſt Athenas præcipue*, *deinde ex aliis locis ea*, *quæ maxima populi frequentia erant referta*. *Atque hæc quidem ſunt ea*, *quæ in* Morbo *evenerunt* “. *Thucyd*. 54. *pag*. 132. 133.

Analogia decimanona.

§. 167. *Athenienſes igitur &c.*] Potiorem Hiſtoricus reddit rationem, ob quam *Morbus* in Athenienſes atrocius ſævierit, Urbis nimirum ab hoſtibus circumvallationem. *Do-*

latu digna non ſint; vel, quod relatu dignum ſit & veluti mirum, *Morbum* Peloponneſum haud invaſiſſe. *Depaſtus vero eſt Athenas præcipue.*] Morbus *contactu*, *fomitibus*, & *aere* in circumſcriptum *diſtans* contagioſus, Athenienſes, accurrentibus ob hoſtium incurſionem ad Urbem agricolis, in tuguriolis templiſque coactos, æſtivoque calore ſuffocatos enormiter depaſtus eſt. Variolæ apud *Swietenium* [a] anno 1733: „*Majo menſe adhuc plures, ſed benignæ tamen: Junio menſe incipiebant confluentes reddi: longe putridioris indolis occurrebant menſe Julio, & adultos aggrediebantur longe frequentius quam ante; imo & ſenes menſe Auguſto. Menſe Septembris pejus confluebant, & longe erant periculoſiores. Octobri minuebatur numerus ad medietatem &c.*" *Deinde ex aliis locis ea, quæ maxima populi frequentia erant referta.*] Quiſquis ingenuus hanc *Thucydidis* obſervationem accurate perpenderit, vel uno intuitu perſpiciet, longiſſime a veritate diſtare *hypotheſim* illam, quæ *epidemicorum* Morborum contagioſa *miaſmata* aeri inhærere, perque ipſum ab uno in alium locum ſeſe propagare ſtatuit; quum nulla ſubſit ratio, cur volitantibus per aerem *miaſmatibus*, loca tam *maxima populi frequentia referta*, quam incolis rara, pari facilitate non corripiantur; perſpicua vero inſit ſententiæ illi, quæ contagii diſpergendi negotium infectis corporibus atque fomitibus, illius ſeminia per aerem ad breve *diſtans* ſpargentibus totum tribuit. „*Quum ergo*, inquit laudatus Swietenius (b) *tanta vi ſeſe multiplicandi hoc contagium polleat, plurimiſque corporibus adhærere poſſit, & quidem integra manente efficacia, patet, quare* in populoſis Urbibus raro diu ſileat *hic Morbus, ſed frequenter repullulet*: Et contra in locis campeſtribus, *undique aeri libero patentibus*, nec frequens commercium cum urbibus majoribus habentibus, *ſæpe* per plures annos *nullæ obſerventur Variolæ*". *Atque hæc quidem ſunt ea, quæ in* Morbo *evenerunt.*] Exactis Phœnomenis atque Symptomatibus,

(a) Ibid.
(b) Ibid. §. 1382. p. 24.

Digitized by Google

tibus, quæ in Athenienſes deſcriptus jam *Morbus* exſeruit, ſuæ jam narratæ primæ invaſionis finem allatis verbis poſuit Hiſtoricus.

Concluſio decimaquarta.

In tota igitur *Morbi* Athenienſium hiſtoria a *Thucydide* confecta, juxta abſolutam (a §. 74. ad 168.) Phœnomenon atque Symptomaton ejuſdem cum Variolarum phœnomenis atque ſymptomatibus comparationem, horum nullum invenitur, quod Variolas adamuſſim non referat: Multa vero ſunt, quæ a *bubonicæ* Peſtis natura longe recedunt.

§. 169. Reſtat vero ipſius *Morbi* in Athenas recurſio, inque alia loca tranſmigratio perpendenda, pro ut *Thucydides* inferius enarrat.

Peloponneſii, Morbi Athenienſis metu, poſthabito bello, ab Attica diſcedunt.

νζʹ. Οσον δὲ χρόνον οἵτε Πελοποννήσιοι ἦσαν ἐν τῇ γῇ τῶν Ἀθηναίων, ϗ οἱ Ἀθηναῖοι ἐστράτευον ἐπὶ τῶν νεῶν, ἡ νόσος ἔν τε τῇ στρατιᾷ τοὺς Ἀθηναίους ἔφθειρε ϗ ἐν τῇ πόλει. ὥστε καὶ ἐλέχθη, τοὺς Πελοποννησίους δείσαντας τὸ νόσημα, ὡς ἐπυνθάνοντο τῶν αὐτομόλων ὅτι ἐν τῇ πόλει εἴη, ϗ θάπτοντας ἅμα ᾐσθάνοντο, θᾶσσον ἐκ τῆς γῆς ἐξελθεῖν.

§. 170.

57. „ *Quamdiu autem Peloponneſii in Attica, & Athenienſes in navali expeditione erant, hic* Morbus *& militiæ & domi Athenienſes abſumpſit. Quamobrem etiam ajunt, Peloponneſios* Morbi *metu, cum ex transfugis eum in urbe graſſari intellexiſſent, ſimul etiam cum ſepelientes viderent, citius, quam ſtatuerant, inde diſceſſiſſe* ". *Thucyd. l. c.* 57. *pag.* 133.

Analogia vigeſima.

§. 171. *Morbi metu . . . citius, quam ſtatuerant, inde diſceſ-*

diſceſſiſſe .] Tanta fuit *Morbi* Athenienſes perdentis immanitas atque turpitudo , ut Peloponneſium , ad excidium uſque Atticam impetere cupientium , exardeſcentem bellicum furorem omnino extinguerit ; majoremque illis diſcedendi cauſam , quam hoſtium jam deficientium impetus præbuerit , cognita ejuſdem ſe per contagium propagandi facultate . Tauricos , Japones , Matres , vel tenerrima Sanguinis pignora Variolarum metu derelinquere §. 151. 152. jam retulimus. Quæ tanta Europæorum cum Peſte varioloſa lacrimabilis conſuetudo futura erit, ut tot exemplis excitata hoſtem tam immaniſſimum omni conatu e ſuis finibus expellere non ſataget!

νη΄. Τοῦ δ' *αὐτοῦ θέρους* , Αγνων *ὁ* Νικίου *καὶ* Κλεόπομπος *ὁ* Κλεινίου, *ξυστράτηγοι ὄντες* Περικλέους, *λαβόντες τὴν στρατιὰν ᾗπερ ἐκεῖνος ἐχρήσατο , ἐστράτευσαν (εὐθὺς) ἐπὶ* Χαλκιδέας *τοὺς ἐπὶ* Θρᾴκης, *καὶ* Ποτίδαιαν *ἔτι πολιορκουμένην. ἀφικόμενοι δὲ , μηχανάς τε τῇ* Ποτιδαίᾳ *προσέφερον, καὶ παντὶ τρόπῳ ἐπειρῶντο ἑλεῖν. προὐχώρει δὲ αὐτοῖς οὔτε ἡ αἵρεσις τῆς πόλεως , οὔτε τἆλλα τῆς παρασκευῆς ἀξίως . ἐπιγενομένη γὰρ ἡ νόσος , ἐνταῦθα δὴ πάνυ ἐπίεσε τοὺς* Αθηναίους , *φθείρουσα τὴν στρατιὰν , ὥστε καὶ τοὺς προτέρους στρατιώτας νοσῆσαι τῶν* Αθηναίων *ἀπὸ τῆς ξὺν* Αγνωνι *στρατιᾶς , ἐν τῷ πρὸ τοῦ χρόνῳ ὑγιαίνοντας .* Φορμίων *δὲ , καὶ οἱ ἑξακόσιοι καὶ χίλιοι οὐκέτι ἦσαν περὶ* Χαλκιδέας. *ὁ μὲν οὖν* Αγνων *ταῖς ναυσὶν ἀνεχώρησεν ἐς τὰς* Αθήνας , *ἀπὸ τετρακισχιλίων ὁπλιτῶν χιλίους καὶ πεντήκοντα τῇ νόσῳ ἀπολέσας , ἐν τεσσαράκοντα μάλιστα ἡμέραις . οἱ δὲ πρότεροι στρατιῶται κατὰ χώραν μένοντες ἐπολιόρκουν τὴν* Ποτίδαιαν .

§. 172.

58. „ *Eadem æſtate Agnon Niciæ , & Cleopompus Cliniæ Filius , Periclis in prætura collegæ , ſumtis copiis , quibus ille fuerat uſus Chalcidenſibus , qui ſunt in Thracia , & Potideæ adhuc obſeſſæ bellum ſtatim intulerunt . Cum autem veniſſent , machinas ei admoverunt , omnique ope expugnare conabantur . Sed neque urbis expugnatio , neque cætera pro apparatus magnitudine ipſis ſuccedebant . Nam* Morbus *iſte ſuperveniens , hic Athenienſes tam graviter afflixit , . . . abſumens exercitum , adeo ut & priores Athenienſium*

milites Morbum *contraxerint ex contagio copiarum, quæ cum Agnone venerant, quamvis antea recte valerent. Phormion vero, & mille ac ſexcenti milites, apud Chalcidenſes non amplius erant. Agnon igitur cum navibus Athenas rediit, ex quatuor millibus militum, mille & quinquaginta* Morbo *amiſſis intra dies circiter quadraginta. Priores vero milites in ſuo loco manentes Potidæam obſidebant*". *Thucyd.l.c.* 58.*pag.*134.

Analogia vigeſimaprima.

§. 173. *Chalcidenſibus, qui ſunt in Thracia &c.*] Agnonis milites Chalcidenſibus bellum inferentes *Morbus* oppreſſit. Ex hoc *Thucydidis* loco magnum erumpit lumen ad detegendum cujuſnam fuerint naturæ *Epidemici Morbi* ab Hippocrate *lib. I. Epid.* deſcripti, qui tribus annis *Thaſum* ſunt depopulati. *Thaſus* Inſula eſt prope *Thraciam*, in quam Agnonis milites *Morbi* Athenas vulgati contagium invexerunt, & quidem ſub primo ſuæ graſſationis initio (§.172.). Conf. §. 67. 70. *Morbus iſte ſuperveniens ... abſumens exercitum, adeo ut & priores Athenienſium milites Morbum contraxerint ex contagio copiarum, quæ cum Agnone venerant.*) Jam §. 158. Celeberrimi *Joannis Pringle* obſervationem retulimus, qua Auctor probatum habuit, nunquam ſe comperiſſe Variolas in caſtris populariter eſſe graſſatas: cujus Phœnomenis rationem ibidem nos adumbrare conati ſumus. Qui igitur Athenienſium *Morbum*, per hactenus abſolutam ipſius cum Variolis comparationem, varioloſum fuiſſe fatebitur, contraria illic allatæ ratione adhuc fateatur oportet, Varioloſam Peſtim, Athenienſibus prorſus incognitam, tum primum in Athenas ab *Aethiopia* invectam fuiſſe. *Quamvis antea recte valerent.*) Inoculatio firmiter docuit hominem accepto Variolarum ſeminio ad ſex, octo, quandoque ad plures dies, quouſque illud veluti incubatione extricetur, perbene ſe habere. Agnonis milites, ſuſcepto *Morbi* contagio, tanquam recte valentes Chalcidenſibus bellum laturi diſceſſerunt; at inita urbis obſidione continuo *Morbus exer-*

citum

citum abſumſit. Ex quatuor millibus militum, mille & quinquaginta Morbo amiſſis intra dies circiter quadraginta.] Ultra quartam igitur militum partem Morbi ſævities perdidit. „ *A die* 26. *Septembris*, inquit *Ill.* Tralles (*a*), *anni* 1746. *uſque ad* 24. *Martii* 1763. *in Noſocomio* [Londinenſi] *Variolis naturalibus, modo diſcretis, modo confluentibus, decubuerunt* 6456., *& artificiales paſſi ſunt* 3434. *Ex prioribus mortui ſunt* 1634. *Ex poſterioribus ſaltem* 10. *Qualis proportio! . . . Probatur (apud Sueciam) neceſſariam eamdem (inſitionem) fuiſſe, ob triſtes epidemias, quæ interdum* tertiam, *vel* quartam ægrorum partem *rapuerunt* ". Conf. §. 56. & 74.: Nec animadvertere prætereamus noſtris diebus maximum apud nos virorum numerum ſub tenera ætate, quam Variolæ mitius tractare ſueverunt, iiſdem fuiſſe perfunctum.

πζ'. Τοῦ δ' *ἐπιγιγνομένου χειμῶνος ἡ νόσος τοδεύτερον ἐπέπεσε τοῖς* Ἀθηναίοις, *ἐκλιποῦσα μὲν οὐδένα χρόνον τοπαράπασιν, ἐγένετο δέ τις ὅμως διακωχή. παρέμεινε δὲ τὸ μὲν ὕστερον, οὐκ ἔλασσον ἐνιαυτοῦ· τὸ δὲ πρότερον, καὶ δύο ἔτη. ὥστε* Ἀθηναίους *τε μὴ εἶναι ὅ, τι μᾶλλον τούτου ἐπίεσε, καὶ ἐκάκωσε τὴν δύναμιν. τετρακοσίων γὰρ ὁπλιτῶν καὶ τετρακισχιλίων οὐκ ἐλάσσους ἀπέθανον ἐκ τῶν τάξεων, καὶ τριακοσίων ἱππέων· τοῦ δὲ ἄλλου ὄχλου ἀνεξεύρετος ἀριθμός.*

§. 174.

87. „ *At hyeme ineunte* Morbus *Athenienſes iterum invaſit, qui nunquam quidem omnino ſedatus fuerat, ſed tamen quædam ejus quieſcentis intermiſſio facta fuerat: quum autem eos rurſus eſt aggreſſus, non minus anno integro apud eos immoratus; prius vero vel per biennium eſt graſſatus. Adeo ut nihil fuerit, quod Athenienſes magis, quam* Morbus *iſte preſſerit, eorumque vires afflixerit. Nam ex legionariis militibus obierunt non pauciores quam quatuor millia & quadrigenti, & trecenti equites: nam cæteræ turbæ numerus iniri non poteſt* ". *Thucyd. hiſtor. III.* 87. *pag.* 221.

 Ana-

(*a*) Vexatiſſ. noſtr. ætat. &c. apud de Haen tom. III. Opuſc. Med. Phyſ. quæſt. VI. p. 103.

Analogia vigeſimaſecunda.

§. 175. *At hyeme ineunte &c.*) Hæc hyems tertia fuit ab illa æſtate, ſub qua *Morbus* Athenienſes primum inceſſit, uti ex ipſo *Thucydide* 69. *pag.* 142. *&* 95. *pag.* 161. *hiſtor. II.* clare patet. *Nunquam quidem omnino ſedatus ... non minus anno integro apud eos immoratus; prius vero vel per biennium eſt graſſatus.*) Humani generis vaſtatrix illa Peſtis *bubonica*, quæ anno æræ chriſtianæ 543. incipiens, per quinquaginta duos annos ab una in aliam regionem tranſvecta fere totum terrarum orbem peragravit, *Conſtantinopoli* [ſunt verba Cl. *Howeli* apud *Freindium* (a)] *per quatuor menſes in totum, perque horum tres maximo cum furore deſæviit. Bubonica* Peſtis *Florentina* anni 1348. quæ ſupra centum hominum millia ea in urbe trucidavit, menſe Martio incæpit, & proximo Julio [b] debacchari deſiit. *Bubonica Lauſannenſis* anni 1614., narrante *Hildano* [c], *ante menſes quatuor ab initio ceſſare cæpit. Viennenſis vulgaris* Peſtis anni 1679. *poſt trium menſium furorem* [d] *minuebatur. Varſavienſis* [*bubonica*] *incæpit menſe Majo, in fine menſis Junii* [e] *fere ſilebat. Odzacovienſis* [vulgaris] *menſe Aprili incæpit, ſæviit uſque ad* 12. *Junii, decrevit multum poſtea, & menſe Septembri* [f] *penitus ceſſavit: Menſe Februario ſequentis anni* (1739.) *rediit, menſe Julio ejuſdem anni integre deſiit.* Ex eodem Swietenio [g] *Conſtantinopoli hyemali tempore Peſtis* [bubonica] *ſilere ſolet.* De Peſte vulgari *Maſſilienſi* anni 1718. Cl. *Carolus Richa* [h] ſic fatur: „ *Cæterum ab æſtivo ſolſtitio ad autumnale æquinoctium uſque, pluſquam quinquaginta hominum mil-*

(a) Hiſt. Med. p. 41.
(b) Boccacio Decam. Giorn. I. p. 7.
(c) Apud Manget. tom. IV. B. M. P. p. 61.
(d) Swiet. tom. IX. in Boerhaav. §. 1407. p. 131.
(e) Id. ibid. §. 1408. p. 137.
(f) Id. ibid. p. 138.
(g) Ibid. §. 1381. p. 6.
(h) Apud Sydenham. tom. II. Conſtitut. Epid. Taurinenſ. ann. 1720. §. LXXI. p. 54.

millia cujuſcunque ſexus ac ætatis una in Maſſiliæ *urbe*, *ejuſque agro interiere* ". Peſtis *bubonica Auſtriæ* & *Hungariæ* anni 1713. menſe Majo incæpta, Decembri menſe ejuſdem anni [*a*] omnino ceſſabat. Quæ *vulgaris* Peſtis anno 1743. noſtram inclitam vaſtavit Meſſanam, menſe Majo diſſeminari cœpit, & haud exacto proximo Julio ſævitiem ſuam [*b*] expleverat: cuſtodiæ vero ſepimentaque, nedum ipſius urbis, verum etiam cunctorum oppidorum eidem addictorum, per totum fere annum 1746., ad totius Inſulæ ditiſſimi tunc temporis commercii uſque everſionem, ignavo metui, vel dolo tribuendam, ſunt protracta. Paucis: „ *Smyrnæ*, inquit *Ill.* Meadius (*c*) *quotannis eo afferri ſolita* (*Peſtis* bubonica) *a navibus*, conſtanter etiam ſolet ceſſare circa 24. Junii, *quo tempore ſiccus aer*, *ſerenumque cœlum eſt* ". Iteratæ, ni dicamus perpetuæ, hæ obſervationes illius videntur eſſe naturæ, ut demonſtrent *bubonicam* Peſtim nunquam, aut ſaltem perraro ad totum annum uſque aliqua in Civitate graſſari. Nunc vero inſpiciamus oportet Varioloſæ Peſtis graſſationum curricula. Apud Ill. *Huxhamium* [*d*] *Plymuthi* ab Aprili menſe anni 1729. ad Auguſtum 1730. Variolæ perpetuo populariter graſſatæ ſunt: A menſe Auguſto [*e*] 1738. ad Auguſtum 1743. Varioloſa Peſtis nunquam interquieſcens epidemice ſævit: Ab Auguſto 1745. [*f*] ad Aprilem 1747. Variolæ epidemicæ ſunt debbacchatæ: A menſe Octobri 1747. (*g*) per totum Decembrim 1748., qui digniſſimi Viri obſervationibus improbo labore confectis finem impoſuit, Variolæ ut plurimum populariter longe lateque diſcurrerunt. Hæc *Plymuthi*, inque ejus viciniis. Ill. *Werlhoffius* apud *Tral-*

(*a*) *Genſelius* apud Sydenham. tom. I. Conſtitut. Epidem· inferior· Hungar ann. 1713. p. 512. 513.
(*b*) La Storia dell' anno 1743. lib. III. p. 248.
(*c*) Op. Med. Differt. de Peſt. Part. I. cap. II. p. 177.
(*d*) Tom I. de Aer. & Morb. Epid. a p. 31. ad 48.
(*e*) Ibid. tom. II. a p. 11 ad 111.
(*f*) Ibid. a p. 138. ad 171.
(*g*) Ibid. a p. 178. ad 195.

Digitized by Google

Tralles (*a*) hæc loquitur: „ *In noſtris regionibus* [ſatis frigidis] *Variolæ nunquam amplius generatim ceſſant*, *ut non alicubi modo in hoc loco*, *modo in alio* [quam ſucceſſivam propagationem a primo in Europam earumdem ingreſſu ad noſtros uſque dies continuo ſervarunt] *præſertim in magnis Civitatibus perpetuo hæreant*, *& favente ſtatu epidemio*, *& ſingulorum corporum diatheſi* [quæ §. 91. & 94. allatæ ſunt obſervationes aeris ſtatum epidemium, & ſingulorum corporum diatheſin evertunt] *accreſcent*, *& denuo ſingulis in locis* puſionum nondum affectorum numero alibi rurſum per commereia diſpergantur ". Ab hiſce ne latum unguem diſtant quæ ſcripſit *Swietenius* [*b*]. „ *Inter epidemicos*, inquit, *Morbos recenſendas eſſe Variolas & Sydenhami obſervata*, *& omnes practici teſtantur*. *Quandoque enim per aliquot* annos ſucceſſivos *dominentur*, *& poſtea denuo diſparent* . . . . *In majoribus urbibus obſervarunt celebres practici*, *quod quidem ſubinde per aliquot annos non graſſentur Variolæ* epidemicorum *more*; *ſed tamen hinc inde* unus plerumque *vel* alter *hoc Morbo laboret*, vix propagato ad alios homines contagio; *tunc autem Morbus* ſporadicus *ſolet vocari*. *Verum*, *quum ad majores urbes*, *& imprimis ad celebria emporia* ingens advenarum numerus *confluat*, *poteſt* advectum ex aliis locis contagium *in paucis hunc Morbum excitare*, *licet non ſemper propagetur ita*, *ut* epidemici nomen *mereatur* ".

Concluſio decimaquinta.

Athenienſium igitur *Morbus* prius *per biennium*, dein *integro anno* populariter graſſatus, magis Variolas, quam Peſtim *bubonicam* expreſſit.

§. 176. *Nam ex legionariis militibus obierunt non pauciores quam quatuor millia & quadrigenti*, *& trecenti equites:*

(*a*) Vexatiſſ. noſtr. ætat. &c. apud de *Ham* tom. III. Opuſc. Med. Phyſ. Quæſt. VIII. p. 139 140.
(*b*) Tom. IX. in Boerhaav. §. 1380. p. 3. 4.

Digitized by Google

tes : nam cæteræ turbæ numerus iniri non poteſt.] Utut maxima *Europæorum* pars, Variolis perfuncta, quum hic *Morbus* recurrit, immunis ab eo manens, ejuſdem mortiferam ad interneciouem uſque indolem prætexat; attamen non deſunt apud nos patratæ a Variolis miſerandæ cladis exempla, quæ *Morbi* Athenienſium excidia vel æquant, vel ſuperant. Si id evincere non valeant, quæ §. 74. & 173. ſunt relata, perpendantur ſequentia: „ *Probatur*, inquit laudatus Tralles [*a*], *ejus* (*inſitionis nimirum*) *neceſſitas porro ex necrologiis, quæ minimum* 9000. *homines in* Suecia *quotannis Variolis mori oſtendunt* “. Ill. *Tyſſotius* [*b*] pro *Batavis* ſimile quid refert, & adhuc (*c*) narrat, in *America ſeptemtrionali* anno 1752. *Boſtoni* ita mortiferas ſæviiſſe Variolas, ut 1843. ejuſdem civitatis incolæ fugam arripuerint, quo illarum ineluctabile declinarent fatum. Illuſtris *de la Condamine* (*d*) his majora enumerat a Variolis excidia in *America*, & *Promontorio Bonæ ſpei* confecta. Inſtar omnium vero ſit Cl. *Liſterus* ita (*e*) loquutus: „ *Integræ nationes, ut dictum eſt, apud* Indos a noſtris hominibus variolatis ſimul infectæ ſunt, *& periere fere ad* interneeionem, *propter ignorantiam curationis* (*Conf.* §. 145.), *quod a fide dignis teſtibus* Marilandiæ *incolis habui* “.

Parallelum trigeſimumſextum.

Variolæ itaque adhuc cladibus ſuis cum Athenienſium a Thucydide deſcripto *Morbo* apprime conveniunt.

Con-

(*a*) Vexatiſſ. noſtr. ætat. &c. apud de Haen Opuſc. Medic. Phyſ. Quæſt. VI. p. 107.
(*b*) Inocul. Giuſtif. p. 110. traduz.
(*c*) Ibid. p. 76.
(*d*) Memor. I. ſull' Inneſt. pag. 27. 29. 100. & 101. Memor. II. pag. 49. traduz.
(*e*) Apud Manget. tom. IV. B. M. P. p. 676.

Digitized by Google

Concluſio decimaſexta.

Si hactenus perfecta Athenienſium *Morbi* cum Variolis comparatio firmo ſtet talo, ut ingenuorum rerum Æſtimatorum ſententia, ut nobis videtur, ſtare debet; procul omni dubio demonſtratum manet, Variolas nec hominibus eſſe *connatas*; quum ad *Thucydidis* uſque tempora omnino ignotæ (§.75.) fuerint; neque ab occulta aeris Europæi diatheſi, vel ejuſdem terræ miaſmatibus noviter genitis promanare, utpote quod ſub aeris ſaluberrimo ſtatu [§.91.] contigerint; ſed ab uno *Aethiopico* [§.82.] contagioſo ſeminio, in noſtras regiones fuiſſe aſportatas, inque eaſdem cum *Saracenis* [§.ibid.] regreſſas perpetua ſui generatione [§.168.174.] ad noſtros uſque dies longe lateque hominum commercio fuiſſe propagatas.

Sacri Hippocratis Ignes, & Athenienſium Morbus, a Thucydide narratus, unam eamdemque conſtituerunt Peſtim, & quidem Varioloſam.

§. 177. Abſoluta haud adverſo, uti autumamus, marte *Athenienſium Morbi* a *Thucydide* deſcripti cum noſtris Variolis *Analogia*, reſtat, ut ipſius *Morbi* in eoſdem *Athenienſes* veluti regreſſum ſimul & deflagrationem ab optimo Medicinæ Parente *Hippocrate* repetamus, & quidem ex *Epidem. lib. III. Sect. III.* Etſi enim certo non conſtet, quos in hac Sectione Hippocrates deſcripſit *epidemicos* Morbos *Athenis* contigiſſe, quum vel ipſe *Galenus* in hujus commentario ſcribat (*a*): „ *Status nomen in omnibus fere exemplaribus habetur, non tamen quo hæc loco acciderint ſignificatur* “; attamen, quum Cl. *Athanaſius Kircherus* (*b*) ſequentia ſit loquutus: „ *Græciam a Peſte Hippocratis ope liberatam extirpatamque omnia Hiſtoricorum monumenta teſtantur* “;

(*a*) Cl. Ill. in lib. III. Hippocr. de Morb. vulg. Comm. III. Sect. III. p. 140 G.
(*b*) Apud Manget. tom. IV. B. M. P. p. 45.

tur"; & *Nardius* (c) aſſeruerit: „ *Nefas eſt dubitare an Peſtis Athenienſis, quam deſcripſit Thucydides, æmulaturque modo feliciſſime Lucretius, eadem ſit cum illa, quam profligavit Hippocrates . . . Una namque eademque prorſus extitit, perque* triennium interpolato curſu, *Peloponneſiaco furente bello invaluit* "; haud a veritate alienum eſt conjectari, *Hippocratem*, poſtquam *Thaſiis*, *Cranonibus*, *Perinthis* aliiſque *Græciæ* Civitatibus, eadem Peſte [§. 70. 71. 172.] mulctatis, opem tuliſſet, poſtremo anno ſub altero ipſius impetu *Athenienſibus* præſto fuiſſe auxilia præbiturum. Si hæc talia non fuerint, ut a quovis probentur, ipſius Peſtis chronologia [§. 67.], nec minus ab *Hippocrate* ſculpta deſcriptio rem facile evincent, quum quæ *Hippocrates* enarrat luis phœnomena, ſepoſita minori violentia, ne hilum diſcriminantur ab illis, quæ *Thucydides* appinxit. *Sacrorum Ignium* igitur *Hippocratis* Hiſtoria ex Codice Græco-Latino Joan-Antonidæ Vander Linden, Vol.I. *Popul.III. Sect.III.* p.721. ſeqq. Edit. Lugduni Batavorum apud Danielem, Abrahamum & Adrianum a Gaasbeeck 1665. ſic ſe habet:

ΤΜΗΜΑ ΤΡΙΤΟΝ.

Κατάστασις λοιμώδης. Ἔτος νότιον, ἔπομβρον, ἄπνοια διὰ τέλεος. αὐχμῶν δὲ γενομένων, τοὺς ὑπόπροσθεν χρόνους ἐπ᾽ ἐνιαυτόν. ἐν νοτίοισι περὶ ἀρκτοῦρον ὕδατα πολλά. Φθινόπωρον σκιῶδες, ἐπινέφελον, ὑδάτων πλήθεα. χειμὼν νότιος, ὑγρὸς, μαλακὸς. μετὰ δὲ ἡλίου τροπὰς ὕστερον πολλῷ, πλησίον ἰσημερίης, ὀπισθοχειμῶνες. καὶ ἤδη περὶ ἰσημερίην βόρεια, χινώδεα, οὐ πουλὺν χρόνον. ἦρ πάλιν νότιον, ἄπνοον, ὕδατα πολλὰ διὰ τέλεος μέχρι κυνός. θέρος αἴθριον, θερμὸν, πνίγεα μεγάλα, ἐτήσιά γε σμικρὰ δεσπασμένως ἔπνευσαν. πάλιν δὲ περὶ ἀρκτοῦρον ἐν βορείοισιν ὕδατα πολλά. γενομένου δὲ τοῦ ἔτεος νοτίου καὶ ὑγροῦ καὶ μαλθακοῦ, κατὰ μὲν τὸν χειμῶνα διῆγον ὑγιηρῶς, πλὴν τῶν φθινωδέων, περὶ ὧν γεγράψεται.

(c) In Tit. Lucret. de Rer. Natur. lib. VI. Animadverſ. XLII. p. 583.

§. 178.

SECTIO TERTIA.

Conſtitutio temporis peſtilens.

„ *Annus auſtrinus, pluvius. Venti perpetuo quieſcentes. Quum ſquallores fuiſſent ſuperioribus temporibus ad annum, in auſtrinis circa arcturum aquæ multæ. Autumnus umbroſus, nubilus: aquarum copia. Hyems auſtrina, humida, mollis. Poſt ſolſtitium longe poſtea, prope æquinoctium feræ hyemes. Et jam circa æquinoctium aquilonares venti nivoſi non multo tempore. Ver rurſus auſtrinum, ſine ventis. Aquæ multæ perpetuo uſque ad canem. Æſtas ſerena, calida: æſtus magni. Eteſiæ parum diſperſum ſpirarunt. Rurſus circa arcturum in aquilonaribus aquæ multæ. Quum autem eſſet annus auſtrinus, humidus, & mollis, per hyemem quidem ſani degebant, exceptis tabidis, de quibus ſcribetur* ". *Hippocrat. ex verſione Jo. Ant. Vanderlind. Tom. I. Popular. III. Sect. III. pag. 721. citatæ ſuperius Editionis.*

§. 179. Conſtitutio temporis peſtilens.] *Galenus* hanc inſcriptionem non recenſet, apponens ſimpliciter *Status*, de quo præmiſſa veluti diſceptatione (*a*) ſuſpicatur, *non eſſe Hippocratis inſcriptionem, ſed forte illorum, qui ægrorum hiſtoriis ad finem notas adſcripſerunt.* Utinam Hippocratis monumenta ad nos incorrupta perveniſſent! De hac itaque textus particula nil certi definiri poteſt.

Temporis, tempeſtatiſque Conſtitutio ex Hippocratis mente Epidemicos Morbos diverſimode temperat ac moderatur; minime vero producere efficereque valet.

§. 180. *Annus auſtrinus pluvius &c.*] Magnus hic Medicinæ Parens probe noverat aerem morborum omnium eſſe moderatorem ſimul atque rectorem; quinimo & multorum aucto-

(*a*) Cl. III. in lib. III. Hipp. de Morb. vulg. Comm. III. p. 140. G.

auctorem. „ *Qui ſane*, (aer), inquit (*a*), *maximus eſt in omnibus*, *quæ corpori accidunt*, *& Autor & Dominus* “. *Auctor* quidem, quum quidpiam præter naturam in corpore efficiat, & morbos advocet; quo ſpectat aphoriſmus (*b*): „ *Mutationes temporum maxime pariunt morbos*; *& in temporibus magnæ mutationes frigoris*, *aut caloris*, *& reliqua juxta rationem hoc modo* “. *Dominus* vero, quum morbos ab aliis cauſis productos ſuis ſenſibilibus qualitatibus moderetur, temperet, exacuat, inque eoſdem dominetur, quo pertinent aphoriſmi (*c*): *Morborum alii ad alia* tempora *bene aut male ſe habent*. -- „ *Quum æſtas ſit veri ſimilis ſudores in febribus multos expectare oportet* “. -- *In conſtantibus temporibus*, *ſi tempeſtive tempeſtiva redduntur*, *morbi conſtantes & judicatu facillimi fiunt*. *In inconſtantibus autem*, *inconſtantes & qui difficulter judicantur*. „ *Ex anni vero conſtitutionibus*, *in ſumma ſiccitates pluvioſis ſalubriores ſunt & minus lethales* “. Hæc quidem generatim & maxime pro *Sporadicis* morbis. Pro *Endemicis* (*d*) ſcripſit: *Et ſi quidem æſtas ſicca fuerit*, *citius ſedantur Morbi*: *ſi vero pluvioſa*, *diuturni fiunt*. Pro *Epidemicis* vero, Artis Filiis hæc monuit (*e*): „ *Quin & impetus ſemper populariter graſſantium cito animadvertere oportet*, *& temporis conſtitutionem non ignorare*. *Probe tamen id noſſe expedit de conjecturis certis*, *& aliis ſignis*, *& non ignorare*, *quod in omni anno & omni tempore*, *mala malum*, *bona bonum ſignificant* “. Quiſnam hic non fatebitur *Hippocratem Epidemicorum* morborum *impetum*, irruptionem, nimirum, aggreſſionemve, ab anni temporum conditione rem longe diſtantem pronuntiaſſe? Quid? Quum vel idem ipſe Morborum *Epidemicorum*, in hac ipſa Sectione deſcriptorum, aerem fuiſſe *moderatorem* ſive *dominum*, non autem *efficientem cauſam* declaraverit iis, quæ *Sacrorum Ignium*

 reli-

(*a*) Lib. de Flatib. num. IV. p. 401. cit. edit.
(*b*) Sect. III. Aph. I. p. 77. ibid
(*c*) Ibid. Aph. III. VI. VIII. & XV. p. 77. 78. 79. cit. edit.
(*d*) Lib. de Aer. Aqu. & loc. n. III. p. 330. cit. edit.
(*e*) Lib. Pænot. n. XXVII. p. 470. 471. cit. edit.

Digitized by Google

reliquorumque epidemice graſſatorum Morborum enarrationi adjecit perpendenda (*a*): „ *Erat autem omnibus præſcriptis graviſſimum quidem ver, & multos occidit. Æſtas autem facillima, & pauciſſimi perierunt. Autumno vero & ſub pleiada rurſus multi moriebantur quartanarii.* -- *Videtur porro mihi æſtas illa quæ tunc fuit, juxta rationem commoditatem attuliſſe. Nam æſtivos morbos hyems ſuccedens ſolvit: & hyemales æſtas ſuccedens tranſmutat. Quanquam ipſa in ſeipſa quæ tunc erat æſtas, non ſtabilis erat: ſed derepente calida, & auſtrina & ſine ventis. Attamen ad aliam tempeſtatem tranſmutata profuit* ". Si Hippocrates horum *Epidemicorum* Morborum *efficientem cauſam* huic *anno auſtrino, pluvio, a ventis in totum ſilenti* tribuiſſet; ejuſdem *æſtatem calidam, auſtrinam, & a ventis ſilentem* haud certe ægrotis profuiſſe, ſed magis obfuiſſe ſcripſiſſet; ut in tradenda *Epidemicorum Pathologia*, una experientia comprobanda, ſibi perpetuo conſtaret. Qui *epidemicos* morbos ab Aeris vitiis promanare contendunt, nobis fortaſſe objicient: *Cur igitur Hippocrates hiſce epidemicis morbis anni temporis conſtitutionem præmiſit? Cur libro de aere, aquis & locis num. I. ſcripſit*: „ *Quicunque artem Medicam integre aſſequi velit*, primum quidem temporum anni rationem habere debet, *quantum potentia quodlibet eorum valeat: non autem ſimile quicquam in illis exiſtit, verum differunt invicem propter* varias, que in eis fiunt, mutationes "? Profecto, quia graviſſimus Senex experientia compererat magnam anni temporibus, horumque variis mutationibus inhærere poteſtatem *inſenſibilem* tam ſanorum quam ægrotantium corporum *perſpirationem* lædendi, juvandi, ac diverſimode temperandi; quemadmodum noverat huic *inſenſibili* perſpirationi ſummam ineſſe rationem, ſummumque robur ad morbos in bonam malamve indolem permutandos, adque facilem difficilemve efficiendam eorundem curationem; unde aphoriſtice ſequentia (*b*) ſancivit: „ *Raritas corporis ad per-*

(*a*) Popular. III. Sect. III. p. 778. 779. cit. edit.
(*b*) Lib. de Aliment. n. VI. p. 596. cit. edit.

Digitized by Google

perſpirationem, *quibus amplius* aufertur, *ſaniores ſunt*. *Denſitas corporis* ad *perſpirationem*, *quibus minus* aufertur, *morbidiores*. Qui *probe* perſpirant, *debiliores & ſaniores ſunt*, & *a morbis facile reconvaleſcunt*. *Qui male* perſpirant, *priuſquam ægrotent*, *fortiores ſunt*. *Ubi autem ægrotarunt*, *difficilius a morbis reconvaleſcunt*. *Hæc autem & toti & parti* ". Aeri præ reliquis *rebus nonnaturalibus* longe majorem ineſſe vim corporum perſpirationem diverſimode afficiendi, inviĉtiſſimo triginta annorum *ſtatico* labore demonſtravit Celeberrimus *Sanctorius (a)*; illiuſque poteſtatem in judicandis Morbis præ reliquis aſſequuti ſunt *Pitcarnius*, *Hoffmannus*, *Gorter* aliique. Quorſum vero hæc? Ut e foro medico exulare cogatur exitioſiſſima opinio illa a *Galeno* primum *(b)* poſteritati conſignata, quod, nimirum, *Hippocrates* efficientem *epidemicorum* morborum cauſam a ſenſibilibus anni temporum tempeſtatumque conditionibus repetierit, utpote quia cuicunque illorum graſſationi conſtitutionis temporum deſcriptionem præmiſerit. Num *Hippocraticæ* in expiſcandis morborum cauſis ſollertiæ congrueret, cauſas contrarias, interque ſeſe ex diametro oppoſitas, uni producendo morborum generi aptas opinari, ſimpliciſſimis ac univocis naturæ legibus adverſantibus, quibus ubique locorum in æternis ſuis monumentis adſtipulatus eſt? Ne erroris culpa nobis inuratur, utiminor verbis celeberrimi *Proſperi Alpini*, ſagaciſſimi *Hippocraticæ* doctrinæ Interpretis: „ *Hippocrates*, inquit *(c)*, *in libris Epidemiorum quatuor annorum conſtitutiones deſcripſit*; *quarum prima fuit auſtrina humida*; *ſecunda*, & *tertia borealis*, atque *quarta*, *lib. 3. Epid. Sect. 3. deſcripta*, *calida* & *humida*; *quæ perniciofos* ac *peſtilentes morbos mortalibus intulerunt* ". An borealis conſtitutio auſtrinæ non apprime contraria? Equidem ex ipſo *Hippocrate*: „ *Quotidianæ (d) vero conſtitutiones*, aquilonares *quidem corpora compingunt*, *& robuſta & ad motum*

(a) Aphor. de Static. Medic. Sect. III. pag. 22. ſeq.
(b) Cl. III. in lib. I. Hipp. de Morb. vulg. Præfat. p. 100. H.
(c) Lib. I de Præſag. Vit. &. Mort. cap XI. p. 29.
(d) Sect. III. Aphor. XVII. p. 79. cit. edit.

tum idonea, & bene colorata & melius audientia faciunt, & ventres ſiccant, & oculos mordent, & ſi circa thoracem aliquis dolor prius eſt, magis affligunt. Auſtrales autem corpora diſſolvunt, & humectant, & gravem auditum, ac capitis gravitatem, & vertigines in oculis, & corporibus ægrum motum, & ventres humectant". Scilicet *Aquiloniæ* & *Auſtrinæ* Conſtitutiones, longe inter ſeſe diſpares quæ producunt effectus, morbos tamen *epidemicos* ejuſdem indolis ac naturæ, & ſolummodo *ſymptomatibus*, pro diverſa ætatis, ſexus, temperamenti, regionis, temporis, tempeſtatiſque conditione diverſimode ægrotos afficientibus, diſcrepantes æque efficere poterunt! Longe alienam hac ſuper re *Hippocratis* mentem fuiſſe, quæ §. 20. appoſita ſunt, clare demonſtrant. Qui vero perfracte contrariam voluerit tueri ſententiam, rerum magiſtram adeat experientiam, & poſtquam cum ingenuis *Sydenhamo* atque *Swietenio* (§. 42.) pro invenienda in ſenſibilibus aeris qualitatibus *epidemicorum* morborum cauſa, operam ac laborem ſe perdidiſſe comperiet, adhæreat neceſſe eſt Ill. *Ramazzino* temporum tempeſtatumque conſtitutionibus in *epidemicorum pathologia* jampridem addictiſſimo, dein experientia edocto ſequentia (*a*) ediſſerenti: „ *Quum ex ſuperius memoratis pateat quam* diſſimilis *&* diſcolor *fuerit harum* trium conſtitutionum (annorum 1692. 1693. & 1694.) facies; *& alia ex parte quum* eadem prorſus epidemia per totum hoc tempus *plus minus* graſſata fuerit; *ſatis liquere poteſt* quam parum firmo talo ſtet illorum opinio, *qui ex manifeſtis Aeris qualitatibus, caloris, ſcilicet, frigoris &c. putant, ſatis explicari poſſe* epidemicorum *affectuum* geneſim *ac indolem: ut etiam ex prægreſſis conſtitutionibus prænunciari poſſint ægritudines, quæ* populariter *vagari debeant . . . . Abundet quiſquis in ſuo ſenſu ut lubet, & ex anni temporum in manifeſtis qualitatum exorbitantiis, tanquam ex fonte morboſas conſtitutiones derivet. Ego ſane* ex quo *ad* epidemicorum *affectuum naturam*

(*a*) Apud Sidenh. tom. I. Diſſert. III. de Coſtit. ann. 1692. 1693. 1694. §. IX. & XII. p. 154. 155.

Digitized by Google

ram contemplandam animum adverti, *his*, *quæ tam confidenter & magnifice proferuntur*, experientiam reſpondere non video; *& quod me angit in hac Provincia* quotannis hoſpitem me agnoſco. *Licet enim videam quo paſſim itur*, non ſatis tamen video qua ſit eundum, niſi poſtquam a via longe aberraverim ".

§. 181. *Annus auſtrinus pluvius. Venti perpetuo quieſcentes &c.*] *Hippocrates* itaque [§. 178.] hac prævia anni temporum deſcriptione artis peritos præmonitos voluit, ad peculiarem Morbi *epidemici*, cujus hiſtoriam traditurus eſt, malignitatem, morboſam adhuc aeris conditionem, qualis *auſtrina* ſemper fuit, in ægrotorum perniciem acceſſiſſe, quæ *epidemicum* morbum fovendo, juvandoque magis infeſtum reddiderit. Hæc tandem fuit *Sydenhami* ſententia, poſtquam incaſſum in ſenſibilibus aeris qualitatibus *epidemicorum* cauſam expiſcari conatus eſt: ſubdit enim (*a*): „ *Fatendum tamen eſt prædictas Aeris qualitates* corpora noſtra *ad hujus illiuſve morbi* epidemici *generationem* [rectius contagium recipiendum fovendumque] magis minuſve diſponere, *quod & de quocunque errore circa ſex res nonnaturales dictum volo* ".

§. 182. *Per hyemem quidem ſani degebant, exceptis tabidis, de quibus ſcribetur.*] Dubitari poterit, an hæc hyems eadem fuerit, ac ea de qua *Thucydides* §. 174. ſcripſit. „ *At hyeme ineunte Morbus Athenienſes iterum invaſit* ", quum *Hippocrates* dicat, *per hyemem ſalubriter egerunt*. At & ſequentia ejuſdem *Hippocratis* verba „ *ante ver autem ſimul cum* orientibus *frigoribus ſacri ignes multi &c.* " & quæ §. 177. fuerunt adnotata, ſatis firmam exhibent conjecturam, ut unam eamdemque fuiſſe credamus; maxime ubi demonſtratum fuerit, *Morbum* a *Thucydide* deſcriptum, perque triennium (§. 174.) *Athenis* graſſatum, & *Sacros Ignes*, quos *Hippocrates* deſcripturus eſt, unam eamdemque conſtituiſſe Varioloſam Peſtim. *Exceptis*

(*a*) Tom. I. Sect. I. cap. II. p. 3.

ptis tabidis.) *Hippocrates* (*a*) *autumnum*, haud vero hyemem, *tabidis malum* pronunciavit. Hic vero qui a vulgata per biennium (§. 174.) Varioloſa Peſte *tabidi* facti ſunt, ſuperveniente hyeme interierunt. De tabe a Variolis uberius infra.

Πρωῒ δὲ τοῦ ἦρος ἅμα τοῖσι γενομένοισι ψύχεσιν ἐρυσιπέλατα πολλά· τοῖσι καὶ μετὰ προφάσιος, τοῖσι δ' οὔ· κακοήθεα πολλοὺς ἔκτεινεν. πολλοὶ φάρυγγας ἐπόνησαν, φωναὶ κακούμεναι, καῦσοι φρενιτικοὶ, στόματα ἀφθώδεα, αἰδοίοις φύματα ὀφθαλμίαι, ἄνθρακες, κοιλίαι ταραχώδεες, ἀπόσιτοι, διψώδεες οἱ μὲν, οἱ δ' οὔ. οὖρα ταραχώδεα, πολλὰ, κακά. κωματώδεες ἐπὶ πουλὺ, καὶ πάλιν ἄγρυπνοι. ἀκρισίαι πολλαὶ, δύσκριτα. ὕδρωπες, φθινώδεες πολλοί. τὰ μὲν ἐπιδημήσαντα νουσήματα ταῦτα. ἑκάστου δὲ τῶν ὑπογεγραμμένων εἰδῶν ἦσαν οἱ κάμνοντες, καὶ ἔθνησκον πολλοί. ξυνέπιπτε δὲ ἐφ' ἑκάστοισι τουτέων ὧδε. πολλοῖσι μὲν τὸ ἐρυσίπελας μετὰ προφάσιος ἐπὶ τοῖσι τυχοῦσι καὶ πάνυ ἐπὶ σμικροῖσι τρωματίοισιν ἐφ' ὅλω τῷ σώματι· μάλιστα δὲ τοῖσι περὶ ἑξήκοντα ἔτεα περὶ κεφαλὴν, εἰ καὶ σμικρὸν ἀμεληθείη. πολλοῖσι δὲ καὶ ἐν θεραπείῃ ἐοῦσι μεγάλαι φλεγμοναὶ ἐγίνοντο. καὶ τὸ ἐρυσίπελας πουλὺ ταχὺ πάντοθεν ἐπενέμετο. τοῖσι μὲν οὖν πλείστοισιν αὐτῶν ἀποστάσιες ἐς ἐμπυήματα ξυνέπιπτον, σαρκῶν (τε) καὶ νεύρων καὶ ὀστέων ἐκπτώσιες μεγάλαι. ἦν δὲ καὶ τὸ ῥεῦμα τὸ ξυνιστάμενον οὐ πύῳ ἴκελον, ἀλλὰ σηπεδών τις ἄλλη, καὶ ῥεῦμα πουλὺ καὶ ποικίλον. οἷσι μὲν οὖν περὶ κεφαλὴν τουτέων τι ξυμπίπτει γίνεσθαι, μαδισιές τε ὅλης τῆς κεφαλῆς ἐγίνοντο, καὶ τοῦ γενείου καὶ ὀστέων ψιλώματα καὶ ἐκπτώσιες, καὶ πολλὰ ῥεύματα. ἐν πυρετοῖσί τε ταῦτα, καὶ ἄνευ πυρετῶν. ἦν δὲ ταῦται φοβερώτερα ἢ κακίω. οἷσι γὰρ ἐς ἐμπύημα ὁ τῶν τοιούτων ἀφίκοιτο πεπασμὸς, οἱ πλεῖστοι τούτων ἐσώζοντο. οἷσι δὲ ἡ μὲν φλεγμονὴ καὶ τὸ ἐρυσίπελας ἀπέλθοι, τοιαύτην δὲ ἀπόστασιν μηδεμίαν ποιήσαιτο, τούτων ἀπώλοντο πολλοί. ὁμοίως δὲ καὶ, εἴ που ἄλλη τοῦ σώματος πλανηθῆ, ξυνέπιπτε ταῦτα. πολλοῖσι μὲν γὰρ βραχίων καὶ πῆχυς ὅλος περιεῤῥύη. οἷσι δ' ἐπὶ τὰ πλευρὰ ταῦτα ἐκακοῦτο, ἢ τῶν ἔμπροσθέν τι, ἢ τῶν ὄπισθεν. οἷσι δὲ ὅλος ὁ μηρὸς, ἢ τὰ περὶ κνήμην ἀπεψιλοῦτο, καὶ ποὺς ὅλος. ἦν δὲ πάντων χαλεπώτατον τῶν τοιου-

(*a*) Sect. III. Aphor. X. p. 78. cit. edit.

τοιούτων, ὅτι περὶ ἥβην καὶ αἰδοῖα γενοίατο. καὶ τὰ μὲν περὶ ἕλκεα καὶ μετὰ προφάσιος τοιαῦτα. πολλοῖσι δὲ ἐν πυρετοῖσι, καὶ πρὸ πυρετοῦ καὶ ἐπὶ πυρετοῖσι, ξυνέπιπτεν. ἦν δὲ καὶ τούτων. ὅσα μὲν ἀπόστασιν ποιήσαιτο διὰ τοῦ ἐκπυήματος, ἢ κατὰ κοιλίην ταραχή τις ἐπίκαιρος, ἢ χρηστῶν οὔρων διάδοσις γένοιτο. διὰ τούτων λελύσθαι. οἷσι δὲ μηδὲν τούτων ξυμπίπτοι, ἀσήμως δὲ ἀφανιζομένων, θανατώδεα γίνεσθαι. πολὺ μὲν οὖν τοῖσι πλείστοισι ξυνέπιπτε τὰ περὶ τὸ ἐρυσίπελας τοῦ ἦρος. παρείπετο δὲ καὶ διὰ τοῦ θέρεος, καὶ ὑπὸ φθινόπωρον. πολλὴ δὲ ταραχή τις ἦν, καὶ τὰ περὶ τὸν φάρυγγα φύματα, καὶ φλεγμοναὶ γλώσσης, καὶ τὰ παρ᾽ ὀδόντας ἀποστήματα, φωναί τε πολλοῖσιν ἐπεσήμαινον, κακούμεναι καὶ κατατίλλεσαι· πρῶτον μὲν φθινώδεσιν ἀρχομένοισιν, ἀτὰρ καὶ ταῖσι καυσώδεσι, καὶ τοῖσι φρενιτικοῖσιν.

§. 183.

„ *Ante ver autem ſimul cum orientibus frigoribus*, Sacri Ignes *multi, quibuſdam cum occaſione, quibuſdam non, atque hi maligni multos peremerunt. Multi fauces doluerunt. Voces vitiatæ: febres ardentes, phrenitici: ora ulcere fervido affecta, in pudendis tubercula. Lippitudines: carbunculi: alvi turbatæ: ciborum faſtidia. Aliqui ſiticuloſi, aliqui non. Urinæ turbatæ, multæ, malæ. Diu ſoporoſi, & rurſus inſomnes. Multæ judicationes penitus interceptæ: quædam ægre contingentes. Hydropes: tabidi multi. Atque hi quidem erant populares morbi. In ſingulis autem relatis ſpeciebus ægroti, & moriebantur multi. Acciderunt autem ſingulis horum hoc modo. Multis equidem ignis ſacer cum occaſione, ex vulgaribus & valde parvis ulcuſculis, in toto corpore, maxime ſexagenariis, circa caput, ſi vel parum neglecta eſſent. Multis vero etiam in ipſa curatione, inflammationes magnæ fiebant: & ſacer ignis multus: brevi, undique depaſcebatur. Plurimis igitur ipſorum abſceſſus ad ſuppurationes contigerunt: carnium & nervorum ac oſſium elapſus magni. Erat autem & fluxio collecta, non puri ſimilis, ſed alia quædam putredo, & fluxio multa ac varia. Quibus igitur circa caput horum quid fieri contigit, his glabricies totius capitis ac menti fiebat: & oſſium denudationes ac elapſus: & multæ fluxiones, & hæc in febribus, & ſi-*

ne febribus. Erant autem hæc horrenda magis quam mala. Quibus enim ad ſuppurationem talium maturatio pervenit, horum plerique ſervabantur. Quibus vero inflammatio quidem & ignis ſacer diſceſſit, talem autem nullum abſceſſum fecit, horum multi perierunt. Similiter autem & ſi alicubi in alia corporis parte horum quid oberraret, hæc acciderunt. Multis enim brachium, & totus cubitus defluxit. Quibuſdam vero hæc affligebant latera, aut anteriorem aut poſteriorem aliquam partem. Quibuſdam autem totum femur, vel tibiæ denudabantur, & totus pes. Erat autem ex talibus omnium graviſſimum, ubi circa pubem & pudenda accidiſſet: & circa ulcera quidem & cum occaſione, hujuſcemodi erant. Multis autem in febribus, & ante febrem, & ex febribus ignes ſacri inciderunt: & qui quidem horum abſceſſum feciſſent per ſuppurationem, aut per alvum turbatio quædam tempeſtiva, aut urinarum bonarum excretio contigiſſet, per hæc ſolvebantur. Quibus autem nihil horum accidiſſet, verum obſcure diſparuiſſent, hi lethales erant. Plerumque igitur plurimis accidit ſacer ignis vere, conſequebatur autem & per æſtatem, & ſub autumnum. Multa vero turbatio quibuſdam, & circa fauces tubercula, & linguæ inflammationes, & abſceſſus circa dentes. Voceſque multis ſignificationem de ſe præbebant, quod eſſent vitiatæ ac impeditæ & involutæ, primum quidem, tabidis incipientibus, immo etiam ardenti febre correptis, & phreniticis". Hipp. l. c. pag. 722. ſeqq.

§. 184. *Ante ver ſimul cum orientibus frigoribus ſacri ignes multi &c.*) Supra (§. 178.) jam ſcripſit: „*Poſt ſolſtitium longe poſtea, prope æquinoctium feræ hyemes. Et jam circa æquinoctium aquilonares venti nivoſi non multo tempore*": nunc ſubdit, „*ante ver ſimul cum orientibus frigoribus ſacri ignes multi*". Abſente itaque auſtrina conſtitutione, quinimo ſæviente frigida tempeſtate, *ſacrorum ignium miaſmata* ſuam tragicam ſcenam cœperunt ludere. Hæc quidem *Galeni* opinationem, efficientem *epidemicorum* morborum cauſam ab *humida* ſimulque *calida* aeris conſtitutione, putredinem excitante, repetentis, valde infringunt, ipſum-

ipſumque haud perbene *Hippocratis* doctrinam interpretatum eſſe manifeſtant, ubi ſcripſit (*a*): „ *Nullum ex affectibus*, *quos* (Hippocrates in libro tertio Epidemicorum) *ſcripſit*, *invenias*, qui merito ſoboles putredinis non ſit: *quippe quod* nec a ſicco *putreſieri quicquam ſit aptum*, nec a frigido *intelliges*: *Si carnes & reliqua quæcunque aſſervari ab hominibus ſolent*, *obſerves*, *hæc ſale*, *hæc muria*, *hæc aceto*, *hæc alio quopiam ex iis*, *quæ ſiccant*, *commode præparari*: *deprehendas &* borea, *qui* ſiccus *natura &* frigidus *ventus eſt*, *omnia quam diutiſſime imputria durare*, *contra putreſcere facillime* auſtrino ſtatu: *Eſt enim is ventus* calidus & humidus". *Sacrine* Hippocratis *ignes*, *ante ver ſimul cum orientibus frigoribus* regnanteque borea contingentes, ſoboles fuerunt *putredinis a calida & humida* tempeſtate, ſive ab *auſtrino ſtatu* contractæ?

§. 185. *Sacri ignes*.) Non Peſtis vulgaris, ſive *bubonica*, cujus clariſſimam notionem Hippocratem habuiſſe, quæ *libro de Flatibus num. VII.* ab ipſo ſcripta ſunt, oſtendunt; ſed *Sacri Ignes*, diverſa a lue *bubonica* Peſtis. *Sacri*.] An cœlitus demiſſi? Longe abeſſe *Hippocratem* ab hac opinione clare docent, quæ ſcripſit adverſus eos, qui Epilepſiæ *ſacri Morbi* nomen indiderunt (*b*): „ *Cæterum*, ait, *qui primi hunc morbum* ſacrum *eſſe pronunciaverunt*, *tales homines mihi eſſe videntur*, *quales etiam nunc ſunt* magi, & expiatores, & circulatores, & *quidam* arrogantes, *qui ſe vehementer pios eſſe ſimulant*, & *amplius quid ſcire*. *Hi itaque conſilii ac mentis inopiæ obvelantes ac prætexentes* Divinitatem, *quum nihil haberent quod exhibitum prodeſſet*, *ut ne manifeſta fieret ipſorum ignorantia*, ſacram *hanc affectionem eſſe pronunciaverunt* ".

§. 186. *Galenus* in illo Hippocratis textu nullam *ſacrorum ignium* diſtinctam nobis exhibuit notionem. „ *Sacrum iguem*, inquit (*c*), *didiciſti a biliofa fluxione ori-*

(*a*) Cl. I. lib. I. de temperam. cap. IV. p. 12. B.
(*b*) Lib. de Morb. Sacr num. II. Tom. II. cit. edit. p. 325.
(*c*) Cl. III. in Lib. III. Hipp. de Morb. vulg. Comment. III. text. 9. p. 141. F.

ri, *at non illa ſemper tamen prava & putri*. *Plane contra ubi mitis ſit fluxio*, *bilem pallidam obtinens*, *quæ in nobis naturaliter gignitur*, *ſolet quidem* ſacrum ignem facere, *nullum tamen ex eo dare damnum*, *ſiquidem recte tractes*. *At non erat nunc talis*, *qui* ſacrum ignem *excitavit humor*, *ſed* malignus, *qui* eroderet putrefaceretque ab exuperante humida ventorum tranquillitate generatus ". Sua hypotheſi perſtrictus *Galenus* aquilonarem tempeſtatem, (§. 184.), ſub qua *Sacri Ignes* contingebant, probe animadvertere nequivit.

§. 187. III. *Franciſcus Valleſius* (*a*) pro *ſacris ignibus* Eryſipelata vertit. Aliorum *Hippocratis* Explanatorum nobis copia non adeſt.

§. 188. *Auctor* finitionum Medicarum (*b*) ſcribit: „ *Eryſipelas*, *id eſt* ignis ſacer *eſt rubedo cum ignita inflammatione*, *febres interdum doloreſque inferens*. *Vel*: ignis ſacer *eſt tumor rubens*, *dolorificus*, *qui a bilioſo ſanguine generationem obtinet* ". Hæ definitiones, Eryſipelatum ſpecies ſpectant, haud vero *ſacros* Hippocratis *ignes* populariter graſſatos.

§. 189. *Aetius* juxta *Jani Cornarii* verſionem (*c*) in *Sermone primo* (*d*), de *igne ſacro* interna viſcera afficiente egit; *Sermone* autem *ſecundo* (*e*), ſub titulo de *Eryſipelate*, *hoc eſt*, *igne ſacro Galeni*, de tribus externi Eryſipelatis ſpeciebus pertractavit, at *ſacros ignes* Hippocratis haud expreſſit.

§. 190. *Cornelius Celſus*, antiquitate atque ſcribendi elegantia Latinorum Hippocrates merito nuncupatus, *Capite de igne ſacro & ejus curatione* (*f*) quæ ſequuntur loquutus eſt: „ *Sacer quoque ignis* malis ulceribus *annumerari debet*. *Ejus duæ ſpecies ſunt*. Alterum *eſt* ſubrubicundum,

(*a*) Commen. I. in VII. Lib. Epidem. Hipp. p. 9.
(*b*) Apud Iſagog. Galeni Libros p. 48. H.
(*c*) Edit. Baſileæ ann. 1542.
(*d*) Tetrabibl. II. cap. LXXXIX. p. 239.
(*e*) Tetrabibl. IV. cap. LIX. p. 804.
(*f*) Lib. V. cap. XXVIII. apud Medic. Antiq. omn. &c. p. 37. A.

Digitized by Google

dum, *aut mixtum* rubore *atque* pallore; *exaſperatumque per* puſtulas continuas, quarum nulla altera major eſt, ſed plurimæ perexiguæ. *In his* ſemper fere pus, *& ſæpe* rubor *cum* calore *eſt*; ſerpitque *id* nonnunquam, ſanaſcente eo, *quod primum vitiatum eſt*: nonnunquam *etiam* exulcerato, *ubi* ruptis puſtulis *ulcus* continuatur, *humorque exit*, *qui eſſe* inter ſaniem & pus *videri poteſt*. *Fit maxime in* pectore *aut* lateribus, *aut* eminentibus partibus, *præcipueque in* plantis. Alterum *autem eſt in* ſummæ cutis exulceratione, *ſed ſine altitudine* latum, ſublividum, inæqualiter *tamen*, mediumque ſaneſcit *extremis procedentibus*; *ac ſæpe id quod ſanum jam videbitur*, *iterum exulceratur*. *At circa proxima cutis*, *quæ vitium receptura eſt*, *tumidior & durior eſt*, *coloremque habet ex* rubro ſubnigrum. *Atque hoc quoque malo fere corpora* ſeniora *tentantur*, *aut quæ* mali habitus ſunt, *ſed in* cruribus *maxime*. Omnis *autem* ſacer ignis ut minimum periculum habet *ex his quæ ſerpunt*, *ſic* prope difficillime tollitur. *Medicamentum ejus fortuitum eſt*, uno die febris, *quæ humorem noxium abſumat*, *cujus quo craſſius & albidius eſt*, *eo periculi minus eſt*. *Prodeſt etiam infra os ulcerum lædi*, *quo plus puris exeat*, *& id*, *quod ibi corruptum corpus eſt*, *extrahat*. *Sed tamen ſi* febricula *acceſſit*, *abſtinentia*, *lectulo*, *alvi ductione opus eſt*. Si non eſt *febricula &c. &c.* " *Hæc Celſus*. Generica *ſacrorum ignium* a Celſo indicta prognoſis, *omnis ſacer ignis ut minimum periculum habet*; & curandorum eorum ratio, *medicamentum ejus fortuitum eſt*, *uno die febris*; &, *prodeſt infra os ulcerum lædi &c.* tantum abeſt ut *ſacros* Hippocratis *ignes* ſatis cito mortiferos, acutiſſima febre ſtipatos, & populariter graſſantes referant, quin potius *herpetes*, ab *Hippocrate* adhuc deſcriptos, *Celſum* explicaſſe demonſtrant, ſimul & ulceroſa *Eryſipelata* a noſtro *igne ſacro* immenſum diſtantia. De *herpetibus* Senex *Cous* (*a*) hæc ſcripſerat: „ *Herpetes autem* minime omnium ulcerum, quæ depaſcendo proſerpunt, periculoſi ſunt, verum maxime diffi-

(*a*) Prædict. lib. II. n. 21. tom. I. p. 503. cit. edit.

difficulter *ſubmoveri poſſunt*, *quemadmodum* cancri *occulti*. *In* omnibus *autem talibus* febrem ſupervenire una die confert, *& pus* quamalbiſſimum *ac* craſſiſſimum. *Commodat &* corruptio nervi, *aut etiam* oſſis, *aut etiam amborum tum in profundis*, *tum in nigris putredinibus*. *Nam in corruptionibus pus multum fluit*, *& putredines ſolvit* ". Patet itaque, *Celſum Hippocratis herpetes*, *ſacros ignes* fuiſſe interpretatum, quod a poſterioribus acceptum Medicis; inque ſua *ſacrorum ignium* explanatione eorum, quæ de *herpetibus Hippocrates* diſſeruerat, aliqua nimium contraxiſſe, aliqua ſummopere amplificaſſe; conquiſitis fortaſſe atque in unum coactis Puſtularum notionibus ex multo Græcorum Medicorum volumine, quo utebatur, & quo etiam totum Opus ſuum Medicum atque Chirurgicum, pauco vel nullo Artis exercitio, contexuit.

§. 191. *Scribonius Largus* Celſo coævus, ſi genuina ſunt ejus monumenta, duobus *ignis ſacri* Celſi ſpeciebus tertiam addidit: „ *Ad Zonam*, inquiens (*a*), *quam Græci* herpeta *dicunt*, *faciunt quidem*, *ut ſupradicta omnia*, *præcipue cicuta viridis bene trita*, *& impoſita* ". Et Largo ætate poſterior *Cajus Plinius* Græcorum Medicorum & ipſe exſcriptor, eumdem ſequutus habet (*b*): „ *Eſt genus* ſacri ignis, *quod* Zoſter *vocatur*, *quod occidit eum*, *quem appetit*, *ſi* præcingit ". Hujus *ſacri ignis* ſpeciei clariorem cognitionem hiſce diebus nobis exhibet Ill. *Antonius de Haen*, ſequentia præ reliquis ſcribens (*c*): „ *Febris*, *eaque non raro valida*, *oritur cum dolore in alterutrius lateris abdominis externa plaga*. *Die jam primo*, *vel ſecundo*, *vel tertio* maculæ rubræ *ea in plaga oriuntur*, cito admodum *grandeſcentes dolenteſque*, Variolis diſcretis majoribus perſimiles, *ſed altiores & racematim uno in loco ſimul cohæreſcentes*, *tum & interſtitia vacua magnaque inter ſe relinquentes*. Per-

(*a*) Libr. de Compoſ. Medicam. cap. CCXLVII. Medic. Antiq. omn. &c. p. 156. B.

(*b*) Lib. III. de re Medic. cap. XXXIV. ibid. p. 198. B.

(*c*) Tom. V. Opuſc. Medic. Phyſic. Theſ. de Febr. Diviſ. VI. §. VII. pag. 84.

Digitized by Google

Perpetua lege, *quantum numeroſi me caſus docuere*, nonniſi alterutrum abdominis latus occupant; *ita quidem ut ab anteriore parte nunquam* lineam albam, *nunquam a poſtica* ſpinam *tranſcendant . . . Suppurant* puſtulæ, *ſponteque aperiuntur, ac manent diu apertæ, cavæ, magnæ*, pure *manantes triduo, quatriduo, imo nonnullis per quatuordecim dies* ": & *ibid.* paulo infra ſubdit, hanc *ſacri ignis* ſpeciem, ni accurate tractetur, periculo non vacare. In hac *ignis ſacri* deſcriptione habemus quidem *puſtulas Varioliſ diſcretis majoribus perſimiles*, quæ in Hippocratis *ſacris ignibus* præſto fuere; *acutiem* vero, *contagionem*, *perniciem*, & horum reliqua dira *ſymptomata* non habemus.

§. 192. *Joannes Atrocianus* in *Æmilium Macrum*, ad illud carmen: *Et dolor hoc auris ſedabitur, & ſacer ignis*, hæc fatur (*a*): „ Sacer ignis.) *Hunc* Sancti Antonii *ignem vocant, qui etiam* pruna, *&* ignis Perſicus, *&* carbo, *& a* Dioſcoride Eryſipelas *nominatur*: *aliis dicitur* Formica militaris (*hic forſan Typographi error ſubſit, aptius enim* miliaris *ſcribi videtur*); *dicitur item* Anthrax, *de qua re tamen eſt controverſia* ". Quiſnam in hacce ſententiarum varietate *Sacros* Hippocratis *Ignes* contagio ſtipatos, maligne perimentes, funeſtaque *ſymptomaton* congerie comitatos, inveniri poſſe facile ſibi ſuadebit?

Sacri Hippocratis Ignes a T. Lucretio Caro, Virgilio, & Columella Puſtulæ lethales, & contagioſæ definiuntur.

§. 193. Fruſtra hoc ſuper inſtituto evolutis, quæ ad manum fuerunt, aliorum Medicorum monumentis, ſpem pene amiſeramus *ſacrorum* Hippocratis *ignium* ſaltem ſymbolum adipiſcendi; quum forte apud *Lucretium Carum* (*b*) in ſequentes offendimus verſus:

Extitit ſacer ignis & urit corpore ſerpens

Quam-

(*a*) Comment. in Æmil. Macr. de herb. virtut. Med. antiqu. omn. &c. p. 227. A.

(*b*) Lib. VI. de Rer. Natur.

Quamcumque arripuit partem, repitque per artus:
Utut apud *Nardium* in hunc *Lucretii* locum nil luminis nobis accederet, nec ulla alia hujus Poetæ ſimul ac Philoſophi Exploratorum copia foret; probe tamen gnari eumdem in deſcribenda Peſte, Athenienſium *Morbi* hiſtoriam, a *Thucydide* traditam, preſſo pede fuiſſe ſequutum; nulli dubitavimus, quin hic Lucretii *Sacer Ignis Sacris* Hippocratis *Ignibus* reſponderet. Noſtram interim ſubiit mentem illud non minus Philoſophi quam Latinorum Poetarum facile Principis *Virgilii Maronis:*

. . . . . Nec longo deinde moranti
Tempore contactos artus Sacer ignis edebat:

Unde cupido nos inceſſit ab eodem deſcriptam brutorum Animantium Peſtim intimius inſpiciendi. Legimus itaque (*a*) præ cæteris hæc:

Hic quondam Morbo cæli miſeranda coorta eſt
Tempeſtas, totoque autumni incanduit æſtu,
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum.

Quæ quidem omnium vetuſtior Virgilii Interpres *Maurus Servius* (*b*), cui adſtipulatur *Macrobius*, ſic expoſuit: „ Hic quondam Morbo.) *Deſcribit Peſtilentiam* Venetiæ, Galliæ, Illyrici. *Nam quodam tempore quum* Nilus *plus æquo excreviſſet, & diu permanſiſſet in campis, & aqua fluminis & calore Provinciæ diverſa & plurima in limo animalia ſunt creata; quæ recedente in alveos ſuos* Nilo, *& integra, & quæ ſemiplena fuerant, putrefacta ſunt: Exinde corrupto Aere nata Peſtilentia eſt, quam Auſter flans primo ex* Ægypto *ad* Atticam Provinciam *pepulit; mox* inde tractum Venetiæ *&* Illyrici uſquequaque verſum univerſa vaſtavit. Hanc *autem* Peſtilenriam *ordine, quo diximus*, pleniſſime Lucretius *executus eſt* “. Quicquid *Servius* circa hujus Peſtis originem opinatus fuerit, certe ex eodem liquet, quæ a *Virgilio* deſcribitur brutorum Peſtis, unam eamdemque fuiſſe, quam jampridem enarraverant *Thucydides*, *Hippocrates* atque *Lucre-*

(*a*) Geo rgic. Lib. III. cum Servio &c.
(*b*) Ibid. pag. 114.

cretius in homines *Athenis* & alibi debacchatam; atque ex iis in bruta animantia (§. 136.) traductam , & longe lateque a *Græcia* per *Illyrium* , *Italiam* , *Galliamque Ciſalpinam* diſſeminatam, boum oviumque armenta vaſtaſſe , iiſdem omnino ſymptomatibus , quibus humanum jam perdiderat genus, eodemque munitam contagio , uti ex ſequentibus *Virgilii* (*a*) earminibus perſpicuum eſt:

Jamque catervatim dat ſtragem , atque aggerat ipſis
In ſtabulis turpi dilapſa cadavera tabo.
Donec humo tegere ac foveis abſcondere diſcunt.
Nam neque erat coriis uſus ; nec viſcera quiſquam ,
Aut undis abolere poteſt, aut vincere flamma.
Nec tondere quidem morbo, illuvieque pereſa
Vellera , nec t'las poſſunt attingere putres.
Verum etiam inviſos ſi quis tentarat amictus ,
Ardentes papulæ, *atque immundus olentia ſudor*
Membra ſequebantur: nec longo deinde moranti
Tempore contactos artus ſaeer ignis *edebat*.

His illuſtratus luminibus non ſine ratione inferri poſſe autumabam , huue *Sacrum* Virgilii *Ignem* unum eumdemque fuiſſe ac *Sacros* Hippocratis *Ignes* . Reliquum itaque nobis fuit inquirere , quidnam *Sacer Ignis* vetuſtiſſimis illis temporibus deſignaret . Hunc noſtrum explevit laborem eloquens *Columella* , qui ſequentem conſtruxit (*b*) *ignis ſacri* definitionem : „ *Eſt etiam* inſanabilis ſaeer ignis, *quem* Puſtulam *vocant Paſtores* : *Ea* niſi compeſcitur intra primam pecudem, *quæ* tali morbo *correpta eſt*, univerſum gregem eontagione *proſternit* ".

Concluſio decimaſeptima.

Sacri igitur Hippocratis *ignes* , eamdem Peſtim (§. 177.), quam ſub *Morbi* nomine *Thucydides* deſeripſit, conſtituentes; ex *Lucretio* (§.193.) *mortiferi*, & *per omnes Corpo-*

(*a*) Ibid.
(*b*) De re ruſtic· lib. VIII. cap. V.

poris ſuperficiem repentes ; *Virgilio* (ibid.) *ardentes* excitantes *papulas*, *lethales*, & ſummopere *contagioſi*; Columella (ibid.) *Puſtulæ inſanabiles*, quæ, *niſi intra primam iiſdem correptam pecudem compeſcuntur, univerſum gregem contagione* proſternunt, procul omni dubio Variolæ fuerunt.

§. 194. *Ignes*.) Miaſmata, quæ, veluti altera ignis ſcintilla, in animantium corpora vel parviſſima mole (§. 41.) invecta inque actionem deducta incendium concitant; puſtulas papulaſque exciunt; carnes exedunt, uſtulantque ad nigrorem uſque; ipſa identidem abſumunt oſſa; &, quod ſummum, quæ tangunt, vel in quæ proſiliunt vicina & analoga corpora, iiſdem diris effectibus afficiunt; unde longe lateque proſerpentia per totum terrarum Orbem commercio propagantur, & quidem perpetua ſui generatione. *Sacri*.) Miaſmata hæc inviſibilia, & ſenſus aciem aufugientia, occultiſſime & per tenebras incedunt; nec niſi per dira. quæ afferunt ſymptomata perque funera, ratione ſolummodo aſſequi queunt.

Analogia vigeſimatertia.

§. 195. *Ante ver autem ſimul cum orientibus frigoribus ſacri ignes multi &c.*) „ *Variolæ*, inquit Sydenhamus (*a*), *quibus annis* epidemicæ *graſſantur*, *ſi regulares etiam ſint*, *atque mitiores circa æquinoctium vernum* (*uti hæ de quibus ſermo nobis eſt*) *ingrediuntur*: *Quibus vero annis non tantum graſſantur epidemice ſed & irregulares*, *atque periculoſioris ſunt generis*, maturius *nonnunquam*, *menſe puta* Januario, *invadunt* ". *Swietenius* hæc notavit (*b*): „ *In* Gallia *anno* 1666. *obſervatum fuit peſſimum Variolarum genus longe magis ſeviiſſe*, *& longe plures abſtuliſſe homines* acerrima hyeme, *quam fervidiſſima æſtate* ".

§. 169. *Sacri ignes multi*.) Non unius ſed plurium ſpecierum *Sacri Ignes* in homines vulgati ſunt. Præter vulga-

(*a*) Tom. I. Sect. III. cap. II. p. 40. 41.
(*b*) Tom. IX. in Boerh. §. 1380. p. 6.

Digitized by Google

gariſſimam Variolarum diviſionem in *diſcretas* , *adhærentes* atque *confluentes* , diverſas ipſarum ſpecies *Sennertus* (a) recenſuit : „ *Secundum* ſubſtantiam , inquit, *aliæ* (*Variolæ*) *ex hoc* ; *aliæ ex illo humore conſtant* . *Secundum* quantitatem *aliæ magnæ* , *multæ* , *profundæ ſunt* ; *aliæ parvæ* , *paucæ* , *ſuperficiales* , *pro materiæ copia majore vel minore* . *Secundum* qualitatem *variæ animadvertuntur differentiæ* : *Aliæ ſunt albæ* , *aliæ rubicundæ* , *ſubflavæ* , *lividæ* , *violaceæ* , *ſubnigræ* , *coloris varii* . . . . Tactu *aliæ duræ ſunt ob craſſitiem & duritatem materiæ* ; *aliæ molles humore aqueo vel flatu etiam turgentes* . *Eſt & in iſto quædam differentia* , *quod quædam ſubito & cum impetu erumpunt* ; *aliæ lente & tarde ſeu paulatim* : *Aliæ rurſus diu durant & tardius diſſolvuntur* ; *aliæ citius evaneſcunt* . . . . *Reperitur & quædam in* loco , *in quo erumpunt* , *differentia* : *Aliæ enim cutem & extremas ſolum partes occupant* ; *aliæ vero etiam in internis erumpunt* ; *atque hæ vel evidentes ſunt* ; *quæ in oculorum palpebris inverſis* , *in naribus* , *in aperto ore* , *in palato* , *lingua* , *& faucibus conſpiciuntur* ; *vel occultæ* , *ſeu abditæ & abſtruſæ* , *quæ aſperam arteriam* , *ſeu guttur &c.*" Sub una eademque Variolarum graſſatione eaſdem diverſarum ſpecierum præſto eſſe , neminem , qui Praxi Medicæ dedit operam , præterit .

§. 197. *Quibuſdam cum occaſione* .) Inferius ipſe *Hippocrates* hanc occaſionem hiſce deſcripturus eſt verbis : „ *multis equidem Ignis Sacer cum occaſione*, *ex vulgaribus & valde parvis ulcuſculis in toto corpore* , *maxime ſexagenariis* , *circa caput &c.* " , quæ quidem adamuſſim reſpondent Thucydidis verbis (§. 89.) „ *& corpus quidem erat ſubrubrum* , *lividum* , *parvis puſtulis & ulceribus efloreſcens*": cujus textus analogia jam §. 107. abſoluta , id unum adnotandum hic venit, *Sacros* Hippocratis *Ignes* , *parva ulcuſcula toto corpore efloreſcentia* , Puſtulas , a Variolis nec hilum diſſimiles, ſignificare .

§. 198. *Quibuſdam non* .) *Quibuſdam* ſine occaſione ; ni-

(a) Tom. III. de Febr. lib. IV. cap. XII. p. 182.

nimirum, ſine parvis ulcuſculis *Sacri Ignes* contingebant. Dari quædam Variolarum ſpecies *ſine parvis ulcuſculis* quotidiana docuit obſervatio: „ *Confluentes*, inquit Sydenhamus [*a*], *vero* ab aliis, *quas per alios annos ego obſervaveram*, confluentibus in multis, *quæ jam recenſebo*, diſcrepabant. *Nunc ſecundo nunc tertio die ſe primum monſtrabant* ſpecie tumoris ſubrubri atque uniformis *vultum* omnem contegentis, eryſipelate *quidem* denſioris, nullo fere viſibili puſtularum diſcrimine ". *Ill.* de Sauvages [*b*] *hæc fatur*: „ *Aliæ* (Variolæ) *ſunt diſtinctæ puſtulis a ſe invicem diſcriminatis*, *& per exteriora corporis diſperſis*: *Aliæ confluentes*, *quæ*, poſtquam eryſipelatis ritu, *nunc ſub morbillorum forma eruperunt*, non in molem ſpectabilem attolluntur; at ſibi invicem implicitæ ſe habent inſtar veſiculæ continuæ totum vultum contegentis ".

§. 199. *Atque hi maligni multos peremerunt*.] Hi, *Sacri Ignes*, nimirum, qui *ſine parvis ulcuſculis* [§. 198.] contingebant. *Sydenhamus* de nuper [§. 198.] exſcripta Variolarum ſpecie hæc ſubdit: „ *Notandum eſt tamen quod*, *qui lethalibus* iſtis veſiculis *ac mortificatione*, *quæ nonnullis primo menſe*, *quo hæc ſpecies invadebat*, *accidiſſe memoravimus*, libitinæ deſtinabantur, intra paucos dies ab eruptione interibant ". Idem teſtatur *Swietenius* [*c*]: „ *Obſervavit*, inquiens, Sydenhamus *in peſſimis confluentibus interſpergi*, *in femoribus præcipue*, veſiculas *ambuſtorum inſtar*, *ſero limpidiore diſtentas*, *quod quidem diſrupta ſubinde pellicula copioſe effluebat*, *ſubjecta carne* nigredine *&* ſphacelo *quaſi affecta*. Triſtes tales caſus & mihi aliquoties contigit in praxi videre, *verum*, *uti* Sydenhamus *monuit*, ſemper lethales ".

Pa-

(*a*) Tom. I. Sect. IV. cap. VI. p. 71.
(*b*) De Morb. infant. cap XXX. Art. III. p. 151.
(*c*) Tom. IX. in Boerh. §. 1386. p. 43.

Parallelum trigeſimumſeptimum.

Sacri itaque Hippocratis *Ignes* ſub ſuæ eruptionis tempore tam qui *parvis ulcuſculis toto corpore* diſperſis, quam qui confertim contigerunt, pari paſſu ac noſtræ Variolæ incederunt, ſimileſque exitus conſequuti ſunt.

§. 200. *Multi fauces doluerunt. Voces vitiatæ.*] *Thucydides* [§. 89.] ſcripſit „*guttur & lingua continuo cruenta erant . . . & raucitas ſequebatur*". Faucium & totius oris exulcerationes, voces vitiatas ſive raucitatem, & anginam ſtrangulantem a Variolis promanare, quotquot hujus Morbi ſymptomata (a §. 95. ad §. 102.) accurate deſcripſere, aperte fatentur, & quidem a puſtulis in hiſce locis natis. Mortiferam ac frequentiſſimam Anginam a Peſte Varioloſa excitatam *Mercatus* [*a*]; *Colle* [*b*]; *Diemerbroeckius* [*c*]; *Hoyerus* [*d*], qui *Avicennam* ac *Lommium* affert; *Huxhamius* [*e*]; *Tralles* [*f*]; *Swietenius* [*g*] egre comploratunt. Hic tamen animadvertendum eſt, *bubonicas* Peſtilitates, §. 115. adnotatas, fauces ad raucitatem uſque minime occupaſſe, neque Anginam frequentiſſimam produxiſſe.

Parallelum trigeſimumoctavum.

Faucium dolores, & voces vitiatæ, uti *ſacros* Hippocratis *ignes*, ſic Variolas conſequuntur.

§. 201. *Febres ardentes, phrenitici.*) *Thucydides* de hoc Athenienſium *Morbo* (§. 89.) narravit „ *primum quidem acres capitis fervores & oculorum rubores & inflammatio corripiebat . . . . interiora ita flagrabant, ut neque te-*

(*a*) Oper. tom. V. lib. II. cap. XXII. p. 288.
(*b*) Tom. I. cap XI p. 505.
(*c*) Apud Manget. tom IV. B. M. P. p. 694.
(*d*) Apud Sydenh tom. I. Diſſ. epiſt. §. XXVIII. p. 492.
(*e*) Tom. II. de Aer. & Morb Epid. p. 33.
(*f*) Vexat. ſ. noſtr. ætat. &c. apud de Haen tom. III. Opuſc. Medic. Phyſ. p. 103. 104.
(*g*) Tom. IX. in Boerh. §. 1403. p. 113.

tenuiſſimorum veſtimentorum aut linteorum injectiones ſuſtinerent , neque aliud quippiam præter nuditatem ; & libentiſſime in aquas gelidas ſe conjicerent . Et multi eorum , qui neglecti erant , hoc ipſum etiam fecerunt , & in puteos ſe dejecerunt ſiti infedabili . Si recta illis fuiſſet mens , qualibet ſiti adacti , haud ſe dejeciſſent in puteos. Febrem ardentem phrenitidemque Variolas comitari, quæ a §. 95. ad §. 102. allatæ ſunt obſervationes , teſtantur . *Hoyerus* [*a*] graſſantibus Variolis *phrenitidem frequenter* ſuperveniſſe refert . *Sydenhamus* (*b*) nullum ſymptoma *phrenitide frequentius* huic morbo ſuccedere ſcribit. *Meadius* tandem (*c*) ſic fatur : „ *Phrenitis quarto poſt puſtulas excluſas die accedens peſſimi ominis jure habetur , ut qui hoc periculo conflictatus ad ſanitatem pervenerit , fere neminem ſe vidiſſe dixerit doctiſſimus* Freindius “. Hæc de phrenitide Variolis accedente . De phrenitide vero abſque Variolis , inferius aptiori loco.

§.202. *Ora ulcere fervido affecta.*) Similia hæc ſunt illo *Thucydidis* textui (§ 89.) „ *guttur & lingua continuo cruenta erant*. „ *Si vero*, ait Mercatus [*d*], *in* os, palatum & linguam, *aut* gingivas *Variolæ*, *aut morbilli tanto numero prorumpant*, *quod alicujus partis exulcerationem*, *vel corruptionem vereamur* , *fucco granatorum acrium &c.* “ *Van-Swietenius* [*e*] hæc fatur: „ Jacotius *habet ſequentia*: *Vidimus in Puella febriente cum Variolis mortem inde ſequutam*, *quum febris remiſſa videretur*. *A* gingivis *incæperunt* ulcuſcula , *deinde* palatum , totumque os occuparunt , *tum ad* uvam fauceſque *deſcenderunt*: *quibus obſeſſis in* cancrum *degenerunt*, *ex quo excitata dyſenteria mors eſt inſequuta* “. Conf. §. 124. 127. & infra §. 205.

§. 203. *In pudendis tubercula.*) Ex *Thucydide* [§.89.] *in ipſa quoque pudenda Morbus prorumpebat* . Pudendarum par-

(*a*) Apud Sydenh. tom. I. Differt. Epiſt. §. XXVIII. p. 492.
(*b*) Tom. I. Sect. II cap. II. p. 51. 52
(*c*) Oper. Med. de Variol. cap. III. p. 30.
(*d*) Oper. tom. II. lib. VII. cap. III. p. 491.
(*e*) Tom. IX. in Boerh. §. 1401. p. 94.

Digitized by Google

partium a Variolis productas exulcerationes atque cruciatus jam §. 125. retulimus: Nec inguinales glandulas Varioloſa Peſtis integras linquit: „ *Glandularum inguinalium tumor* , ait Swietenius [*a*], *ſemel a me obſervatus fuit*, *ſubito ortus tempore maturationis in puero* , *qui Variolis confluentibus periculoſe decumbebat &c.* " Conf. §. 205.

Ophthalmia contagioſa Sacrorum Hippocratis Ignium & Variolarum progenies.

§. 204. *Lippitudines . . . Atque hi quidem erant populares Morbi.*) Inferius in hac ipſa *Sacrorum Ignium* hiſtoria idem *Hippocrates* hæc ſcripſit: „ *Lippitudines humidæ*, *longæ* , *diuturnæ* , *cum doloribus* . *Eruptiones palpebrarum foris*, *intus*, *multorum oculos corrumpentes* , *quas ficus vocant* ". *Thucydides* (§. 89.) ſic loquutus erat: „ *Oculorum rubores*, *& inflammatio corripiebat . . . Nonnulli etiam oculis amiſſis* ". Lippitudo igitur in iis , qui hanc Peſtim jampridem non ſuſtinuerant, *Morbo*, & *Sacris Ignibus* tanquam *ſymptoma* acceſſit; in iis vero . qui ab hac labe evaſerant, tanquam ejus ſoboles, ſive Morbus *confectarius*, populariter graſſata eſt . Uti *Morbi ſymptoma* Variolis adhuc inhærere a §. 94. ad 102. & §. 128. jam demonſtravimus. Ne vero hunc *Hippocratis* textum intactum linquamus, hæc ex *Swietenio* [*b*] adnotanda proponimus: „ *Dum confluentes Variolæ erumpunt*, *quæ ſemper admodum numeroſæ ſunt*, *tota facies eryſipelatoſa apparet cum moleſto cutis ardore*. *Poſt Morbum toleratum* Ophthalmiæ *inflammatoriæ* , furunculi , anginæ *quandoque ſequuntur* " . Quoad vero lippitudinem *contagioſam* , *Sacrorum Ignium progeniem* , *Ballonius* [*c*], poſt crudeliter vulgatas Variolas , una cum *Tuſſi* vulgo *Quinta*, Ophthalmias gaſſatas eſſe refert. Ne autem in plura evagemur, unum *Huxhamium*, qui omne hoc ſuper inſtitu-

(*a*) Ibid. §. 1402. p. 108.
(*b*) Ibid §. 1386 p. 42.
(*c*) Epidem. & Ephemer. lib. II. Conſtit. ann. 1578. p. 147.

Digitized by Google

ſtituto abſolvit punctum, adducere hic ſatis erit. Hæc enim accurate adnotavit (*a*): „ *Septembri . . . Ophthalmia, Variolæ, nec non febres putridæ paſſim* “ . . . p. 139. „ *Septembri Variolæ frequentes . . . Ophthalmiæ multæ* “, p. 140. „ *Octobri . . . Variolæ epidemicæ . . . Ophthalmiæ multæ* “, p. 159. „ *Junio . . . Variolæ quoque plurimæ . . . Ophthalmiæ & lippitudines jam ſunt frequentes admodum* “. p. 160. „ *Julio . . . Variolæ modo valde epidemicæ . . . Ophthalmiæ permultæ cum* epiphora *maxima atque acerrima . . . Auguſto . . . Variolæ adhuc epidemicæ . . . Ophthalmiæ & dentium dolores acerbi uſque frequentes* “.

Additio ſecunda.

1. „ *Longius quam oportebat protracta Operis editio quorumdam in re Medica præſtantiſſimorum, & quidem nuperorum Virorum* Pathologicis, Cliniciſque Iſtitutionibus *nos ditavit. Haud abs re itaque futurum eſſe putamus, aliqua ex iis excerpere, ut in propatulum veniet, quidnam de* Epidemicorum Morborum origine atque efficiente cauſa *in non paucis Europæ Academiis hodienum intelligatur, ad rectam eorum* Prophylaxin, *ſimul &* Therapian *inſtituendam. Primum igitur inquirendum occurrit, quænam ſit nuper tradita de* epidemica *ſive* contagioſa lippitudine *ſuperius* (§.204.) *adnotata, Doctrina. Cel.* de Sauvages, *in Academia* Monſpelienſi *Medicinæ & Botanices Regius Profeſſor &c. in ſua* Pathologia Methodica [*b*] *adnotavit* Ophthalmiam phlyctenodem St. Ives Spec. VI., Varioloſam, Morbilloſam, encauma & epicauma *Græcorum*.

2. *Ill.* Macbridius *Publicus* Dublini *Medicinæ Profeſſor, in ſua* Introductione Methodica in Theoriam & Praxin Medicam [*c*], *pertractans* [*d*] de Ophthalmia, ſive inflammatio-

(*a*) Tom. II. de Aer. & Morb. Epid. p. 90. ſeqq.
(*b*) Cl. VII. Ord. II. Gen. IV. Sp. 9. p. 169. edit. Neapoli 1779.
(*c*) Ex verſione *Cleſſii* edit. Lauſannæ 1783.
(*d*) Ibid. lib. II. cap. III. p. 136. ſeqq.

matione oculorum, *ne quidem verbum de noſtra* epidemica lippitudine *interjecit*.

3. *Ill.* Cullenius, *in Academia* Edinburgenſi *Medicinæ Practicæ Profeſſor &c. in ſua* Noſologiæ Methodicæ *Synopſi* [*a*], *ubi de* Ophthalmia [*b*], *inter plures hujus Morbi varietates recenſet* phlyctænodem Sauvageſii; *in* Primis *vero* Lineis Medicinalis Praxeos [*c*], *ubi* de Ophthalmia ſive oculi inflammatione, [*d*] Hippocraticæ, *nec alterius*, epidemicæ lippitudinis *meminit*.

4. *Nec de ea pertractavit Ill.* Ludwigius, *in Academia* Lipſienſi *Decanus &c. in ſuis* Inſtitutionibus Medicinæ Clinicæ [*e*] *ſub Capite* Morbi oculorum [*f*], *neque alibi*.

5. *Mirari ſummopere ſubit*, *Ill.* Burſerium, *in* Ferrarienſi *Athenæo*, *dein in Academia* Ticinenſi *Medicinæ Profeſſorem*, *virum non ſine rei Medicæ detrimento nimis propere e medio abreptum*, *utpote qui in illuſtranda atque contrahenda tam veteri quam recentiori febrium ſimul &* epidemicorum *Morborum hiſtoria ac doctrina*, *neque minus in innumeras ſuper iiſdem hypotheſes recte ſubvertendas*, *inſuperabilem laborem inſumſit*, *in elaboratiſſimis ſuis* Inſtitutionibus Medicinæ Practicæ [*g*], lippitudinem Epidemicam *præteriiſſe*; *atque hiſce verbis* [*h*] *tantummodo acquieviſſe*: „ Extant quoque in hiſtoria Medica obſervationes, quibus oſtendi credunt nonnulli, Ophathalmias quandoque *contagione* in alios diffundi, quod pariter probe adnotandum eſt, ut in cauſſam detegendam, avertendamque incumbamus “.

6. *Recentiſſimus hujus noſtri Operis Judex* in Libro ſecundo Inſtitut. Medicarum Partis Poſterioris, quæ eſt Noſologica,

 ubi

(*a*) Edit. Ticini Regii 1787.
(*b*) Ibid. Cl. I. Ord. II. Gen. VIII. p. 46.
(*c*) Ex verſione *Beerenbrockii* edit. Lugduni Batavorum 1779.
(*d*) Ibid. lib. II. cap. III. p. 128. ſeqq.
(*e*) Edit. Coloniæ Allobrogum 1787.
(*f*) Ibid. Part II. Tr. I. cap. III. §. 713. p. 332. ſeqq.
(*g*) Edit. Venetiis 1786.
(*h*) Volum. VI. cap. X. §. CCCVI. p. 86.

ubi de Ophthalmia [*a*], *non alia præter ſequentia nobis meditanda obtulit* ": Mirum, *inquit*, videtur, at certis interim conſtat obſervatis *Ophthalmiam* inter Morbos eſſe, qui *contagio* poſſunt traduci, & tali quidem, ut per halitus ad aliquam effundendos diſtantiam operetur. Cuicunque fortaſſe *Ophthalmiæ* proprium id non eſt; at interim prudenter de *omnibus* metuetur. -- Aliquam Morbi malignitatem arguit *contagioſa* hæc indoles, uti notavit *Lanzonus*, qui ejuſdem vidit exempla, itaut nil ſimile metuendum videatur in levioribus hujus Morbi gradibus. Ceterum hujus *contagii* veritatem nuper vidimus in inſigni caſu, quum non ſolum integra familia ſucceſſive eodem Morbo crudeliter fuerit vexata, ſed & Medicus illi curam adhibens eumdem contraxerit, unde alterius oculorum cœcitatem miſere tulit. Facile autem patet, hanc traductionem minime fieri ex oculo affecto ad oculum ipſi contiguum, quum hic contiguitatis caſus numquam detur, ſed ad aliquam diſtantiam agentem effluviorum potentiam neceſſario eſſe admittendam ".

7. *In hac igitur* Epidemicorum *Morborum hiſtoriæ particula*, *aliquid*, *ſi* non integre novum, *ſaltem haud bene exagitatum*, *veritatis Studioſis perpendendum nos attuliſſe videmur*.

§. 205. *Carbunculi.*) Cl *Andræas Loew*, ſequentia (*b*) fatur: „ *Menſe Junio Variolæ epidemice graſſantes maxime erant malignæ. Sic eas obſervavi in aliis cum* maculis purpureis, *in alio cum* vibicibus; *in alio ſuborti ſunt duodecimo die* furunculi *inſtar* anthracum; *in aliis* tumores *&* parotides *inſtar* bubonum: *Aliis* palatum, gingivæ, fauces *fuerunt exeſæ*: *Alios conſumpſit* calor hecticus *inflammatorius*. *Et fuerunt hæ Variolæ funeſtæ die decimo*, *vigeſimotertio*, *& vigeſimoſeptimo* ".

§. 206. *Alvi turbatæ*.) Jam (§. 89.) ſcripſit *Thucydides*, *quia immoderatum alvi profluvium invadebat*, *plerique poſtea propter debilitatem interibant*; cujus textus analogiæ

(*a*) Num. 460. cum not 6. p. 583. edit. Neapoli 1783.
(*b*) Conſtit. Epidem. Sempron. ann. 1708. apud Sydenh. tom. II. p. 496.

logiæ §. 122. ſatisfactum, cui accedere poterunt obſervationes a §. 95. ad 102. adnotatæ. De Alvi perturbationibus *Sacrorum Ignium* conſectariis, inferius opportuniore textu.

§. 207. *Ciborum faſtidia.*) Ciborum faſtidium inter Variolarum Symptomata *Ballonius* (§.97.), *Colle* (§.98.), & *Diemerbroeckius* (§. 99.) retulere; *Mercatus* vero (*a*) pro mali ominis ſigno id habuit.

§. 208. *Aliqui ſiticuloſi, aliqui non.*) *Thucydides*, qui hujus Varioloſæ Peſtis clariora tantum ſymptomata rimatus eſt, jam (§. 89.) inquit, *in puteos ſe dejecerunt ſiti inſedabili*; cujus loci comparationem §. 110. egimus. Sitis vero abſentiam notavit magnus *Hoffmannus* (*b*): „ *Virium*, inquiens, *a primo ſtatim* (*Variolarum*) *inſultu notabilis proſtratio*, *vertigo*, *vigilia aſſidua*, *ſub erecto ſitu lipothymiæ*, *pulſus debilis & frequens*, *effuſus ſudor*, *copioſa urina*, *ſalivatio*, *& inſolita muci e naribus ejectio* malignam *plane prodiderunt indolem*; *licet interdum nec dolor*, *nec* calor notabilis, *nec anxietas*, nec ſitis *adeſſent* ".

§. 209. *Urinæ turbatæ, multæ, malæ.*) Copioſam Urinam ſub Variolis malignis nuper (§. 208.) notavimus ex *Hoffmanno*. Cl. *Gahrliep* de Variolis epidemice graſſantibus (*c*) hæc enarrat: „ *Urina* varia *erat*: *quorumdam flammea & intenſe rubra*; *nonnullorum* turbida & opaca qualis jumentorum *eſſe ſolet*, *quæ poſt eruptionem Variolarum interdum vero per* aliquot dies *a protruſione adhuc* turbida *excernebatur*; *aliorum autem* pallida; *in uno alterove* cruenta ".

§. 210. *Diu ſoporoſi & rurſus inſomnes.*) „ *Sunt*, inquit Sydenhamus (*d*), *& alia adhuc ſymptomata*, *quæ in* quolibet Morbi ſtatu *occurrunt*, *tam* diſcreto *Variolarum* generi, *quam* confluenti communia: Phrenitis *v. g. a nimia ſanguinis ebullitione nonnunquam ægrum corripit . . . Aliquando eadem cauſa effectum longe diverſum*, *ſeu contrarium*,

Cc 2

(*a*) Oper. tom. II. lib. VII. cap. III. p. 491.
(*b*) Tom. IV. M. R. S. Part. I. Sect. I. cap. VII. obſ. I. p. 88.
(*c*) Conſtit. Epidem. Uratiſlav. anno 1700. apud Sydenh. tom. I. p. 205.
(*d*) Tom. I. Sect. III. cap. II. p. 44.

Digitized by Google

rium, *ut videtur*, *producit*, affectum *ſcilicet* comatoſum, *ita ut æger nunquam ferme evigilet*, *niſi continuo pulſu excitatus* ". *Loew* (*a*) ſic fatur: „ *Menſe Julio continuarunt Variolæ malignæ . . . Accedebant ſemper* cum ſomno, *ita ut nocte dieque dormiverint tribus aut quatuor diebus* ". De aſſidua Variolatorum maligne decumbentium vigilia unum exſcriptum [§. 208.] Hoffmanni textum allegaſſe ſufficiat, quum Praxin Factitantibus innumera quotidie ſeſe offerant exempla, & conferri poſſint §. 98. 99. & 101.

Parallelum trigeſimumnonum.

Febris ardens, phrenitis, ſerpentia oris ulcera, pudendorum tubercula, lippitudines, carbunculi, alvi perturbatio, ciborum averſio, ſitis ipſiuſque abſentia, urina turbulenta copioſaque, ſopor atque vigilia, ſymptomata ſunt, quæ ſicuti in *Sacris* Hippocratis *Ignibus*, ſic in Variolis occurrunt.

§. 211. *Multæ judicationes penitus interceptæ*, *quædam ægre contingentes*.] Quum probe noviſſet *Hippocrates* acutorum Morborum curationem uni naturæ, a Medico juvandæ opportuneque regendæ, prorſus eſſe committendam, apprime gnarus eoſdem [*b*] in *quatuordecim diebus judicari*, & quod [*c*] *ſi ſanguis ex naribus fluxerit*, *ſolvitur affectio* [febris, nimirum, ardens]; *itemque ſi ſudores accedant judicatorii*, *genuini*, *cum urinis albis & craſſis ac ſubſidentiis lævibus*; *& ſi abſceſſus aliquis fiat*: *ſi vero abſque his ſoluta fuerit*, *recidiva rurſus ægritudinis continget*; *aut coxæ*, *aut crurum dolor emerget*, *& craſſa expuet*, *ſi ſanus futurus eſt*; unde non pauca adſtruxit aphoriſtica documenta, uti illud [*d*]: „ *In acutis paſſionibus raro & in principiis medicinis purgantibus uti*, *& hoc cum præmedita-*

(*a*) Conſtit. Epidem. Sempron. ann. 1708. apud Sydenh. tom. II. p. 496.
(*b*) Sect. II. Aphor. XXIII. p. 74. cit. edit.
(*c*) Lib. Vict. acut. n. XXXIV. p. 297. 298. cit. edit.
(*d*) Sect. I. Aphor. XXIV. ibid.

Digitized by Google

ditatione faciendum "; aliud [*a*]: „ *Quum morbi inchoant, ſi quid movendum videtur, move; quum vero conſiſtunt ac vigent, melius eſt quietem habere* "; haud dubitandum venit, quin ipſe ſub acutiſſimis atque malignis *Sacris Ignibus*, multiplici funeſtorum ſymptomaton congerie ſtipatis, & plurimos interimentibus, ſatius habuerit *Spectatoris* & *naturæ Adjutoris* vicem ſolummodo gerere, quam per haud pridem probata remedia, perque mortes periculoſa experimenta pertentare: Præſertim quod tanto viro incomperta eſſe non potuerunt, quæ ſub hujus Morbi in Athenas primo impetu *Thucydides* adnotaverat, hiſce quidem verbis [§. 139.]: *Moriebantur autem, alii incuria, alii vero vel diligentiſſime curati: Nec ullum prorſus remedium, ut ita loquar, repertum eſt, quod adhibitum prodeſſet; quod enim alteri profuerat, hoc ipſum alteri nocebat*. Quum vero eodem *Thucydide* narrante [ibid.] *hoc morbi genus multo fuerit atrocius, quam quod oratione poſſit exprimi, & aliis in rebus gravius, quam ut humana natura ferre poſſit*; rationi fuit conſentaneum, ut, fatiſcente acutorum Morborum per criſes medicatrice natura, *multæ judicationes penitus interceptæ* eſſent, *quædam ægre contingentes*.

Analogia vigeſimaquarta.

§. 212. *Multæ judicationes penitus interceptæ, quædam ægre contingentes*.) Quæ §. 143. 145. & 146. interpretata ſunt, manifeſte idipſum in Variolis præcipue confluentibus omnino confirmant. Fatetur id etiam ingenuus *Sydenhamus* (*b*) his verbis: „ *Ex dictis itaque ſatis manifeſtum eſſe videtur in quam* incerto lubricoque ſit loco *tum* Morbus ille [*Varioloſus*] *de quo loquimur*, *tum* Praxis medica, quæ eidem accommodanda eſt: *Atque etiam exinde pronunciare auſim* illius famam, qui in medicando hoc morbo frequenter ſeſe exerceret, in anguſto verſari ". Difficiles

(*a*) Sect. II. Aphor. XXIX. ibid.
(*b*) Tom. I. Sect. III. cap. II. p. 47.

Digitized by Google

les Variolarum ſolutiones per experientiam fatetur *Hoyerus* (*a*): „ *Nonnulli*, inquit, *poſtquam* a malignitate Variolarum prorſus liberati quidem videbantur, *vel a materia morbifica* non prorſus eliminata, *vel ab Aeris injuriis*, *vel diæta neglecta*, *vel alia cauſa procatarctica* neſcio qua leviſſima, periculoſis, imo lethalibus affectibus aliis denuo corripiebantur . . . *Plurimos hoc pacto* Tuſſis *contumaciſſima vomitu quandoque comitata vexabat*, febre lenta ſimul *afflictos*. *Aliis* Abdomen intumeſcebat facie inflata, *infra caput* macie *conſpicua*, *quaſi rachitide laborantibus*. *Taceo* tumorem *pedum*, ſcabiem *tam* ſiccam, *quam* humidam, tineam, *variaque* ulcera, *quibus affligebantur alii* . . . *Quorum quidem plurimis* . . . . *Reliquos* Tabes *ſenſim conſumebat* ".

Parallelum quadrageſimum.

Et *Sacrorum* Hippocratis *Ignium*, & Variolarum ſolutiones vel prorſus interceptæ, vel ægre contingentes.

Anaſarca Sacrorum Hippocratis Ignium conſectarius Morbus fuit.

§. 213. *Hydropes*.] Ex difficili *Sacrorum Ignium* ſolutione *Aquæ intercutem* ſuboriebantur. Hoc triſte Variolarum difficile ſolutarum conſectarium modo [§. 212.] ex *Hoyero* notavimus. *Sydenhamus* [*b*] hæc fatur: „ *At vero in hac ſpecie confluentium æger etiam poſt diem vigeſimum contrucidabatur* : *Nonnunquam*, *etſi convaleſcerit*, quæ paucorum ſors erat, *non tantum* tibiæ intumeſcebant, [*quod quidem in Variolis confluentibus quibuſque* familiare eſt], *ſed* brachia *inſuper*, humeri, crura, parteſque aliæ. *Qui quidem* tumores *ab intolerabili dolore*, *rheumaticorum* per

(*a*) Diſſert. Epiſtol. de Mulhuſin. &c. Conſtit. Epidem. ann.1700. apud Sydenh. tom. I. p. 493.

(*b*) Tom. I. Sect. V. cap. IV. p. 85.

Digitized by Google

per omnia æmulo, tragœdiam ordiebatur: poſtea haud raro ſuppurabantur, & in ſinus ingentes, & partium muſculoſarum apoſtemata deſinebant, ægro in vitæ periculo etiam ad multos dies a diſceſſu Variolarum adhuc verſante". His conſentiunt quæ Cl. *Mortonus* [*a*] ſic refert: „*Denique, ubi natura venenatam lympham* criſi quaſi ſecundaria *in partes corporis extremas adeo copioſe amandaverit*, [*ſub hyemalibus maxime Variolis confluentibus*], *ut eæ ſeroſo latice inibi congeſto infarctæ*, & in molem immenſam auctæ ſupra modum intumeſcant; *hæ partes*, *præſertim* manus & pedes, *diu poſt morbum exactum a lympha extravaſata ſtagnante & concreſcente* ædematoſo tumore hydropicorum ad inſtar diſtentæ, frigidæ, nigricantes, *atque* ad motum inhabiles *animadvertuntur*; *verum abſque ſiti vel febre conjuncta*. *Affectus ſane moleſtus*, *qui neque periculo vacat*: *Utut enim ab* accidente præcedenti, *non autem a perenni fonte intus ſcaturiente oriatur*; gangrænis, & ulceribus *mali moris diu ſcatentibus anſam dat*".

Tabes Sacrorum Hippocratis Ignium conſectaria.

§. 214. *Tabidi multi.*] Difficilem *Sacrorum Ignium* ſolutionem [§. 212.], multæ Tabes ſunt conſequutæ. Variolis male ſolutis, apud *Hoyerum* [§ 212.] *reliquos Tabes ſenſim conſumebat*. *Tral'es* [*b*] hæc refert: „*Tuſſim ferinam*, tabem, *hecticam*, *phthiſim habent a Variolis* M.N.C. Dec. III. Ann. IV. Obſ. I." *Fernelius* [*c*] ſcribit: „*In has etiam* [internas partes] *finiri argumentum eſt*, *quod ſanatis* [Variolis] *& raucitas*, *& ſpirandi difficultas manet alias ſine tuſſi*, *alias cum tuſſi ad tabem deducta*". *Drelincurtius* [*d*] habet hæc: „*In pectus gliſcente viro eruginoſo tot Variolis phthiſicos notant Avicenna atque Neoterici*,

(*a*) Exercit. III. cap. X p. 463.
(*b*) Verati. noſtr. ætat. &c. quæſt. VII. apud de Haen tom. III. Opuſc. Med. Phyſ. p. 124
(*c*) De Abd. rer. cauſ. lib II. cap. XII p. 623.
(*d*) Apud Manget. tom. IV. B. M. P. p. 667.

rici, *quibus eo confidentius ſuffragor*, *quod nuper luxerim dilectiſſimum mihi pectus Variolarum tabo totaliter exeſum*". Ad hujuſce vero rei illuſtrationem non eſt cur non integrum exſcribamus inſignem quemdam textum , quem Cl. *Ballonii* Explanator *Jacobus Thevart* notatu digniſſimum nobis exhibet [*a*]: „ *Hic* , ait , *quæſtio moveri poteſt* , *quæ maximam utilitatem ægris eſt allatura* , *qua una re Medicus naturæ miniſter impendio magis delectari debet*: *an non*, *ſcilicet*, *bonum ſit ſanguinem demere & ante* , *& poſt eruptionem Variolarum*, *quum æger* totus ſcaber & fœdus elephantico non diſſimilis & febricitat & fœtet, & cutim offartam obſeratamque iſta ſcabie, *&* totum corpus difficile perſpirabile habet; *& denique* carnes corrumpuntur , *& quaſi* in virus iſtud putre dilabuntur *&* colliquantur . *Proprium autem eſt caloris maligni & peſtilentis ut &* urat, corrumpat, *&* corpus liquefaciat. *Urat quidem quia calor peſtilens in carnibus & membranis quaſi ſenſum* carbonis urentis *infert*, *& calorem naturalem* depaſcitur *&* extinguit, corrumpit, inficit, *& neſcio* quam vim *humoribus imprimat* , *ut* ecthymata , carbones , *&* puſtulæ *appareant* , *& ex humore miti* efferum *&* malignum *reddat* , liquefaciat . *Id experientia didicimus his temporibus* , *in quibus ſæviit in* vulgus febris purpurata . *Nam qui* evaſerunt, fere omnes tabuerunt, *liquefacto toto corpore ex profluvio alvi ſpontaneo quaſi minime ſentientibus ægris*. *Denique quemcumque humorem attigerat* calor iſte malignus *&* peſtilens , *is omnis excretus eſt* , *&* non deſiit febris donec corpus quaſi exhauſtum , aridum , *&* ſqualidum redditum *fuerit* , *ſicque remanſerit* ſola corporis epigrafe, ſolus ſceleton. *Hippocrates libro tertio epidemicorum duo obſervat* in ea immani *&* communi Peſte . . . . [*Primum*] *quod ea putredo fuit alia*, *ideſt*, *non vulgaris & ſolita* ; *ſed inſolens & ſymptomatum inſolentium procreatrix*. *Poſterius*, *quod* multi tabidi interiere. *Galenus ad deſtillationem a capite refert*: *Ego vero ad colliqua-*

(*a*) In Ballon. Epid. & Ephem. lib. I. Conſtit. IV. ann. 1571. annot. IV. p. 32. 33.

liquationem pravi humoris in pulmone, ſicut & in cæteris partibus . . . Sic in peſtilenti·*febre*, *in* Morbillis & cæteris id genus morbis, qui ſe affinitate attingunt, *eſt dolor* oſtocopos, *& ſenſus quaſi ponderis & gravitatis, ut neutram in partem flecti poſſit corpus . . . In* Morbillis *&* Variolis, *imo in* Peſte *fiunt excretiones ſanguinis ſpontanea* ". Si egregius *Thevartius* cognitum habuiſſet, *Hippocratem*, *Sacrorum Ignium* nomine, haud Peſtim *bubonicam*, ſed Varioloſam deſcripſiſſe; ſumpto equidem ab *Hippocrate* initio, *Tabem* Variolis difficile ſolutis ſæpius ſupervenire commentatus eſſet. *Tabidi multi*.) Hi quidem tabidi ſunt, de quibus ipſe §. 182. ſcripſit: *Per hyemem quidem ſani degebant, exceptis tabidis, de quibus ſcribemus*: An contagioſæ *Tabis* ſeminium ab exoticis Regionibus in Europam inceſſit? Equidem quæ *Tabes* a *bubonica* Peſte, Variolis, Morbillis, Roſolia, Lepra, Scorbuto, Lue Venerea, aliiſque *epidemicis Morbis*, contagioſa *miaſmata* poſſidentibus, (§.21.) ſunt progenies, in ſanos contagione proſerpunt: quæ vero ab *Endemicis* (§. 26.), *Conſtitutionalibus* (§. 28.), *Sporadiciſque* (§. 30.) ortum ducunt, utpote contagioſis ſeminibus deſtitutæ, contagioſæ non ſunt. Perpendant ingenui Aſclepiades, an, in judiciis de Tabis, Phthiſeoſque contagione ferendis, ad Morborum Genera, quæ eas diſcriminant, ſummopere reſpiciendum ſit.

Parallelum quadrageſimumprimum.

Aquæ intercutem, ac Tabes igitur uti *ſacrorum* Hippocratis *ignium*, ſic Variolarum ſunt Morbi conſectarii.

Additio tertia.

„ *In compertis habemus* Tabem, Phthiſin, Hecticam, *ultimis hiſce temporibus, Sereniſſimi Hetruriæ Magni Ducis curas, humaniſſimo Principi, atque ſubditorum Sanitatis Cuſtodi proprias dignaſque, ita ſollicitaſſe, ut legem tulerit, qua omnium hiſce Morbis denatorum veſtes, linteamina, idque genus*

 a'ia,

alia, *igne cremarentur*, *atque domus*, *deſtructo veteri tectorio*, *recenti fucarentur*; *ne ab hiſce rebus contractum contagium in ſanos proſerperet*; *idque tuendæ Publicæ Sanitatis Studium* Neapoli *nuper in uſum vocatum*, *nuperrime*, *concitatis Medicorum*, *aliorum contagium his Morbis concedentium*, *illorum denegantium*, *diſcrepantibus judiciis*, *proſcriptum fuiſſe*. *Diſceptatum equidem in Scholis Medicis*, *nondum hactenus definitum*, *an quævis* Hectica, Phthiſis, *ſive* Tabes *contagio muniatur*, *necne*; *& qui mediam tenuere viam*, Hecticæ *ſic dictæ* Simplici *contagionem denegarunt*, Purulentæ *vero conceſſere*, *nullo habito Morborum diſcrimine*, *quorum id Morbi genus ut plurimum eſt confectarium*. Sauvageſius *de* Tabe, Phthiſi *&c. agens* (*a*), *illius a Variolis*, *nec contagioſæ meminit*. Macbridius (*b*) Phthiſim hæreditariam *ſeminibus ſtipatam refert*; *de* Hectica *vero*, Phthiſi, *ſive* Tabe contagioſa *ne quidem verbum fecit*, *etſi de his ſpeciatim pertractaſſet* (*c*). Cullenius, Hecticam *ex Sauvageſio vult perpetuo* Symptomaticam (*d*); Phthiſin *adhuc a* Scorbuto, *&* Syphilide *admittit* (*e*); *de* Tabe (*f*), *nihil ad rem*. Ludwigius *de* Hectica *ſub* febris lentæ *nomine egit* (*g*), *ſed inter ejus cauſas nullum ex contagioſis Morbis recenſuit*; *pro* Phthiſi *vero* (*h*) *hæc perpendenda obtulit*: „Contagioſum & hæreditarium hoc malum eſſe multi adſerunt; quod quidem adſertum variis obſevationibus confirmatur; forte tamen occaſionales & prædiſponentes cauſſæ plus valent, & haud raro in morbo inducendo hæreditarii & contagioſi morbi *ſpeciem* ſiſtunt". Burſerius (*i*) *cum Galeno* Hecticam primariam *admittit*; *inter ſecundarias eam*, *quæ ex* Scorbuto *&* Lue Venerea *ortum trahit*, *adnumerat* (*k*); *interque ejus procatarcticas cauſas*, *Variolas atque*

(*a*) Pathol. Method. Cl. X. Ord. I. p. 179. ſeq.
(*b*) Introd. Method. &c. cap. XX. p. 105.
(*c*) Ibid. cap. XIX. XX. & XXI. p. 102. ſeqq.
(*d*) Synopſ. Noſol. Meth. Cl. I. Ord. I. Sect. II. Gen. VI. p. 38.
(*e*) Ibid. Ord. IV. Gen. XXXVII. p. 112.
(*f*) Ibid. Cl. III. Ord. I. Gen. LXIX. p. 207.
(*g*) Inſtit. Medic. Clin. Part. I. cap. I. Sect. IV. §. 249. p. 111.
(*h*) Ibid. Part. II. Tract. II. cap. IV. §. 784. p. 366.
(*i*) Inſtit. Med. Pract. Vol. II. §. CCCXIV. p. 129.
(*k*) Ibid. §. CCCXVI. p. 132.

atque Morbillos adhuc apponit [*a*], *at de ejus contagione nil refert memorabile*: *Qui de hoc Opere noſtro ſententiam tulit*, *ubi de* Febre lenta, vel Hectica, Tabe, Phthiſi [*b*], *nulla ad Inſtitutum exſcribenda proponit*. *Perpendant igitur Veritatis Inveſtigatores*, *Publicæque Sanitatis Præſides*, *num ſuperius* [§. 214.] *per nos Medicinæ Æſculapiis*, *pro diſtinguenda* Tabe contagioſa *a* ſporadica, conſtitutionali, *atque* endemica, *traditum ſymbolum*, *aliquid utilitatis Reipublicæ afferre valeat*.

§. 215. *Atque hi quidem erant populares morbi*.] Hic græcum verbum *epidemeſanta* ex *Scaligero* ſignificat Morbos vulgares, vulgivagos, qui vagantur per populum, graſſantur & populantur; & ex ipſo *Galeno* Morbi peregrinatores intelliguntur, uti §. 14 adnotatum eſt. Ex quibus clarum eſt, haud recte ab aliquibus rei Medicæ Scriptoribus illa Hippocratis verba *nuſimata epichoria* ad *epidemicos* Morbos translata fuiſſe. His enim verbis indigenas, „ locorum proprios, patrios, ſive *endemicos* Morbos magnum Senem intellexiſſe, ex *libro primo de Aer. Aqu. & locis n. I. & IV. p.* 327. 330. 331. *cit. edit.* dilucide patet; ſicuti ibidem patet, Morbos omnibus *communes ex temporum mutatione* obortos, eumdem haud vocaſſe *Epidemicos*. *Populares Morbi*.] *Thucydides* §. 66. inquit: *Medici . . . eo magis interibant*, *quo magis ad ægrotos accedebant*; & populariter *Morbum* graſſatum eſſe §. 80. 130. 139. & 172. clare retulit. *Galenus* hunc *Hippocratis* locum [*c*] ſequentibus interpretatur: „ *Unus de vulgaribus Morbis & ipſe* peſtilens *eſt*, *ut in libro quoque de victus genere acutorum dictum eſt his verbis*: „ Nam ſi quando nulla morbi peſtilentis forma communis vulgetur, cæterum diſperſi ſint morbi ": *Neque enim* certi eſt morbi nomen vulgare *vel* peſtilens: *cæterum quicunque* uno in loco multos ſimul invaſerit, vulgaris hic vocatur: qui

(*a*) Ibid. §. CCCXVIII. p. 134.
(*b*) Lib. II. Inſtit. Medic. Partis Poſterioris &c. §. 772. p. 219.
(*c*) Cl. III. in lib. III. Hipp. de Morb. vulg. Comment. III. text. XX. p. 142. B.

Digitized by Google

ſimul ſi hoc habeat ut multos perimat, Peſtis fit ". *Hippocrates* in textu de vict. gen. acut. per Galenum citato, non dixit *nulla morbi alicujus forma communis vulgetur*, ſed quidem *nulla morbi peſtilentis forma communis vulgetur*, probe ſcius non unam eſſe Peſtis ſpeciem, ſed (§. 62.) multiplicem. Neque enim *Hippocrati* ſatis eſt *forma communis*, & *popularis graſſatio*, ut aliquis morbus peſtilens dicatur, quum *populariter graſſari* omnibus quatuor Morborum generibus [§. 19.] commune ſubeſſe cognoverit, & *formam communem Endemicis* pariter [§. 23.], atque *Conſtitutionalibus* [§. 18.] illis verbis, *præterquam ſi morbus aliquis omnibus communis ex temporum mutatione oboriatur; nam & hujus participes ſiunt*, attribuerit; ſed ut peſtilens aliquis nominetur Morbus a *morbidis ſordibus*, *morboſaque exhalatione* contagium includente [§. 20.] ortum ducat neceſſe eſt. *Galeni* pace dicam: *Quicumque Morbus uno in loco multos ſimul invadit*, *vulgaris* haud vocandus venit, ſi *vulgaris* idem ſonat ac *epidemicus* (§. 14.) ſive *contagioſus*: ſicuti neque *qui ſimul* (cum vulgari nimirum graſſatione) *ſi hoc habeat ut multos perimat*, peſtilens ſit decernendus; utpote quod & *Endemici* (§. 24.), & *Conſtitutionales* (§. 27.), quinimo & *Sporadici* Morbi (§. 29.) *uno in loco uti multos ſimul quandoque invadunt*, ſic *multos perimunt*. *Sacri* vero Hippocratis *ignes*, quum una eademque fuerint (§. 177.) Varioloſa Peſtis, ac *Morbus* Athenienſium a *Thucydide* deſcriptus, ab *Æthiopia* contagione (§. 80.) eruptus, inque *Athenas* invectus, natura *epidemici populariter vulgabantur*. Et qui ab ipſis eructabantur Morbi conſectarii, *Lippitudines*, *Tabes*, *Febres Ardentes &c.*, quum ejuſdem fuiſſent indolis ac naturæ, adhuc populariter graſſati ſunt. Horum quidem *Miaſmata* exotica & natura *epidemica* a principalibus *Miaſmatibus* avulſa, ſeparata, & ſui juris facta, Morbos ſibi peculiares excitarunt, ſucceſſivaque ſuorum generatione longe lateque vulgari, quinimo ab una in alteram regionem hominum commercio tranſmeare potuerint, eoſdem affectus perpetuo productura.

§. 216.

§. 216. *In ſingulis autem relatis ſpeciebus ægroti, & moriebantur multi.*) *Hippocratis* mentem ipſe *Galenus* hic neque probe aſſecutus eſt. Hunc enim textum ſic explicat (*a*): „ *Quum dicit* & complures moriebantur, peſtilentes *fuiſſe morbos, qui vulgarentur, demonſtrat: qui quando diverſi fuerunt de ſingulis ſeparatim* infra acturum *promittit*". Peſtilentes ſi quidem non quia ex iis *complures* mortui ſint, (§. 215.) ſed quod contagio muniti: & verbum *relatis* denotat morbos, de quibus hucuſque egit, non autem de *quibus infra acturus ſit*. Relata *ſacrorum ignium* varia genera facile comperiuntur in illis *Hippocratis* verbis (§. 183.), *ſacri ignes multi quibuſdam cum occaſione, quibuſdam non*; quorum multiplices ſpecies (a 195. ad 199.) enumeratæ ſunt; hiſque a *Galeno* addendæ erant *Lippitudines* (§. 204.); *Alvi perturbationes* (§. 206.); *Hydropes* (§. 213.) *multæque Tabes* (§. 214.). Variolas *populariter vagari, multos interimere*, & *epidemicas* eſſe, haud opus eſt, ut ultra demonſtremus.

Parallelum quadrageſimumſecundum.

Popularis itaque *ſacrorum ignium* graſſatio, ab ipſiſque patrati interitus a Variolis non ſejunguntur.

Sacri Hippocratis Ignes, a parvis ulcuſculis circa caput incipientes, in totum corpus prorumpebant.

§. 217.

„ *Acciderunt autem ſingulis horum hoc modo. Multis equidem* Ignis Sacer *cum* occaſione *ex vulgaribus & valde* parvis ulcuſculis in toto corpore, *maxime ſexagenariis, circa caput; ſi vel parum neglecta eſſent. Multis vero etiam in ipſa*

(*a*) Ibid. text. XXI. C.

Digitized by Google

ipſa curatione inflammationes magnæ fiebant; & Sacer Ignis multus, brevi, undique depaſcebatur".) Poſtquam generalem *Sacrorum Ignium* diverſimode graſſatorum indolem ſimul & notionem *Hippocrates* tradidiſſet, ad particulares deſcendit notatu dignas obſervationes, ſubditque *multis equidem ignis ſacer cum occaſione ex vulgaribus & valde parvis ulcuſculis in toto corpore.*) Si quis etiamnum dubius hæſerit, num *Sacri* Hippocratis *Ignes*, & *Morbus* a Thucydide enarratus, unam eamdemque conſtituerint Peſtim, & quidem varioloſam, ne gravetur hunc *Hippocratis* textum comparare cum *Thucydidis* illo (§. 89.): „ *Et corpus quidem exterius tangenti non erat admodum calidum, neque pallidum, ſed ſubrubrum, lividum, parvis puſtulis, & ulceribus efflorefcens*", memorque illorum, quæ §. 177. & §. 182. adnotata ſunt, omnem hac ſuper re ſibi adimet ſcrupulum.

Analogia vigeſimaquinta.

§. 218. *Ex vulgaribus & valde parvis ulcuſculis in toto corpore &c.*) Hujus textus analogia ex §. 107. & 119. repetenda, ne crambem recoquere videamur.

§. 219. *Maxime ſexagenariis, circa caput, ſi vel parum neglecta eſſent.*) *Thucydides* jam ſcripſit (§. 89.): „ *Morbus, qui primas in capite ſedes collocarat, per totum corpus, initium a ſummis partibus ducto, pervadebat*"; & hujus textus cum Variolis comparationem §. 119. tradidimus. Ætate adultos ac ſenes Variolis invaſos durius præ pueris fatum ſortiri, iiſdemque confluentibus vel diligenter pertractatis, caput in monſtroſam excreſcere molem, Praxin Exercentibus notum eſt. Utut enim maxima virorum mulierumque pars, hoc morbo per tot ſæcula per *Europam* frequentiſſime vulgato, ejus periculum ſub pueritia evaſerit, quod ab *Athenienſibus* nondum (§. 66.) eumdem paſſis longe fuit; noſtris tamen diebus haud deſunt exempla illorum, qui in ſenio Variolas perpeſſi ſunt: cujus

Digitized by Google

jus rei clara præbent teſtimonia *Stegmannus* (a) atque *Van-Swietenius* (b).

§. 220. Multis vero etiam in ipſa curatione inflammationes magnæ fiebant, & ſacer ignis multus, brevi, undique depaſcebatur.] Per Thucydidem [§.89.] „ *Morbus in ventrem inferiorem deſcendebat, & exulceratio vehemens in ipſo naſcebatur . . . Morbus enim, qui primas in capite ſedes collocarat, per totum corpus . . pervadebat* “. Primæ hujus textus particulæ analogia jam §. 120. 198. & 199. abſoluta eſt, & quidem ita, ut ſecundo adhuc articulo ſatisfaciat.

Parallelum quadrageſimumtertium.

Parva ulcuſcula toto corpore efflorescentia, inque ſenibus caput præcipue impetentia, ipſiſque ſupervenientes magnæ inflammationes, ſive vehementes exulcerationes, ſicuti in *Sacris* Hippocratis *Ignibus*, ita & Variolis contingunt.

Sacri Ignes poſt eorumdem deceſſionem maculas atque cicatrices affectis partibus inurebant.

§. 221.

„ *Plurimis igitur ipſorum abſceſſus ad ſuppurationes contigerunt: carnium, & nervorum ac oſſium elapſus magni. Erat autem & fluxio collecta non puri ſimilis, ſed alia quædam putredo, & fluxio multa ac varia. Quibus igitur circa caput horum quid fieri contigit; his glabricies totius capitis ac menti fiebat: & oſſium denudationes ac elapſus; & multæ fluxiones.* Ex §. 183.

Ana-

(a) Conſt. Epid. ann. 1698. apud Sydenh. tom. I. p. 196.
(b) Tom. IX. in Boerh. §. 1381. p. 6. 7.

Digitized by Google

§. 222. „ *Plurimis igitur ipſorum abſceſſus ad ſuppurationes &c.*] Ajebat *Thucydides* [§.89.]: „ *In ipſa quoque pudenda & in ſummas manus, ſummoſque pedes* [Morbus] *prorumpebat: multique his membris capti mortem vitarunt: nonnulli etiam oculis amiſſis* “. Hæc omnia, imo & plurima, ſub Variolis evenire §. 124. 125. 126. 127. & 128. ſatis probatum manet. Ne vero & hic ſicco pede Hippocratem tranſeamus, ſequentia addenda ducimus: „ *Acidum corroſivum*, inquit Dolæus (*a*) juxta ſua loquutus principia, *hic peccare oſſa in Variolis eroſa teſtantur, quemadmodum* Limburgi *ad* Lanum *miſere agentem puerum, cujus oſſa ita eroſa, ac nunquam in lue venerea fieri potuit, triſtis* ſpectavi “. Mortonus (*b*): „ *Ubi natura poſt Variolas deſquamatas languida & congreſſui impar, aut evacuationibus intempeſtivis elumbis facta hoſtem adhuc deliteſcentem adoriri & propulſare nequeat; virus vero, ægrotante interea diu anorexia & intemperie hectica confecto, eo exaltatum fuerit, ut demum oſſibus aut carni muſculoſæ in quavis parte* ſphacelum *intentet; de vita patientis plane conclamatum eſt. Quid? quod non ex quovis accidente, verum ex flamma vitæ veneno pene extincta, & maſſa humorum inde in ſtatum* gangrænoſum *redacta, ac ſi a perenni fonte* ſphacelus *jam ortum ſuum ducat*, plures artus, *vel oſſa ſimul derepente prehendens, aut ſaltem ab una parte in alteram ſenſim ſerpens, cui ſiſtendo nullus remediorum apparatus par eſt; ægrotans autem vanis jam artis ſubſidiis, quippe jam ſero nimis, atque inde incaſſum allatis, inter frequentes & nigras* exoſtoſes, *& exedentes & fœtidas gangrænas animam brevi efflat* “.

§. 223. „ *Erat autem & fluxio collecta non puri ſimilis, ſed alia quædam putredo &c.*] *Thucydidis* verba (§. 130.) hæc fuerunt: „ *Etiam hoc indicio maxime declaravit, ſe*

(*a*) Enciclop. lib. IV. cap. VI. §. XII. p. 334.
(*b*) Exercit. III. cap. X. p. 459.

ſe aliquid aliud eſſe , quam aliquod familiarium : *Nam alites*, *& quadrupedes*, *quotquot humanis cadaveribus veſci ſolent*, *cum multa jacerent inſepulta*, *aut non accedebant*, *aut*, *ſi guſtaſſent* , *interibant* ". Cujus textus generalem analogiam §. 134. & 135. appoſuimus ; & ſi forte ipſius momentum ibi haud apte librati ſumus , ſequens Hippocratici nunc exſcripti textus cum Variolis comparatio , ab ulteriori conſideratione nos expediet. Probe equidem *Hippocrates* aſſequutus erat laudabilis puris conditiones , quum ſcripſerit (*a*) : „ *Pus* , *optimum eſt* , *ſi eſt* album , *&* æquale , *&* leve , *& quam minine* graveolens : *Quod vero huic contrarium eſt*, *peſſimum eſt* ". Hic vero ab abſceſſibus ulcuſculiſque, *Ignium Sacrorum* virulentia concitatis , haud pus *album* , *æquale* , *leve* & *minime graveolens* , ſed *alia quædam putredo* , *& fluxio multa ac varia* extitit . Supra §. 196. ex Sennerto notavimus *alias* Variolas *ex hoc*, *alias ex illo humore conſtare*; *alias eſſe albas*, *alias rubicundas*, *ſubflavas*, *lividas*, *violaceas*, *ſubnigras*, *coloris varii*; *alias tactu duras ob craſſitiem & duritatem materiei*, *alias molles humore aqueo vel flatu etiam turgentes*. Variolæ itaque , præcipue confluentes , *fluxionem puri ſimilem* haud contrahunt ; *ſed aliud quiddam putredinis* , & *fluxionis multæ ac variæ genus*, pro multo varioque ipſarum humore, ſicuti *Sacri* Hippocratis *Ignes*, eructant: „ *Si morbus* (*Varioloſus*) , inquit Boerhaavius (*b*) , *vehementiſſimus* , ichor gangrænoſus loco puris, tota fere cutis occupata ; facile *patet cur* infelicem *adeo* , *imo* ineluctabilem perniciem *adferat hic Morbus* ". Conf. §. 124. 125. 126. 127. , & præ cæteris §. 133.

§. 224. *Quibus igitur circa caput horum quid fieri contigit* , *his glabricies totius capitis ac menti fiebant* ; *& oſſium denudationes ac elapſus &c.*] Ex *Thucydide* ſequentia ſunt narrata [§. 89.] : „ *Morbus* , *qui primas in capite ſedes collocarat*, *per totum corpus*, *initio a ſummis partibus*

Ee *ducto* ,

(*a*) Lib. I. Prænot. n. VII. p. 453. cit. edit.
(*b*) Aphor. de cognoſc. & curand. Morb. §. 1403. p. 230.

Digitized by Google

ducto, pervadebat. Et ſi quis ex maximis illis periculis evaſiſſet, extremæ tamen corporis partes, quæ captæ læſæque remanebant, eum hoc morbo laboraſſe teſtabantur ". Hujus ad noſtrum inſtitutum magni ponderis textus analogiam §. 124. & ſeqq. aſſequuti ſumus. *Hippocratis* vero mentem hic [*a*] *Galenus* nobis aperit: „ *Humorum*, inquiens, *putredo, cujus eſt commune munus, ut illas partes, in quas impingat, corrumpat*, terribiliorem in capitis partibus ſpeciem præbet; *propterea quod, licet vel paulum de natura* hic *deflectant*, major fiat ſugillatio, *quam cæteris in partibus multum a natura divertentibus. Nam a femore, vel brachio, vel tibia, vel cubito*, ſi cutis receſſerit, *minorem præbet mali ſpeciem*; at ſi capitis una cum cute crines defluxerint, *atque* adeo menti cum illis, vitii fit facies magna, *periculum vero minus, quam ſi is naturalia affectus teneat, ut guttur, aut thoracem, aut aliam principem partem* ". Per *Galenum* igitur *Sacri* Hippocratis *Ignes, faciei cutis receſſione* ac *ſugillatione, terribiliorem in capite, quam in cæteris partibus ſpeciem præbuere*, quod idem ſonat ac ipſius faciei deformitatem. Qui *bubonicas* Peſtilitates, §. 128. citatas, diligenter perpenderit, eaſdem nunquam faciei turpitudinem, perpetuamque ſugillationem ex cutis ipſius receſſione attuliſſe comperiet; & contra id, maxime imbelli ſexui luctuoſioris, infortunii quotidie a Variolis produci in confeſſo jam habet.

§. 225. *Totius capitis & menti glabrationes.*] Tineam a Variolis genitam vidit *Hoyerus* [§. 212.] vidit & *Ettmullerus* [*b*]; quod ſi noſtræ hic locum habent obſervationes, & nos quater vidimus. Menti glabrationes autem teſtantur, quotquot a paſſis Variolis barba per totum vitæ ſpatium haud amplius condecorat. *Et oſſium denudationes, ac elapſus & multæ fluxiones fiebant.*] His majora a Variolarum gangrænoſo ichore promanantia capitis & totius corporis mala §. 126. 133.

(*a*) Cl. III. in Lib. III. Hippocr. de Morb. Vulgar. Comment. III. text. XXV. p. 143. G.

(*b*) Golleg. Conſult. de Variol. Caſ. XXXIX. p. 851.

Digitized by Google

133. & alibi paſſim ſunt relata . „ *Pellicula hæc*, inquit Sydenhamus [*a*], *ſeu ſcabies omnia pervadens*, *ubi primum deciderit nulla quidem ſcabritio vultum afficit*: *At vero mox illam excipiunt ſquamulæ furfuraceæ indolis perquam corroſivæ*, *quæ non modo patentiores excavant foveas*, *quam ſolent Variolæ diſtinctæ*, *ſed etiam* faciem *cicatricibus fœde deturpant*. *In confluentium genere*, *ſi admodum ſævierit Morbus*, humerorum *etiam & dorſi* cuticula *nonnunquam deperditur*, *nudatis partibus ſubjectis expoſitiſque* ".

Parallelum quadrageſimumquartum.

Sacri Hippocratis *Ignes* variis abſceſſibus, membrorum mutilationibus, gangrænoſo ichore, capillorum ac barbæ defluvio, atque faciei perpetua deformitate, quam Peſtis *bubonica* nunquam produxit, uti Variolæ, ſtipati ſunt.

§. 226.

„ *Et hæc in Febribus*, *& ſine Febribus*. *Erant autem hæc horrenda magis quam mala*. *Quibus enim ad ſuppurationem talium maturatio pervenit*, *horum plerique ſervabantur* ". Ex §. 183.

Analogia vigeſimaſeptima.

§. 227. *Et hæc in Febribus &c.*] Medicina ſub incunabulis morante, Febris ac Pulſus notio ita fuit obſcura, ut non defuerint qui vel cum ipſo *Galeno* aſſerere non dubitarent, magnum *Hippocratem* doctrinam de Pulſibus haud probe perſpectam habuiſſe. Graviſſimum vero Senem hac culpa exſolvit Ill. *Zaninus* apud *Ballonium*. Haud mirum itaque ſi *Thucydides* in tota Athenienſium *Morbi* hiſtoria Febrim ne quidem nominaverit. Non enim tunc temporis tam perſpicua res erat, ut præter celebres Medicos hiſtoricis vel diſertiſſimis pateſceret. . Quæ reliqua Hippocratici textus eſt pars apud *Thucydidem* invenitur §. 89. his ver-

 bis

(*a*) Tom. I. Sect. III. cap. II. p. 43.

bis expoſita : „ *Nam in ipſa quoque pudenda , & in ſummas manus ſummoſque pedes* [Morbus] *prorumpebat, multique his membris capti mortem vitarunt* “. *Iſtaque partim in Febribus*.] Abſceſſus nimirum , membrorum mutilationes , faciei cutis deſquamationes modo cum Febre, modo ſine ea contingebant. „ *Licet hoc contagium* , ait Swietenius [*a*] , *ſuſceptum turbet omnes functiones Corporis , Febrimque validam ſæpe excitet , tamen hæc omnia tolerari poſſent : raro enim moriuntur hoc morbo antequam papulæ eruperint* ; *quibus erumpentibus Symptomata ſolent minui* , imo quandoque integre ceſſant . *Verum ſi hoc venenum multa ſibi aſſimilaverit in corpore* , *tunc numeroſæ admodum papulæ naſcuntur* , *quæ* , dum inflammantur , *&* ſuppurantur, novam Febrim accendunt, *qua ſæpe pereunt ægri*. *Poſtea a pure reſorpto & adhuc magis a* tabo gangrænoſo , *ſi pejoris indolis fuerint Variolæ* , putrida Febris accenditur, *qua plurimi hoc morbo decumbentes moriuntur* ; *imprimis ſi interiora Corporis ſimiliter affecta fuerint , ac cutis externa* “. Ill. *de Sauvages* [*b*] ſequentia ſcripſit : „ *In tertio ſtadio puſtulæ nigreſcere incipiunt* , *aperiuntur* , *& ichorem emittunt fœtentem* , *cruſtaque dein nigra obducuntur* ; tunc Febris *aliaque ſymptomata* penitus deſinere ſolent, *niſi* Febris maligna *cum variolis complicetur*, *vel multa cacochylia, morbo invadente* , *intra corpus latens & exaltata* Febrem *cum reliquis ſymptomatis foveat* “. *Partim ſine his* [febribus nimirum] *aderant*.] Patet hujus textus comparatio ex obſervationibus , quas nuper *Swietenius* ac *de Sauvages* notarunt , & quotidiana firmatur experientia , inferiuſque dicendis.

§. 228. *Erant autem hæc horrenda magis quam mala*.] Hæc, abſceſſus nimirum , membrorum mutilationes , atque faciei vaſtationes , ſine Febre evenientes , terrorem ſimul & cruciatum, haud tamen vitæ diſcrimen inferebant . Quæ ingenuus *Sydenhamus* de unis faciei cicatricibus ſcripſit , pe-

(*a*) Tom. IX. in Boerh. §. 1388. p. 46.
(*b*) De Morb. infant. cap. XXX. Art. III. p. 142.

Digitized by Google

peroptime de reliquis abſceſſibus, recedente Febre, Varioloſo Morbo accedentibus intelligi queunt: „ *Facies*, inquit [*a*], *ne cicatricibus deturpetur*, *nihil quicquam molior*, *quum olea*, *linimenta &c. id tantum agant*, *quo tardius evaneſcant albi iſti furfures*, *quibus ſe invicem pellentibus excipientibuſque poſtquam* æger jam lecto ſurrexit ac mediocriter valet, *paulatim* ſuccedunt fœdæ illæ cicatrices. *Sed* ab his non valde metuendum eſt ægro, *ubi ob regimen moderatius puſtulæ minus exacerbatæ nullam qualitatem cauſticam contraxere* ". Conf. §. 127.

§. 229. *Quibus enim ad ſuppurationem talium maturatio pervenit*, *horum plerique ſervabantur*.] Plerique, non omnes, quia non omnes abſceſſibus abſque Febre impetebantur, ſed eorum aliqui ipſa adhuc vigente, aut ſuperveniente. Vel ipſe *Rhazes* [*b*] hæc probe adnotavit: „ *Quando ſub finem Variolarum tumultus ſit*, *& hinc ægrotum occupat dolor vehementiſſimus vel in* crure *vel in* manu, *vel in* aliquo alio membro, *aut puſtulæ celeriter convertuntur in viridem & nigrum colorem*; *quum poſtea vires ſiunt debiliores*, *quam erant antea*, *augetque frequens reditus doloris debilitatem*, *& varios colores receperit id membrum*, *hæc ſunt interitus ſigna*. Quod ſi tamen nihilominus augeantur vires, [*Febris abſentiam quæ teſtantur*], incolumis evadet ægrotus, *& membrum illud ſanabitur* ".

Parallelum quadrageſimumquintum.

Et *Sacri* Hippocratis *Ignes* & Variolæ abſceſſus atque ſuppurationes ſortiuntur modo præſente, modo fugata Febre, ad ſalutem, vel interitum.

Reperi

(*a*) Tom. I. Sect. III. cap. II. p. 51.
(*b*) Apud Mead. Tract. de Variol. cap. XIV. p. 68.

Digitized by Google

Repentinæ Sacrorum Hippocratis Ignium receſſiones mortem inferebant.

§. 230.

Quibus vero inflammatio quidem & Ignis Sacer diſceſſit, talem autem nullum abſceſſum fecit, horum multi perierunt. Similiter autem & ſi alicubi in alia corporis parte horum quid oberraret, hæc acciderunt. Multis enim brachium, & totus cubitus defluxit. Quibuſdam vero hæc affligebant latera, aut anteriorem aut poſteriorem aliquam partem. Quibuſdam autem totum femur, vel tibiæ denudabantur. Erat autem ex talibus omnium graviſſimum, ubi circa pubem & pudenda accidiſſet: & circa ulcera quidem & cum occaſione, hujuſcemodi erat. Ex §. 183.

Analogia vigeſimaoctava.

§. 231. *Quibus vero inflammatio &c.*] Si unam, Medico quidem propriam, obſervationem a magno *Hippocrate* animadverſam, & hoc in textu traditam, quod nimirum, evaneſcente *Sacro Igne*, abſque ullo in externis corporis partibus decubitu, mors ſequebatur, excipiamus; quæ reliqua a Sene *Coo* hic enarrantur, adhuc & *Thucydides* obſervaverat. Scripſerat enim [§. 89.]: „ *Et ſi quis ex maximis illis periculis evaſiſſet, extremæ tamen corporis partes, quæ captæ læſæque remanebant, eum hoc morbo laboraſſe teſtabantur. Nam in ipſa quoque pudenda, & in ſummas manus, ſummoſque pedes prorumpebat; multique his membris capti mortem vitarunt; nonnulli etiam oculis amiſſis* ".

§ 232. *Quibus vero inflammatio quidem, & Sacer Ignis diſceſſit, talem autem nullum abſceſſum fecit, horum multi perierunt*]. *Drelincurtius* (a) ſic fatur: „ *Aſt maxime lethales Variolæ quæ, ubi egreſſæ ſunt,* denuo evaneſcunt, & tumor partium remittitur: *Ex illorum quippe nemo evadit. Sic* Foreſti *ruſticus, atque puella, quum aeri inclementiori*

(a) Apud Manget. Tom. IV. B. M. P. p. 668.

Digitized by Google

tiori ſeſe expoſuiſſent, *retroacta materia ſubito vitam cum morte commutarunt*. *Sic Timonactis infantulus*; *ſic & pueruli complures recens ab uberibus depulſi*; *imo majores illis octennes atque decennes & uſque ad pubertatem*, retrocedentibus Morbillis atque Variolis convulſi pereunt ". De *Mayerne* (*a*) hæc ſcribit: „ *Duo ſunt maxime periculoſa* (*Variolarum*) *tempora*: *initium eruptionis*, *quo tempore fiunt convulſiones*, *& alia gravia ſuccedunt ſymptomata*: *alterum a nono ad undecimum*, *quando matureſcunt puſtulæ*; *tunc inflantur caput*, *fauces*, *& collum*, *tumet facies*, *reviviſcit Febris*, *&* multi materia retrocedente in pulmones, *quaſi fulmine icti*, ſuffocantur ". *Pachecus* (*b*) hæc refert: „ *Vidi puerum quemdam Variolis laborantem cum ſignis laudabilibus*. *Febris enim poſt exortum puſtularum remiſerat*; *reſpiratio libera erat*; *nullus alvi fluxus*; *tubercula eminentia ſatis*; *ſomnus mediocris*; *bene ſe habebat ad ea*, *quæ offerebantur*: *ſubito tamen &* ſine manifeſta cauſa puſtulæ ſeſe occultaverunt, morſque ſequuta eſt illarum occaſum: *idipſum vidi in pluribus aliis eodem modo afflictis*, *quibus omnibus mortem certiſſimam portendi* ". *Hoffmannus* tandem (*c*) ſequentia loquitur: „ *Qui Variolis moriuntur*, *criticis ut plurimum diebus nono*, *undecimo*, *vel decimoquarto decedunt*, *& quidem maxime convulſionibus*, *quas exquiſitiſſimus ardor*, *dolor*, *ac tenſio in brachiis*, *manibus & facie*, *præſertim ſi profundius ſedent puſtulæ*, *excitant*. *Quidam catarrho extinguntur ſuffocativo*: *in nonnullis*, *imprimis ſi malignitas ſubeſt*, *quando in ſitu erecto vel extra lectum ſunt*, *animi obrepit deliquium*, maculæ cum puſtulis diſparent, *& convulſione ſuperveniente* intra aliquot horarum ſpatium mors excipit. *Vidi etiam* Variolis jam exſiccatis *juvenes quoſdam* ſubito inſultu apopletico eſſe extinctos, *poſteaquam in ipſo morbo capitis gravitate*, *vigilia*, *& per intervalla mentis emotione laboraſſent* ".

§. 233.

(*a*) Apud eumdem ibid. p. 704. 705.
(*b*) Apud eumdem ibid. p. 714.
(*c*) Tom. IV. M. R. S. Part. I. Sect. I. Cap. VII. §. XIII. p. 78.

Digitized by Google

§. 233. *Similiter autem & ſi alicubi in alia corporis parte horum quid oberraret, hæc acciderunt. Multis enim brachium &c.*] Horum omnium a *Sacris Ignibus* promanantium perfectam cum Variolarum productis analogiam a §. 123. ad §. 128. jam abſolvimus. Ne vero hunc *Hippocratis* textum ſilentio præterire videamur, *Drelincurtium* audiendum ſiſtimus ſic loquutum (*a*): „ *Iſtis majora proferam. Id quippe corroſivi latius atque latius vel in ſolidiſſima membra ſerpit. Hinc* articulis contractos Salmuthus *notat. Hinc* Ephemerides Germaniæ *ſeptemnem adducunt, quæ, Variolarum pure in* cubitos *decumbente*, brachium *nec flectere nec extendere potis eſt. Tales* ancylas articulorum callos Pariſiis *immedicabiles vidi; &* Vinoxbergæ, *dum caſtrenſium Medicorum primarius eſſem, ſenem* poliatron *puerilibus Variolis* galiancona cubitis incurvis *&* immotis. *Atque adeo non mendax ſed verax eſt* Græcia *cum ſuis abſceſſibus* humeri, *quibus* brachiorum perit cardinata compages. *Nec mirum: id quippe putredinoſi ferinique virus* beluam *ſapit, fabuloſo* Pythone *multiplici ſtrage* capitaliorem. Paræum *teſtem oculatum inclamo; illo quippe viru edaci* oſſa ſterni arroſa, *& a ſe invicem dirempta*, oſſium *vero* brachii epiphyſes, *&* omoplatæ capitulum *pariter* eroſa, *inſignique portione multata reperit. Rurſum igitur veridica* Græcorum *oracula* ...: Exanthemata corporis univerſi cutim fœdantia ſcaturiunt ab humorum corruptela tam forti, & tam enormi, ut pernicioſiſſimo veneno ſimilis ſit". *Hippocratis* ſit, an *Aretæi*, cujus codex nobis deeſt, an alius Græci Medici, hæc ſententia, nos latet; non latent vero ſequentia magni *Hoffmanni* verba (*b*): „ *In quibuſdam*, inquientis, *tardius maligna &* putrefactiva *varioloſi humoris* indoles *ſeſe oſtendit, dum poſt exſiccationem Febris manet lenta, & in* externis partibus, *præſertim* articulis, *in* brachiis, manibus, pedibus tumores *oriuntur; & ex iis fiunt* fœda, exedentia, fiſtuloſa, & oſſibus cariem inducentia ulcera, *quæ difficillime*

(*a*) Apud Manget. Tom. IV. B. M. P. p. 667. 668.
(*b*) Tom. IV. M. R. S. Part. I. Sect. I. Cap. VII. §. VIII. p. 77.

Digitized by Google

me ſanationem recipiunt , *& procedente tempore* lentam inferunt mortem. "

Parallelum quadrageſimumſextum.

Qui *Sacrorum Ignium* receſſionem abſque externo decubitu ſequuti ſunt hominum interitus, quique iiſdem multorum membrorum abſceſſus ſupervenerunt, iidem prorſus & eadem ratione ſub Variolis contingunt.

§.234. *Et circa ulcera quidem & cum occaſione*, *hujuſcemodi erant*.] Qui populariter *Athenis* graſſati ſunt *Sacri Ignes*, quum diverſæ fuiſſent indolis variæque ſpeciei (§. 196.), ipſarum quælibet a magno Sene peculiarem accuratamque obtinuit hiſtoriam. Primum quidem locum *Sacris Ignibus* ſine *parvis ulcuſculis*, vel *toto corpore* confertim eruptis, at non ſine magno ulcere, faciem variaſque corporis partes contegente, evenientibus, Hippocrates conceſſit: de quibus a §. 198. ad §. 218. actum fuit, deque iis dixit: *atque hi maligni multos peremerunt*. Secundum locum iis attribuit, qui *ex vulgaribus valdeque parvis ulcuſculis toto corpore efflorescentibus*, *magnaſque* advocantibus inflammationes; abſceſſuſque gangrænoſos, acciderunt; de quibus a §. 218. hucuſque pertractatum; deque iiſdem nunc concludit: *& circa ulcera quidem*, *& cum occaſione*, *hujuſcemodi erant*, alias quidem *Sacrorum Ignium* minoris malignitatis ſpecies deſcripturus.

§. 235.

Multis autem in Febribus, *& ante Febrem*, *& ex Febribus*, Ignes Sacri *inciderunt*. *Ex* §. 183.

Analogia vigeſimanona.

§. 236. *Multis autem in Febribus &c.*] Quam ob rationem hæc *Thucydides* non adnotavit, §. 227. jam indicavimus. Sub una, eademque Variolarum graſſatione varias earumdem occurrere ſpecies, cunctis praxin Medicam Exer-

 cen-

centibus ſatis notum eſt. Qui perplexitate moratur, adeat *Huxhamium* ſequentia (*a*) ſcribentem: „ *Januario* (anni 1746.) *Variolæ adhuc epidemicæ, plerumque autem ſatis* benignæ, *inter nautas tamen & milites* haud paucos occidunt.. *Februario*... *Plurimæ adhuc Variolæ, ut plurimum* mitiores: *Nautis tamen militibus atque captivis adhuc* valde funeſtæ. *Qui quidem evadunt*, furunculis *&* ulceribus *maxime vexantur, ſæpe* hectica Febre.. *Martio*.. *Variolæ* ſporadicæ.. *Aprili*.. *Variolæ* plurimæ.. *Majo*.. *Variolæ* epidemicæ.. *Junio*.. *Variolæ quoque* plurimæ; *eæ autem* benignæ ſunt ut plurimum.. *Julio*.. *Variolæ modo* valde epidemicæ, magis etiam funeſtæ, *utpote* ſæpe confluentes, ſeſſiles *&* atræ: ſæpe crudæ, aquoſæ diffluentes: Dira *interdum excitant in faucibus* ulcera, *&* enormem ſalivæ acris fluxum.. *Auguſto*.. *Variolæ adhuc* epidemicæ; quædam parvæ, atræ, malignæ; *jam ſæpe cum* enormi alvi fluxu ſubatro.. *Septembri*.. *Variolæ uſque graſſantur*.. *Octobri*.. *Variolæ adhuc* epidemicæ, *ſed paulo* mitiores.. *Novembri*.. *Variolæ nunc ſunt* moris plerumque benigni.. *Decembri*.. *Variolæ adhuc* ſæviunt *plurimum*, multoque magis jam funeſtæ ſunt: confluentes *quippe*, crudæ, luridæ, aquoſæ; *quædam* diffluunt valde; *&* nigreſcunt". Hæc Variolarum graſſatio Plymuthi ad Aprilem uſque ſequentis anni 1747. ſæviit.

§. 237. *Multis autem in Febribus.. Ignes Sacri &c.*] Variolarum eruptionem, ſecundo, tertio, vel quarto die ab incœpta Febri ut plurimum exordiri, intraque triduum ad ſummum perfici, eaque abſoluta ipſam Febrim, niſi admodum benignæ fuerint, ad uſque fere totius morbi finem protrahi, res eſt, quæ aliorum non eget obſervatione.

§. 238. *Et ante Febrem.. inciderunt.*] Ill. *Sauvageſius* (*b*) hæc fatur: „ *Verum ſi Variolæ facile erumpant, eæque* diſcretæ *ſint, quæ confluentibus mitiores ſunt, pauciora, eaque mitiora ſymptomata obſervantur, &* Variolæ morbo

(*a*) Tom. II. de Aer. & Morb. Epid. ann. 1746. a pag. 150. ad p. 164.
(*b*) De Morb. infant. Cap. XXX. Artic. III. p. 152.

Digitized by Google

morbo incipiente quandoque erumpunt abſque Febre, *ut ex Auctorum* (Schenckii, Epiphanii, Foreſti, ac Rhodii, quos Auctor citat) *obſervationibus conſtat. Vidi & quoque non ſemel Variolas adeo benignas*, ut an æger febricitatus fit certus nunquam fuerim ". Accedente vero Variolarum ſuppuratione, juxta genericum illud Hippocratis, *dum pus conficitur, Febris & dolor*, ut plurimum & in his Febris accedat neceſſe eſt, unde hic dicitur, *aut ante Febrem*.

§. 239. *Et ex Febribus &c.*] *Hoffmannus (a)* hæc fatur: „ *Durat hæc eruptio* (Variolarum) *ad duos uſque dies ſucceſſive, ac interea* decreſcit Febris *cum ſymptomatibus, ut pulſus cum calore ſexto die* fere ſit naturalis. *Elapſo autem quinto incipit fieri ſuppuratio.. Accenditur nova ſymptomatica ſecundaria Febris* (quæ aliam textus §. 238. jam expoſiti interpretationem exhibet) *cum ſiti, vigilia, & præcordiorum anxietate* ". Sicuti vero Febris quandoque ſupervenit Variolis, quæ abſque Febre eruperunt, ita non ſemel poſt completam ipſarum eruptionem nulla regreditur. *Nobilis Domicella*, in Diemerbroeckio *(b)*, & *Filiolus Nicolai* ab *Hervelt*, eruptis Variolis, a febre liberi evaſerunt, brevique in ſanitatem ſunt reſtituti.

Parallelum quadrageſimumſeptimum.

Et *Sacri* Hippocratis *Ignes*, & Variolæ una cum Febribus, aut ante Febrem, aut etiam poſt Febres ipſas incidunt.

§. 240.

Et qui quidem horum abſceſſum feciſſent per ſuppurationem, aut per alvum turbatio quædam tempeſtiva, aut urinarum bonarum excretio contigiſſet, per hæc ſolvebantur. Quibus autem nihil horum accidiſſet, verum obſcure diſparuiſſent, hi lethales erant. Ex §. 183.

(a) Tom. IV. M. R. S. Part. I. Sect. I. Cap. VII. §. II. p. 74.
(b) Apud Manget. Tom. IV. B. M. P. Hiſtor. I. & XII. p. 725.

§. 241. *Et qui quidem horum abſceſſum &c.*] Summi acuminis Medici eſt perdiſcere vias, quibus natura quemcumque morbum expellere ſuevit. Tam ratum id habuit *Hippocrates*, ut poſteris Medicis vel aphoriſtice ſummopere commendarit: „ *Quæ*, inquiens (*a*), *ducere oportet*, quo maxime repunt, eo ducere oportet, per convenientes locos “. Hoc artis medicæ, ob difficile in decernendis effectuum cauſis judicium, (*b*) valde abſtruſum, & extra Hiſtorici captum poſitum principium, *Thucydides* ſub hujus *Morbi* obſervatione deſcriptioneque non eſt aſſequutus; magnus vero *Hippocrates* & detexit & aſſeruit.

§. 242. *Et qui quidem horum abſceſſum feciſſent per ſuppurationem ... per hanc ſolvebantur.*] Qui *Ignes Sacri* aptam inierunt ſuppurationem, omnibus ulcuſculis ſive puſtulis abſcedentibus, ſalubriter ſoluti ſunt. Et jam ſupra (§. 229.) ipſe *Hippocrates* de malignis ſcripſerat: *Quibus enim ad ſuppurationem talium maturatio pervenit, horum plerique ſervabantur* “. „ *Variolæ benignæ*, inquit Mortonus (*c*), *& regulares, quæ cæterarum norma in omni ſtadio rite cenſendæ ſunt, ſicut tertio morbi die erumpere, & ſexto maturari; ita jam pure maturato turgidæ nono declinare incipiunt, ſcabie ſubflava primo obductæ, atque demum die ſaltem duodecimo pure inſpiſſato in tubercula arida & ſubfuſca ſenſim mutantur*, nec Febris (§. 239.) accenditur recidiva, *vel quodvis ærumnoſum ſymptoma aliquod ex his ſtadiis comitatur vel ſequitur. Quid? quod veneno in ſecundo ſtadio e ſpirituum ſinu* criſi perfecta *eliminato, nihil reſtat quod naturam ad prælium recens inſtaurandum denuo irritet, vel quocunque modo functiones perturbet; unde patiens in hoc ſtadio ultimo* apyretos (§. 239.) *jacet, optima valetudine atque appetitu integro utens, nullo morboſa*

(*a*) Sect. I. Aphor. XXI. p. 71. cit. edit.
(*b*) Sect. I. Aphor. I. p. 68.
(*c*) Exercit. III. Cap. X. p. 439.

Digitized by Google

boſo affectu, ex reliquiis veneni oriundo, poſthac plectendus".

§. 243. *Aut per alvum turbatio quædam tempeſtiva .. per hanc ſolvebantur.*] Non quæcunque alvi turbatio, quum ſymptomatica (§. 206.) in perniciem vertebatur, ſed *tempeſtiva*, ideſt, critica, a natura opportuno tempore aptaque copia ſuſcepta. „ *Quod mirum*, ait Cl. Richa (*a*), *magis eſt, ac conſiderandum maxime, quod lethale eſſe ſolet hiſce erumpentibus, nigroque propemodum lapillo ſignandum, id fere* proficuum extitit *ac* ſalutare; motus *nempe* per alvum ſpontaneus *ab ipſo Variolarum erumpentium exordio ad uſque ſupremum earumdem ſtadium perdurans, cujus beneficio* haud paucos memini jam pene orco proximos, *ex inſperato ſervatos*". Ill. *Meadius* (*b*) hæc fatur: „ *Poſtquam per annos bene multos in noſocomio divi Thomæ* Londini *medicinam feceram, anno* 1708. *obſervavi nonnullos Variolis, quæ maxime peſtiferæ videbantur, laborantes, quum* alvi fluxus *nono aut decimo morbi die, vel interdum citius* eos exercuiſſet, præter ſpem incolumes evadere". Ill. *Swietenius* (*c*) hæc refert: „ Sydenhamus *ubi Variolas anomalas ipſi dictas, quæ annis* 1674. 1675. Londini *graſſabantur deſcribit, notat, quod periculoſo illo morbi tempore, quando ſaliva viſcidior facta fauces fere præcludit*, utilis diarrhœa ſucceſſerit, quæ vel ſponte ceſſabat, *vel, ubi nullum amplius a Variolis periculum ſupererat, facile poterat compeſci*: Utilem *in hoc morbi ſtadio* diarrhœam *laudaverunt poſtea & alii. Sic notavit* Lobb, *quod, ubi numeroſæ admodum Variolæ interiora & exteriora corporis obſediſſent, tunc* prodeſſet *circa duodecimum diem* nata diarrhœa".

§. 244. *Aut urinarum bonarum excretio contigiſſet, per hanc ſolvebantur.*] *Proba*, non quælibet urinarum excretio. Symptomatice enim §. 209. *urinæ turbatæ, multæ, malæ* reddebantur. *Cl. Mortonus* (*d*) ſic loquitur: „ *Huic*

(*a*) Conſtit. Epidem. Taurin. ann. 1720. apud Sydenh. p. 522.
(*b*) Oper. Med. de Variol. Præfat. p. 29.
(*c*) Tom. IX. in Boerhaav. §. 1402. pag. 100.
(*d*) Exercit. III. Cap. VI. p. 367.

„ *Huic ſalivationi nimis propere* (ſub Variolis) *declinanti* ſuccedaneum non raro animadverti profluvium urinæ limpidæ copioſum, *& fere diabeticum*, *cujus eventus* ſecundiſſimus *fuit* ". *Huxhamius* (*b*) ſcribit: „ *Decembri*... *Variolæ adhuc paſſim*; *mites autem plerumque*, *in diſtinctis tamen*, *ſi paulo ſint conſertiores & largiſſima profluunt ſputamina*, & copioſæ admodum & craſſæ urinæ, quod fauſtum ſemper ". *Swietenius*, hæc habet (*c*) : „ Copioſam urinæ excretionem profuiſſe *obſervavit* Lobb. *Ipſe aliquoties obſervavi in Variolis diſcretis*, *boni moris*, *licet numeroſæ forent*, *ab octava die uſque ad undecimam* copioſum urinæ profluvium cum levamine ".

Parallelum quadrageſimumoctavum.

Et *Sacri* Hippocratis *Ignes*, & Variolæ per puſtularum ſuppurationem, vel criticum alvi fluxum, aut urinarum probarum profluvium, æque ſalubriter ſolvuntur.

§. 245. *Quibus autem nihil horum accidiſſet*, *verum obſcure diſparuiſſent*, *hi lethales erant*.] De *Sacris Ignibus* confluentibus jam ſupra (§. 232.) enunciavit, *quibus vero inflammatio quidem & Ignis Sacer diſceſſit*, *talem autem nullum abſceſſum fecit*, *horum multi perierunt*: Nunc de poſtremis minus funeſtis eorumdem ſpeciebus, ſine puſtularum ſuppuratione, aut critico alvi fluxu, vel probarum urinarum tranſmiſſione evaneſcentibus, adjicit: *quibus nil horum accidiſſet*, *verum obſcure diſparuiſſent*, *hi lethales erant*. Obſcure, nimirum ſine ullo in externas corporis partes critico decubitu. Id ipſum in Variolis tam malignis quam benignis adamuſſim evenire dilucide evincunt quæ §. 232. notatæ ſunt obſervationes, quod & vel ipſe *Rhazes* (*d*) probe animadvertit: „ *Quando autem*, inquiens, *ſive Variolæ*; *ſive Morbilli* de improviſo ſubſidunt, *poſtquam cœperint emer-*

(*b*) Tom. II. de Aer. & Morb. Epid. ann. 1748 p. 195.
(*c*) Tom. IX in Boerh §. 1403. p 102.
(*d*) Apud *Mead.* Tract. de Variol. Cap. XIV. p. 67.

Digitized by Google

emergere, *tum rurſus exoriuntur cum moleſtia & angore*, *& ſupervenit deliquium*, ſignum eſt prompti interitus, *niſi poſtquam* ſubſederint, *denuo emergant* ".

Parallelum quadrageſimumnonum.

Tam *Sacri* Hippocratis *Ignes*, quam Variolæ, ſine ulla ſolutionis ſignificatione evaneſcentes, mortem inferunt.

§. 246.

„ *Plerumque igitur plurimis accidit Sacer Ignis vere*, *conſequebatur autem & per æſtatem*, *& ſub autumnum* ". Ex §. 183.

Analogia trigeſimaprima.

§. 247. *Plerumque igitur plurimis &c.*] *Thucydides* §. 66. ſcripſit: „ *Æſtate autem ſtatim ineunte* ... *Morbus Athenienſes primum aggredi cæpit* ": unde patet hanc *Thucydidis* æſtatem fuiſſe aliam ab æſtate ab *Hippocrate* in hoc textu relata. Hiſtoricus vero §. 174. ſubdit: „ *At hyeme ineunte Morbus Athenienſes iterum invaſit* ": ſimulque *Hippocrates* §. 183. retulit: „ *Ante ver autem ſimul cum orientibus frigoribus Sacri Ignes multi* ". *Thucydides* tandem citata §. 174. illico adjecit: „ *qui nunquam quidem omnino ſedatus fuerat*, *ſed tamen quædam ejus quieſcentis intermiſſio facta fuerat*: *quum autem eos rurſus eſt aggreſſus*, *non minus anno integro apud eos immoratus*; *prius vero vel per biennium eſt graſſatus* ": modo *Hippocrates* aſſerit: „ *Plerumque plurimis accidit Sacer Ignis vere*. Perſpicuum eſt igitur hoc ver haud priorum binorum annorum, de quibus *Thucydides* dicit „ *prius vero vel per biennium eſt graſſatus* "; ſed tertii fuiſſe anni, de quo hic ipſe ait: „ *At hyeme ineunte morbus Athenienſes iterum invaſit* "; & Hippocrates: „ *Ante ver ſimul cum orientibus frigoribus &c.* Quod præſentem *Hippocratis* textum ſpectat, *plerumque igitur plurimis accidit Sacer Ignis vere &c.*, majorem vel minorem *Sacrorum Ignium* graſſationem indicat; quam & Variolas

riolas fere ſervare *Boerhaavius Sydenhamum* ſequutus vel unus eſt auctor, hæc ſcribens (*a*): „ *Eſt ut plurimum epidemicus* (morbus Varioloſus), *verno tempore primo incipiens; æſtate creſcens; languens autumno; hyeme ſequenti fere cedens; vere iterum eodem ordine rediturus*. Quo citius in hyeme incipit eo violentior; *quo ſerius, eo mitior erit mali natura. Hinc liquet quo anni tempore periculoſior* ".

Parallelum quinquageſimum.

Sacri Hippocratis *Ignes*, ſimul & Variolæ, eadem ſervant irruptionis atque graſſationis tempora.

§. 248.

Multa vero turbatio quibuſdam, & circa fauces tubercula, & linguæ inflammationes; & abſceſſus circa dentes. Voceſque multis ſignificationem de ſe præbebant, quod eſſent vitiatæ, ac impeditæ & involutæ, primum quidem, tabidis incipientibus, immo etiam ardenti Febre correptis, & phreniticis ". Ex §. 183.

Analogia trigeſimaſecunda.

§. 249. *Multa vero turbatio quibuſdam, & circa fauces tubercula, & linguæ inflammationes, & abſceſſus circa dentes.*] *Thucydides* (§. 89.) ſcripſerat: „ *guttur* & *lingua continuo cruenta erant*. *Swietenius* ſic fatur (*b*): „ *Raro contingit faciem numeroſis Variolis obſideri, quin etiam adſint in naribus internis, ore*, faucibus papulæ manifeſtæ, quæ inflammatæ *ſtimulo irritante copioſam ſalivæ viſcidæ mucoſæ excretionem facere poſſunt* ". Conf. §. 202.

§. 250. *Et abſceſſus circa dentes.*] *Cl. Loew* (*c*) hanc habet obſervationem: „ *Accidit ut puerulus quinque an-*

(*a*) Aphor. de cognoſc. & curand. Morb. §. 1380. p. 228.
(*b*) Tom. IX. in Boerh. §. 1395. p. 71.
(*c*) Conſt. Epidem. Sempron. ann. 1702. apud Sydenh. tom. II. p. 472.

Digitized by Google

annorum ex variolis malignis convaleſcens gingivis ſuperioribus reportavit ulcuſcula, *quæ primo intuitu ab adſtantibus pro aphthis* mundfaule *judicata & tractata ſunt: elapſo vigintiquatuor horarum ſpatio* corroſivitate ſua magnam jam maxillæ ſuperioris & inferioris occuparunt partem cum ſummo fœtore & nigredine, *maximoque* imminentis ſphaceli *periculo*". Conf. §. 124. 127. & 202.

§. 251. *Voceſque multis ſignificationem de ſe præbebant, quod eſſent vitiatæ &c.*] *Thucydides* (§. 89.) notaverat „*ex his ſternutatio & raucitas ſequebatur: nec multo poſt hic dolor cum vehementi tuſſi in pectus deſcendebat*". „*Materia ptyaliſmi*, ait Sydenhamus (a), *quæ ad hunc uſque diem* (undecimum) *cruda fuit, tenuis & excreabilis; viſcida jam facta & tenax ægro ſuffocationem intentat: potus quem aſſumit in pulmones ſæpe dilabitur, unde cum tuſſi violenta per nares rejicitur*: Voce eſt rauca &c." *Diemerbroeckius* (b) hæc loquitur: „*Quibus in ore, lingua, palato*, faucibus, aſpera arteria, & œſophago *Variolæ magna quantitate* erumpebant, *his ante earum maturationem & diruptionem deglutitio &* reſpiratio valde angebatur, *indeque etiam nonnulli fuerunt ſuffocati*". *Huxhamius* (c) ſic fatur: „*Julio* . . . *Variolæ epidemicæ ſane ſunt haud parum funeſtæ; ſæpe parvæ, atræ, ſeſſiles cum foveola in puſtularum medio livida aut nigra: interdum crudo diffluunt ichore, qui ſubjectam carnem* erodit, *imo & nonnunquam ipſa gangræna afficit*: Linguæ, fauceſque *ſub morbi* declinatione *ſunt valde* ſquallidæ, *ac* frequenter ſcabræ admodum & atræ: *Accedit porro ſæpiſſime diarrhœa profuſa, aliquando tragædia clauditur* more peripneumonico". De Tabe Variolarum pediſſequa §. 214. ſatis peractum.

Ἤρξαντο μὲν οὖν οἱ καῦσοι ϗ τὰ Φρενιτικὰ πρὸ τοῦ ἦρος μετὰ τὰ γενόμενα ψύχεα. ϗ πλεῖστοι τηνικαῦτα διενόσησαν, ὀξέα τὲ τούτοισι καὶ θανατώδεα ξυνέπιπτεν. ἦν δὲ ἡ κατάστασις

(a) Tom. I. Sect. III. Cap. II. p. 44.
(b) Apud Manget. tom. IV. B. M. P. hiſt. I. p. 722.
(c) Tom. II. de Aer. & Morb. Epid. Ann. 1744. p. 122.

Digitized by Google

τῶν γενομένων καύσων ἦδε. ἀρχόμενοι κωματώδεες, ἀσώδεες, φρικώδεες. πυρετὸς ὀξὺς, οὐ δὲ διψώδεες λίην, οὐ δὲ παράληροι. ἀπὸ ῥινῶν ἔσταξε μικρά. οἱ παροξυσμοὶ τοῖσι πλείστοισιν ἐν ἀρτίεσι. περὶ δὲ τοὺς παροξυσμοὺς λήθη καὶ ἄφεσις, καὶ ἀφωνίη. ἄκρεά τε τούτοισιν αἰεὶ μὲν ψυχρότερα ποδῶν καὶ χειρῶν, πολὺ δὲ περὶ τοὺς παροξυσμοὺς μάλιστα, πάλιν τε βραδέως καὶ οὐ καλῶς ἀνεθερμαίνοντο. καὶ πάλιν κατενόεον καὶ διελέγοντο. κατεῖχε δὲ ἢ τὸ κῶμα ξυνεχὲς οὐχ ὑπνῶδες, ἢ μετὰ πόνων ἄγρυπνοι. κοιλίαι ταραχώδεες τοῖσι πλείστοισι τούτων διαχωρήμασιν ὠμοῖσι, λεπτοῖσι, πολλοῖσι, οὖρα πολλὰ λεπτὰ, κρίσιμον οὐδὲ χρηστὸν οὐδὲν ἔχοντα. οὐδὲ ἄλλο κρίσιμον οὐδὲν τοῖσιν οὕτως ἔχουσιν ἐπεφαίνετο. οὔτε γὰρ ἡμοῤῥάγει καλῶς, οὔτέ τις ἄλλη τῶν εἰθισμένων ἀπόστασις ἐγίνετο κρίσιμος. ἔθνησκόν τε ἕκαστος, ὡς τύχοι, πεπλανημένως τὰ πολλὰ περὶ τὰς κρίσιας. ἐκ πολλοῦ δέ τινες ἄφωνοι· ἱδρῶντες πολλοί. τοῖσι μὲν ὀλεθρίως ἔχουσι ξυνέπιπτε ταῦτα. Παραπλήσια δὲ καὶ τοῖσι φρενιτικοῖσιν. ἄδιψοι δὲ πάνυ οὗ τοι ἦσαν. οὐδ' ἐξεμάνη τῶν φρενιτικῶν οὐδεὶς, ὥσπερ ἐπ' ἄλλοισιν, ἀλλ' ἄλλῃ τινὶ καταφορῇ κακῇ νωθρῇ καρηβαρέως ἀπώλοντο. ἦσαν δὲ καὶ ἄλλοι πυρετοὶ, περὶ ὧν γεγράψεται. στόματα πολλοῖσιν ἀφθώδεα. ἑλκώδεα ῥεύματα. περὶ τὰ αἰδοῖα πολλὰ ἑλκώματα. φύματα, ἔξωθεν, ἔσωθεν. τὰ περὶ βουβῶνας. ὀφθαλμίαι ὑγραὶ μακροχρόνιαι, μετὰ πόνων. ἐπιφύσιες βλεφάρων, ἔξωθεν, ἔσωθεν, πολλῶν φθείροντες τὰς ὄψιας, ἃ σῦκα ἐπονομάζουσιν. ἐφύετο δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἑλκέων, πολλὰ καὶ αἰδοίοισιν. ἄνθρακες πολλοὶ μετὰ θέρος. καὶ ἄλλα, ἃ σὴψ καλέεται. ἐκθύματα μεγάλα. ἕρπητες πολλοῖσι μεγάλοι. Τὰ δὲ μετὰ κοιλίην πολλοῖσι πολλὰ καὶ βλαβερὰ ξυνέβαινε. πρῶτον μὲν τεινεσμοὶ πολλοῖσιν ἐπιπόνως, πλείστοισι δὲ παιδίοισι, καὶ πᾶσιν ὅσα πρὸ ἥβης. καὶ ἀπώλλυντο τὰ πλεῖστα τούτων. λειεντερικοὶ πολλοί. δυσεντερικοὶ· οὐ δ' οὗτοι λίην ἐπιπόνως. τὰ δ' (ἐξιόντα) χολώδεα, καὶ λιπαρὰ, καὶ λεπτὰ, καὶ ὑδατώδεα. πολλοῖσι μετὰ αὐτὸ τὸ νόσημα ἐς τοῦτο κατέσκηψεν, ἄνευ τε πυρετῶν, καὶ ἐν πυρετοῖσι. μετὰ πόνων στρόφοι καὶ ἀνειλήσιες κακοήθεες. τῶν πολλῶν ἐνόντων τε καὶ ἐπισχόντων διέξοδοι· τὰ δ' ἐξιόντα πόνους οὐ λύοντα. καὶ πολλὰ μόρια τοῦ σώματος ἔπαθον ταῖσι δὲ προσφερομένοισι δυσκόλως ὑπακούοντα. καὶ γὰρ αἱ καθάρσιες τοὺς πλείστους προσέβλαπτον. τῶν δὲ οὕτως ἐχόντων, πολλοὶ μὲν ὀξέως ἀπώλοντο, πολλοῖσι δὲ καὶ μακρότερα διῆγεν. ὡς δ' ἐν κεφα-

φα-

Digitized by Google

φαλαίω εἰρῆσθαι, πάντες, ϗ οἱ τὰ μακρὰ νοσέοντες καὶ οἱ τὰ ὀξέα, ἐκ τῶν κατὰ κοιλίην ἀπέθνησκον μάλιστα. πάντας γὰρ κοιλίη ξυναπήνεικεν. Ἀπόσιτοι δὲ πάντες μὲν ἐγένοντο, ϗ ἐπὶ πᾶσι τοῖσι προγεγραμμένοισιν. οἷς ἐγὼ οὐδέπω ποτὲ ἐνέτυχον. πολλοὶ δὲ, μάλιστα αὐτοὶ ϗ οἱ ἐκ τοιούτων, καὶ ἐκ τῶν ἄλλων δὲ, οἳ καὶ ὀλεθρίως ἔχοιεν, διψώδεες οἱ μὲν, οἱ δὲ οὔ. τῶν ἐν πυρετοῖσι ϗ τοῖσιν ἄλλοισιν οὐδεὶς ἀκαίρως, ἀλλ' ἦν κατὰ πολὺν διαιτᾶν, ὡς ἤθελες. οὖρα δὲ πολλὰ μὲν τὰ διεξιόντα ἦν οὐκ ἐκ τῶν προσφερομένων ποτῶν, ἀλλὰ πολλὸν ὑπερβάλλοντα· πολλὴ δὲ τις ϗ τῶν οὔρων κακότης ἦν τῶν ἀπιόντων. οὔτε γὰρ πάχος, οὔτε πεπασμοὺς, οὔτε καθάρσιας χρηστὰς εἶχον. ἐπὶ πολλοῖσι γὰρ αἱ κατὰ κύστιν καθάρσιες χρησταὶ γενόμεναι, ἀγαθόν. ἐσήμαινον δὲ τοῖσι πλείστοισι σύντηξιν, ϗ ταραχὴν, ϗ πόνους, ϗ ἀκρισίας. κωματώδεες δὲ μάλιστα οἱ φρενιτικοὶ, καὶ οἱ καυσώδεες ἦσαν· ἀτὰρ καὶ ἐπὶ τοῖσιν ἄλλοισι νουσήμασι πᾶσι τοῖσι μεγίστοισιν, ὅ, τι μετὰ πυρετοῦ γίνοιτο. διὰ παντὸς δὲ τοῖσι πλείστοισιν, ἢ βαρὺ κῶμα παρείπετο, ἢ μικροὺς καὶ λεπτοὺς ὕπνους κοιμᾶσθαι.

Quæ Sacrorum Ignium *fuerunt conſectariæ, Ardentes atque Phrenitide ſtipatæ Febres, ſequenti Analogia, cum Thucydidis atque Hippocratis ad facillimum captum jam comparatis textibus inita, præcipuis Phænomenis ſimul ac Symptomatibus cum illis adamuſſim convenire comperiuntur.*

Analogia trigeſimatertia.

§. 152.

Cœperunt itaque Febres Ardentes ante ver, itemque Phrenitis, poſt facta frigora [§. 184.] *: & plurimi tunc ægrotarunt* [§. 215.]. *Acuta vero & lethalia ſymptomata his aderant* [§. 133. 199.]. *Erat autem conſtitutio Febrium Ardentium hoc modo. Ab initio ſoporoſi* [§. 210.], *anxii* [§. 112.], *horridi, Febris acuta* [§. 201.], *non valde ſiticuloſi* [§. 208.], *non deliri* [§. 210]. *De naribus parum ſtillavit* [§. 211. 212.]. *Exacerbationes pleriſque diebus paribus. Circa exacerbationes oblivio* [§. 129.], *exſolutio, &*

vocis privatio [§.251.]. Extremitates manuum ac pedum ſemper his frigidiores, præſertim circa exacerbationes: & rurſus tarde ac non bene recaleſcebant: rurſumque & intelligebant, & loquebantur [§.210.]. Detinebat etiam ipſos ſopor continuus [§.210.], non ſomniculoſus, aut vigiliæ cum doloribus [ibid.]. Plurimis Lorum alvi turbulentæ, ſeceſſibus crudis, tenuibus, multis [§.206.]. Urinæ multæ, tenues, nihil neque judicatorii, nec boni habeates [§. 209.]. Nec vero aliud aliquod judicatorium ita habentibus fiebat; neque enim ſanguis bene erumpebat, neque alius aliquis conſuetus abſceſſus judicatorius fiebat [§.211. §.212.]. Moriebaturque unuſquiſque pro ut contigit erroneo modo, plerumque circa judicationes [§.212.]. Quidam vero diu voce privati. Multi ſudantes. Et his quidem, qui pernicioſe habebant, hæc accidebant. Conſimilia vero etiam Phreniticis. Sine ſiti autem hi erant [§.208.]. Neque quiſquam phreniticus inſanivit, velut ex aliis, ſed alia quadam mala ac lenta in ſomnum delatione [§.210.] graviter peribant. Erant inſuper etiam aliæ Febres, de quibus ſcribetur. Ora multis ulcere fervido affecta, ulceroſa [§.93. 202.]. Fluxiones circa pudenda multæ, ulcerationes: Tubercula foris, intus, circa inguina [§. 125. 203.]. Lippitudines humidæ, longæ, diuturnæ cum doloribus: Eruptiones palpebrarum foris, intus, multorum oculos corrumpentes, quas ficus vocant [§. 128. 204.]. Erumpebant etiam in aliis ulceribus multa, & in pudendis. Carbunculi per æſtatem multi, & aliæ, quæ ſeps vocantur, puſtulæ magnæ [§.126. 205.]. Herpetes multis magni [§.225.]. At vero circa alvum multis multa & nociva acciderunt. Primum quidem teneſmi multis doloroſe: plurimis autem pueris, & omnibus, qui erant ante pubertatem; & plurimi horum peribant: Lienterici multi, dyſenterici, neque hi valde doloroſe. Seceſſus autem bilioſi, & pingues, & tenues, & aquoſi: Et multis quidem ipſe Morbus ad hoc decubuit, & ſine Febribus & in Febribus: cum doloribus tormina & volvuli maligni: multorum quæ in corpore erant, & ſuppreſſa erant, exitus: & exeuntia progreſſa dolores non ſolventia, & his quæ offerebantur difficulter cedentia: Nam purgatio-

nes

Digitized by Google

nes plurimos amplius, lædebant: Ex his autem qui ſic habebant, multi quidem cito peribant; multi vero longius vitam agebant: Et in ſumma, omnes & qui longis morbis ægrotabant, & qui ex acutis, maxime ex his quæ per alvum ſecedebant, mortui ſunt: Omnes enim alvus ſuſtulit [§. 122. 206.]. *Cibum autem faſtidiebant omnes, ob cunctos præſcriptos morbos, in quos ſane ego incidi* [§. 207.]. *Multi vero, & maxime hi ipſi, & qui tales erant, ſed & alii, pernicioſe habebant: & ſiticuloſi alii erant, alii non* [§. 208.]. *Ex his qui Febribus aliiſque laborabant, nullus ſiticuloſus intempeſtive: ſed licebat circa potum victus rationem conſtituere, prout velles. Urinæ autem prodeuntes multæ quidem erant, non pro potus ingeſti ratione, ſed multum excedentes* [§. 209.]. *Verum multa quædam malitia urinarum ejectarum erat: neque enim craſſitudinem, neque concoctiones, neque purgationes bonas habebant* [§. 211. 212.]. *Nam in multis morbis purgationes per veſicam contingentes, bonæ ſunt. Significabant autem plurimis colliquationem* [§. 223.], *& turbationem, & dolores, & nullam judicationem. Soporoſi vero maxime phrenitici & Febre Ardente laborantes erant: ſed & in aliis morbis omnibus maximis, qui cum Febre fiebant. In totum autem plurimos aut gravis ſopor comitabatur, aut parvos ac tenues ſomnos habebant*". Hippocrates loc. cit. p. 724. ſeqq.

Analogia trigeſimaquarta.

§. 253. *Cœperunt igitur Febres ardentes ante ver; itemque phrenitis, poſt facta frigora, & plurimi tunc ægrotarunt &c.*] Magnus ſenex *Cous*, abſoluta *Sacrorum Ignium* Febre ardente atque phrenitide ſtipatorum hiſtoria, nunc ſermonem inſtituit de Febre ardente, phrenitideque, quæ ſub illorum graſſatione ſine *Ignibus Sacris* contingerunt; eodem ducto initio, ac de his loquens fecerat [§. 183.], *ante ver una cum orientibus frigoribus Sacri Ignes multi*, & modo *ante ver, poſt facta frigora cœperunt Febres ardentes & phrenitis*. Ex §. 175. & 177. clare liquet, antequam *Hip-*

Hippocrates Athenas acceſſiſſet, *Morbum*, ſub *Sacrorum Ignium* nomine ab ipſo deſcriptum, per biennium populariter fuiſſe vulgatum; unde qui Athenienſes hoc temporis ſpatio a tam dira Peſte ſuperſtites evaſerant, eadem ſub ipſa forma graſſante, cum *parvis* nimirum *puſtulis* & *ulceribus* haud corripi valuerunt; *neque enim* bis [§.155.] *eumdem* Morbus *corripiebat*: at aliis malignis Febribus *Sacrorum Ignium* conſectariis ſuſcipiendis obnoxii extiterunt; horum ergo *plurimi Febre ardente phrenitideque ægrotarunt*, *acutiſque & lethalibus ſymptomatibus* conflictati ſunt. Experientiæ id reſpondere ſequentes teſtantur obſervationes. *Sennertus*, qui Morborum hiſtorias, a Græcis, Latinis ſimulque Arabibus literis traditas, perbene perſpectas habuit: „ *Variolæ*, inquit (*a*), *& Morbilli ſæpiſſime Peſtilentiam antecedunt*, *& Peſtis nuncii a Medicis appellantur*". Quæ Febres equidem malignæ atque peſtilentes, Variolas, veluti auxiliares ipſarum copiæ, in hominum perniciem conſequuntur, adhuc contagio ſunt munitæ, & tamquam *vulgaris* Peſtis populariter graſſantur, unde Peſtilitates per Variolas & Morbillos prænunciatæ a Medicis creditæ fuerunt, non autem horum morborum ſoboles. *Ballonius* (*b*) hæc loquitur: „ *Nunquam fere Variolarum &* Exanthematon *ilias eſt*, *quin aut jam cacoethes Febres vagentur*, *aut proxime futuræ ſint*: *Ut non tam* (*pace Arabum dicam*, *nec enim veteris doctrinæ auctoritatem frangere conſilium eſt*) *impuritas*, *æſtuſque ſanguinis menſtrui non defæcati illud inferat*, *quam peſtilens quædam cælitus expreſſa exhalatio*". Et nos tam cordatiſſimi graviſſimique viri pace dixerimus, nec *peſtilentem quamdam cælitus expreſſam exhalationem*, ſed ipſamet Variolarum Morbillorumque *miaſmata has cacoëthes* eructare *Febres*, ut dilucidius in ſecunda hujus operis Parte. *Sydenhamus* (*c*) de Febre, *quæ durante varioloſa conſtitutione dominabatur*, *& cum variolis ingreſſa*, *ſtetit cum iiſdem*, *cecidit*-

(*a*) Tom. III. de Febrib. Cap. XII. p. 181.
(*b*) Conſil. Medic. Lib. II. Hiſt. V. p. 100.
(*c*) Tom. I. Sect. III. Cap. III. pag. 54.

ciditque, hæc ſcribit: „ *Quapropter danda mihi eſt venia* (*non quod nova rerum nomina affectem, quæ perinde mihi ſunt inviſa atque illi, cui maxime, ſed ut hanc Febrim a cæteris diſtinguam*) *ut iſtam* a ſimilitudine, quam cum hac Variolarum ſpecie habet, Febrem Varioloſam inſigniam ". Recentiſſimus tandem *de Sauvages* (*a*) hæc ſcribit: „ *Variolæ & Morbilli epidemice graſſantur*, ſæpeque Febres malignas & peſtilentes anteeunt, & ſequuntur ".

Parallelum quinquaqueſimumprimum.

Tam *Sacri* Hippocratis *Ignes*, quam Variolæ Febres ardentes & peſtilentes producunr, poſtque ſe trahunt.

Hiſtoria I. ex Sydenhamo. (*b*)

§. 254. „ Jam ut de Febre illa dicam, quæ durante *Varioloſa* hac conſtitutione dominabatur, & *cum Variolis ingreſſa*, *ſtetit cum iiſdem*, *ceciditque*, ita ſe hic res habuit. Doluit æger in regione, quæ *cordis ſcrobiculo* ſubjicitur, nec ſuſtinuit, ut manu illa premeretur, quod quidem ſymptoma non memini me obſervaſſe in alio morbo *præter hanc Febrem*, *& hanc ſpeciem Variolarum*. Capitis dolor, & calor totius corporis, ut etiam petechiæ ſatis manifeſto indicio ſe prodebant. *Sitis* interim *non urgebat*. Lingua ſanorum ſimilis non raro comparuit, niſi quod quandoque albida, *ſicca rariſſime*, nunquam vero nigra. Æger in *ſpontaneos eoſque effuſiſſimos ſudores* ab initio morbi ſolvebatur, *ſed cum nullo levamine*; quinimo ubi calidioribus medicamentis & regimine provocabantur iſti, periculum erat, ne mox *phrenitide* corriperetur. Petechiarum inſuper numerus augebatur, atque alia ſymptomata adhuc efferebantur omnia. *Urinæ* ſeparatio, quæ ſatis videbatur laudabilis, vel ab initio ſpem faciebat ſalutis; *neque tamen æger magis exinde in melius*

(*a*) De Morb. infant. cap. XXX. Præf. p. 138.
(*b*) Tom. I. ſect. III. cap. III. p. 53. ſeqq.

lius proficiebat, quam poſt *diaphoreſin*, de qua prius diximus. Si minus recte tractaretur hic morbus *diutiſſime protrahebatur* plerumque; *neque criſi aliqua facta, nec ſponte more aliarum Febrium deſinens*, ſed *vehementibus ſymptomatis* miſerum excrucians ad *ſeptimanas ſex vel octo, niſi mors intercederet*. Ptyaliſmus quandoque ſatis copioſus ſub finem accedebat, ſi nempe nulla inſignior præceſſerat evacuatio, atque ægro julapia refrigerantia imperata fuerant: quo quidem ſi neque evacuationibus, neque uſu medicamentorum calidorum fuerit interceptus, morbus ultra ſpem omnem fugam ſibi quærebat . . . . Id certe ſcio *phænomena practica omnia*, quæ curationem reſpiciebant, *eadem plane fuiſſe in utroque morbo*, exceptis iſtis, quæ *Variolarum eruptio*, ejuſque effecta in iſto morbo indicabant; quæ quum *nulla eſſent in hac Febre*, *indicari proinde non potuere*, quod quidem mihi abunde conſtabat ex accuratiſſimis illis obſervationibus quas feci, dum utroque morbo laborantes tractarem. Quapropter danda mihi eſt venia &c." *prout* §. 253. *Hæc Sidenhamus*. *Et alibi (a) hæc loquitur*: „Invaluit hæc Variolarum ſpecies (*maligna*) autumno proximo, longius etiam in hyemem excurrens, quæ, quum ſolitis calidior multo eſſet, morbo favebat. Appetente vero tempeſtate frigidiore imminuta eſt, Febri jam graſſanti mox locum cedens. Febris hæc, quæ per annum perſeveraret omnem, initio Julii 1675. longe lateque depopulata eſt; ſed autumno jam appropinquante in *viſcera cæpit converti*, *nunc Dyſenteriæ ſymptomatibus*, nunc *diarrhea* ſe prodens, licet quandoque neque hanc haberet comitem, neque illam, ſed *caput magis* tentabat, *ſtupidiores reddens ægros*. Variolæ interea, quæ jam pauculos hinc inde affecerant, ſub æquinoctium autumnale penitus diſparebant, vix unum alterumve jugulantes. Jam enim Febris alios vincens epidemicos anni prædominio potiebatur. Obſervandum eſt nihilominus, quod, quum proclivior eſſet Febris hæc materiam morbificam *in viſcera deponere*, *quæ dyſenteriam quandoque*, *ſæpius autem diar-*

(a) Ibid. Sect. V. Cap. I. pag. 78.

Digitized by Google

diarrhœam excitabat, ex hac occaſione *ventris tormina eam edidiſſe ſtragem* vulgo putabantur, quæ Febri huic revera fuerat imputanda". *Binis præcipue de nominibus hanc nimium elaboratam* Sydenhami Varioloſæ Febris *narrationem ſimul atque diſſertationem hic attexuimus; & quidem primo, ut ex eodem clareſceret, Variolas quandoque producere Febrem, cui maximum ineſt ſymptoma* dyſenteria, *vel alvi fluxus: Secundo, ut quæ ipſe Auctor Cap. III. Sect. IV. ſparſim a pag. 60. ad 64. de eadem* dyſenteria *diſſeruerat, ab eadem* Varioloſa Febri *promanaſſe, ſimul perſpicuum eſſet; quæ quidem ab ipſo* Sydenhamo *ſic ſcripta ſunt*: *Pag.* 60.: „ Dyſenteriarum per id tempus graſſantium torminibus dicta ventris *tormina* omnino reſpondebant: atrociſſima nempe hæc erant, & per intervalla cruciabant; *nullæ* vero *ſequebantur* dejectiones vel ſtercoroſæ, vel mucoſæ... Nunc cum rigore horroreque aggreditur hic morbus, quos ſequitur totius corporis calor, (ut in Febribus ſolemne eſt). Sæpe vero nulla antecedit Febris præſentio... Semper adeſt ingens cruciatus & inteſtinorum depreſſio cum dolore, quoties exoneratur alvus cum crebris itidem dejectionibus, & moleſtiſſimo viſcerum omnium quaſi deſcenſu". *Pag.* 61. „ Dejectiones mucoſæ ſunt omnes non ſtercoroſæ, niſi quod nonnumquam ſtercoroſa interponitur, idque *ſine dolore inſigni*... Hic Morbus licet adultis maxime grandævis haud raro exitialis, *infantibus* nihilominus perbenignus reperitur, qui ad menſes aliquot ab eodem quandoque afficiuntur ſine quovis incommodo, modo res naturæ permittatur... Non dolores tantum ſummos, atque ægritudinem adfert hoc malum, ſed niſi perite tractetur, ingens etiam in vitæ diſcrimen ægrum perducit: Quum enim jam imminutæ caloris ac ſpirituum copiæ a crebris hiſce dejectionibus ante exhauriantur, quam peccans materia poſſit e ſanguine exturbari; manuum ac pedum frigore ſuperveniente a morte periclitabitur etiam intra morborum acutorum periodos oppetenda: quod ſi intentatas parcarum manus hac vice cluſerit; plura tamen diverſi generis ſymptomata miſerum expectant, v. gr. nonnunquam, progreſſo morbo, loco filamentorum ſangui-

 neo-

neorum, quæ eodem incipiente dejectionibus permiſta conſpici ſolebant, ſanguis ſincerus, ne muco quidem intermixto, largiori quantitate ſingulis conatibus egeritur; quod, quum corroſionis majorum aliquot vaſorum, quæ inteſtina perreptant, argumentum ſit, ægro interitum minatur. Nonnunquam etiam inteſtina a magno illo incendio, quod excitavit materiæ calidæ atque acris ad partes læſas affluſus copioſior, gangræna inſanabili afficiuntur. *Aphthæ* inſuper, exeunte morbo *oris interna fauceſque ſæpenumero* obſident.. Atque hæ quidem mortem imminentem ut plurimum denunciant. Quod ſi prædicta ſymptomata ſuperaverit æger, & morbus in longum trahatur ... in *teneſmum deſinat* &c." *Pag. tandem* 64. *ſubdit*: „Obſervandum eſt autem, quod, quum primo quæ (*dyſenteriæ*) ingrediebantur anno, indolis magis ſubtilis ac ſpirituoſæ eſſent, quam quæ ſequentibus annis infeſtabant, idcirco *non ita prompte catharcticis parebant medicamentis*". *Hæc Sydenhamus*.

Hiſtoria II. ex Huxhamio. (*a*)

§. 255. *Illuſtris* Huxhamius *ſequentia enarrat*: „Julio ... Variolæ multos invadunt. Porro toto hoc menſe Febris putrida *lenta*, ſub finem remittens, tandemque intermittens, fuit maxime *epidemica* in hac regione. *Caput*, *ſtomachus*, & *lumbi* laborarunt potiſſimum, *quaſi ingruentibus Variolis*, magna *cum oppreſſione pectoris*, ſuſpiriis, & *gravi languore*. Talis fere affectus *nomen dedit Febri varioloſæ Sydenhamii*. Pueri, juniores, fœminæ, infirmiores hac Febre præcipue fuere correpti. Sanguis eorum detractus raro viſcidus erat. *Urina* cruda plerumque ac ſubtenuis cum cinericia, mucoſa, & imperfecta hypoſtaſi ſæpe, quaſi ex polline farraceo (*hypoſtaſis crimnodis* Hippocratis). Quo ſedimentum perfectius, eo major ſpes ſalutis effulſit. *Lingua* non arida valde, glutinoſo quodam & ſubfuſco obducta fuit mucore. Sub morbi finem *diarrhœa*, aut *cruenta* non-

(*a*) Tom. I. de Aer. & Morb. Epid. Ann. 1729. p. 33. & ſeqq.

nonnunquam *dyſenteria* (præſertim ſi vomitus non fuerat initio arte promotus) *urgebat maxime*, imo *quibuſdam erat exitio*. Rubræ autem *petechiæ*, *puſtulæ miliares rubræ*, *urentes*, aut graves *erumpentes ſudores*, morbum ſæpiſſime ſolvebant penitus... Sin ſtatu morbi *coma*, aut *delirium acceſſerint*, opus fuit &c." *Pag.* 35. *ibid.* „ Auguſto ... Febris *epidemica* perdurat adhuc; medio autem menſe *puſtulæ rubræ miliares* longe erant frequentiores, quam menſe proxime elapſo. Variolæ mali admodum moris ſæviunt ". *Pag.* 36. „ Septembri ... Variolæ adhuc malignæ graſſantur maxime ... Febris *epidemica* etiamnum perdurat, rarius autem". *Pag.* 37. „ Octobri ... ſæviunt adhuc Variolæ epidemicæ ... Febris *lenta nervoſa* jam fere ceſſavit penitus". *Pag.* 98. „ Auguſto (anni 1734.) ... Variolæ jam graſſari incipiunt, ac *Febres lentæ nervoſæ* ". *Harum meminit ad hujus anni uſque finem*. Huxhamius *itaque Febrem*, *quam* Sydenhamus *vel ipſius arbitratu* Varioloſam *dixerat*, lentam nervoſam *aſſeruit*, *de qua peculiari diſſertatione pag.*147. *& ſeqq. ibid. hanc tradidit hiſtoriam:* „ Quum hæc Febrium ſpecies *longe frequentior nuperis annis apud nos ſaltem* (*Plymuthi Variolæ nuperis temporibus quotannis fere* (§. 91.) *graſſantur*) *quam alia quælibet graſſata ſit*, operæ pretium duxi ſuper hac pauca diſſerere. *Lenta* adeo & *nervoſa* Febris lento quodam invadit greſſu, at firmo nimis. Hac quippe correpti de levi *vagoque horrore*, incerto quodam & errante *calore* intercurrente ſubinde; de *laſſitudine* porro *membriſque* quaſi fatigatis queruntur quidem, dum obambulant interim, *oſcitantes* tamen & *torpidi*. Accedunt mox *præcordiorum oppreſſio*, *nauſea*, *gravedo capitis*, adſtricta tempora, aut vertigo quædam. Pulſus equidem frequens eſt ſemper, at debilis plerumque & inordinatus. *Calor* autem haud inſignis excitatur unquam: At ſæpe dum volæ manuum uruntur, *extrema frigeſcunt*; *dum caput ardet*, *algent pedes*. Obrepit in dies malum; jamque *loqui aut moveri piget*, ac vel inopinantes lecto affixi *vix quo ſe habent modo exponere valent*, aut *ſopore nimio detenti*, aut *vigiliis mire anxiis & fere perpetuis*. *Nihil poſcunt interea prorſus ne vel po-*

 tum

Digitized by Google

tum aliquem. Jam tendinum ſubſultus adeſt, tremunt manus, tremit lingua, quæ muco ſubalbido obducta haud multum fere inareſcit, niſi media ſolum in parte, ubi *fuſca* eſt *valde*, & *ſicca*. Tandem *aliena murmurant*, *ſubinde & deſipientia*, *furens tamen abeſt inſania*. Tenuem plerumque reddunt *urinam* vapidi inſtar vini aut cerevisiæ *luridam*, aliquando limpidam, haud raro etiam *ſubnigram*, ſubinde paulo craſſiorem inſperſa quaſi farina. Breves, *inæquales* & *parum conſtantes* habent *ſudores*, ſæpe frigidulos, & glutinoſos, ſæpe profuſos maxime, & paulo ante mortem non raro gelidos cum pulſu exili admodum & formicante, *Stragula contrectant* interim, & *inanes quaſdam imagines prehendere* tentant. Jam *vox faucibus hærens*, ungues digitique lividi, facies cadaveroſa, perpetua fere ac frigida ſuſpiria certiſſimam inſtare mortem denunciant. En hujus Febris dira facies! *quam nervoſam* ideo *nominarunt*, quod nervos potiſſimum afficere videatur: *lentam* vero, quod ad diem vigeſimumprimum & ultra ſæpe perdurat. *Peſtifera* ſemper eſt, ubi *aphthæ nigræ*, *petechiæ* fuſcæ, lividæ, atræ aut *vibices* quaſi *apparent*; præſertim ſi *accedit alvus cita*, *plumbea*, *nigra*, colliquans; aut *ſudores oleoſi*. *Ubi puſtulis*, *papulis*, aut *maculis cutim deturpantibus Febris lenta ſtipatur*, *contagioſa* eſt ut plurimum; quum vero *exanthemata* mali ſunt moris, vulgo audit *maligna*. Papulæ rubræ, floridæ, copioſæ, aut *plurimæ puſtulæ miliares turgidæ*, ſtatu morbi erumpentes bona præſagiunt, præcipue ſi accedunt *ſputa liberalia* continua, aut *multæ craſſæ ſubſidentes urinæ*. Juvat & tunc temporis ſæpe *lenis diarrhœa*; blandus perſæpe juvat per omnia membra diffuſus æqualis tepiduſque ſudor. Salutaris nonnunquam erumpit *parotis*; proſunt non raro *aphthæ* albidæ, benignæ. Convaleſcentes frequentiſſime ſurdeſcunt, ac ſæpe habent *apoſtemata* in *meatu aurium ſalutifera*". *Hæc Huxhamius*.

Hi-

Hiſtoria III. ex eodem Huxhamio (a).

§. 256. ,, Decembri . . . Variolæ maxime epidemicæ longe lateque . Quædam confluentes ſunt , parvæ , ſeſſiles , nigræ; quædam valde benignæ. Febriculæ *puſtuloſæ* plurimæ inter pueros... Nunc *graſſatur plurimum Febris quædam putrida , diu admodum ſæpe detinens ægrotos , multiſque ſæpe lethalis* : haud raro ad *viceſimum diem* , imo aliquando ad *triceſimum* uſque *protenditur. Levis rigor* initio totum *pererrat* corpus , *ſubito* mox *calore* incertoque exceptus : ſic *vicibus alternis. Laſſitudo* inſuper, & vagus dolor omnia fatigat membra ; nunquam non protinus accedit *capitis dolor*, ſæpe acutus admodum in fronte , in temporibus , in ſyncipite, interdum in imis oculis. Pulſus interea celer, tremulus, inæqualis eſt , etiam & haud raro *intermittens* plane , ac fortiore digiti preſſu interruptus prorſus. *Urina* vero tenuis eſt ac mera quaſi vappa , aut jumentorum inſtar turbida , ſed nihil omnino deponens . Haud multum inareſcit lingua ; *nec ſitiunt valde* ; ſordeſcunt tamen ſemper *fauces*. Vomitus interim bilioſus, viridis, aut fuſcus urget vehementer, ſæpe haud parum fœtidus : *Anxietas* enormis ; *jactatio* perpetua , ac *pervigilium* contumax , ſemper accedente morbi ſtatu , *delirium* inferant, & tremores tendinumque ſubſultus. Sub finem lingua labiaque tremula fiunt , *nigra* , & *aridiſſima* : Dentes atri & ſordidiſſimi . Singultus , oculi vitrei , ſudores frigidi , ungues lividi , pulſuſque deficiens inſtantem denunciant mortem ; licet interdum *ſtupidi ſine ſenſu* , *motu* , aut *loquela jacent per dies* aliquot integros , priuſquam extremam agunt animam ; *coxis* interea *natibuſque necroſi affectis*. Hoc modo huic Febri ſuccumbunt multi : At ſæpius multo magis effera ſævit . Premit ipſo morbi inſultu *Anxietas* , & *præcordiorum pondus immane* ; acerbiſſimus *capitis* atque *dorſi* dolor ; *vomitio* perpetua , viridis, atra , horrenda ; ſingultus continuus ; *nigreſcit lingua denteſque* protinus ; *furit mox phrenitis* ; toto corpore tremunt ; tandemque

(a) Tom. II. de Aer. & Morb. Epid. ann. 1745. p. 142. ſeqq.

Digitized by Google

que frequenter *caro premuntur*, *nec evigilant unquam*. Sextum inter diem ut plurimum & nonum erumpunt *petechiæ* ſæpe lividæ, ſæpe etiam aterrimæ, quæ interdum repente evaneſcunt, *profuſo fluente ſudore*, vel *diarrhæa*, quibus ægri ſæpiſſime laborant. Crebro *ſanguinem ſtillant nares*; aliquando profundunt, unde *delirium* ſæpe miteſcit; ſed inde *vires* deprimuntur maxime; *quod idem de fluxu alvi dicendum eſt*, *qui multo ſæpius accidit*. Citius equidem tardiuſve, *ſemper fere* durante Febre *per alvum molita eſt natura criſin*, at *frequenter nimis morbus tantum morti ceſſit*; haud raro autem ſucceſſit victrix natura. Si *dejectiones nigræ*; *perliquidæ*, aut *ſanioſæ* ſunt, & maxime *fœtidæ*, *utique nihil ſpero*, præcipue ſi *abſque voluntate deſcendunt*... Hanc habes hujus Febris hiſtoriam, lector, quam ſive *ſcorbuticam*, ſive *malignam*, ſive *peſtilentem* dices, nihil moror: Eſt ſane valde funeſta, atque haud pauca prodit magnæ putreſcentiæ *etiam* & *contagii* ſigna ... Januario ... Variolæ *adhuc epidemicæ* ... Febris putrida *nervoſa maligna* uſque *graſſatur*, pluresque opprimit, atque *multos diu admodum trahit*". *Hæc* Huxhamius, *qui ſatis clare deſcriptam jam Febrem*, nervoſam malignam, *uti præcedentem* (§.255.) *definit*, *quamque* anxietas *&* præcordiorum pondus immane, acerbiſſimus capitis atque dorſi dolor, vomitio, profuſique ſudores, ſymptomata *quidem*, *quæ* Sydenhamo (§.260.) variolosam *vocandi facultatem præſtiterunt*, *comitata ſunt*, *Variolis per id temporis epidemice graſſantibus*.

Quæ

Digitized by Google

Quæ ab una in aliam regionem contagio tranſilientes, per totam Europam perpetuo circumeunt ardentes Febres ac Phreniticæ, quemadmodum a Sacris Hippocratis Ignibus, ita & a Variolis, Morbilliſque originem ſuam trahere videntur.

Analogia trigeſimaquinta.

§. 257.

(*a*) Habemus ex Hippocrate §. 252. „ *Cœperunt itaque Febres Ardentes ante ver, itemque Phrenitis, poſt facta frigora: & plurimi tunc ægrotarunt: Acuta vero & lethalia ſymptomata his aderant* “. Ex Sydenhamo Hiſt. I. „ *Jam ut de Febre illa dicam, quæ durante varioloſa hac conſtitutione dominabatur, . . . vehementibus ſymptomatis miſerum excrucians ad ſeptimanas ſex vel octo, niſi mors intercederet* “. Ex Huxhamio Hiſt. II. „ *Variolæ multos invadunt. Porro toto hoc menſe Febris putrida lenta fuit maxime epidemica... ad diem vigeſimum & ultra ſæpe perdurat* “. Ex eodem Hiſt. III. „ *Variolæ maxime epidemicæ . . . Nunc graſſatur plurimum Febris quædam putrida diu admodum ſæpe detinens ægrotum, multiſque certe lethalis: haud raro ad viceſimum diem, imo aliquando ad triceſimum uſque protenditur* “.

(*b*) Ab Hipp. l. c. „ *Ab initio ſoporoſi, anxii, horridi* “. Ex Sydenh. l. c. „ *Doluit æger in regione, quæ cordis ſcrobiculo ſubjicitur... Capitis dolor... periculum erat ne mox phrenitide corriperetur ... nunc cum rigore horroreque aggreditur hic morbus* “. Ex Huxh. Hiſt. II. „ *Caput, ſtomachus & lumbi laborarunt potiſſimum, quaſi ingruentibus variolis... Sin ſtatu morbi coma aut delirium acceſſerint... Hac Febre correpti de levi vagoque horrore queruntur... aut ſopore nimio detenti* “. Ex eodem Hiſt. III. „ *Levis rigor initio totum pererrat corpus...protinus accedit capitis dolor... Anxietas & præcordiorum pondus immane . . . frequenter caro premuntur nec evigilant unquam* “.

(*c*) Ab Hipp. l. c. „ *Febris acuta, non valde ſiticuloſi, non deliri* “. Ex Sydenh. l. c. „ *Calor totius corporis ut etiam pete-*

petechiæ ſatis manifeſto indicio ſe prodebant : Sitis interim non urgebat ... caput magis tentabat, ſtupidiores reddens ægros". Ab Huxham. Hiſt. II. „*Pulſus equidem frequens eſt ſemper at debilis plerumque & inordinatus. Calor autem haud inſignis excitatur unquam: at ſæpe dum volæ manuum uruntur, extrema frigeſcunt, dum caput ardet, algent pedes ... Nihil poſcunt interea prorſus ne vel potum aliquem ... Aliena murmurant, ſubinde & deſipientia, furens tamen abeſt inſania*". Ex eod. Hiſt. III. „*Pulſus celer, tremulus, inæqualis eſt ... Haud multum inareſcit lingua, nec ſitiunt valde ... licet interdum ſtupidi ſine ſenſu, motu, aut loquela jacent per dies aliquot integros*".

(*d*) Ab Hipp. l. c.: „*De naribus parum ſtillavit*". Ab Huxh. Hiſt. III. : „*Crebro ſanguinem ſtillant nares, aliquando profundunt*".

(*e*) Ex Hipp. l. c. : „*Exacerbationes pleriſque diebus paribus. Circa exacerbationes oblivio, exolutio, & vocis privatio*". A Sydenh. l. c. „*Stupidiores reddens ægros*". Ab Huxh. Hiſt. II.: „*Febris putrida lenta ſub finem remittens, tandemque intermittens ... cum oppreſſione pectoris, ſuſpiriis & gravi languore ... de laſſitudine porro, membriſque quaſi fatigatis queruntur quidem ... jamque loqui aut moveri piget ... jamque vox faucibus hærens*". Ex eod. Hiſt. III.: „*Interdum ſtupidi ſine ſenſu, motu, aut loquela jacent*".

(*f*) Ab Hipp. l. c. „*Extremitates manuum ac pedum ſemper his frigidiores, præſertim circa exacerbationes: & rurſus tarde ac non bene recaleſcebant : rurſumque & intelligebant & loquebantur*". Conf. lit. b, c, hujus §. 257.

(*g*) Ex Hipp. l. c.: „*Detinebat etiam ipſos ſopor continuus non ſomniculoſus, aut vigiliæ cum doloribus*". De ſopore jam lit. b. Ab Huxham. Hiſt. II. : „*Vix quo ſe habent modo exponere valent, aut ſopore nimio detenti, aut vigiliis mire anxiis; & fere perpetuis*". Ex eodem Hiſt. III.: „*Jactatio perpetua, & pervigilium contumax*".

(*h*) Ab Hipp. l. c. „*Plurimis horum alvi turbulentæ, ſeceſſibus crudis, tenuibus, multis*": A Sydenh. l. c.: „*Quum proclivior eſſet Febris hæc materiam morbificam in viſcera depo-*

deponere, quæ dyſenteriam quandoque, ſæpius autem diarrhœam excitabat, ex hac occaſione ventris tormina eam edidiſſe ſtragem vulgo putabantur ". Ex Huxh. Hiſt. II.: „ *Sub Morbi finem diarrhœa, aut cruenta nonnunquam dyſenteria urgebat maxime, imo quibuſdam erat exitio* ". Ab eodem Hiſt. III.: „ *Citius, tardiuſve ſemper fere durante Febre per alvum molita eſt natura criſin: at frequenter nimis morbus tantum morti ceſſit* ".

(*i*) Ab Hipp. l. c.: „ *Urinæ multæ, tenues, nihil neque judicatorii, nec boni habentes* ". A Sydenh. l. c.: „ *Urinæ ſeparatio, quæ ſatis videbatur laudabilis, vel ab initio ſpem faciebat ſalutis; neque tamen æger magis exinde in melius proficiebat, quam poſt diaphoreſin* ". Ex Huxham. Hiſt. II.: „ *Urina cruda plerumque ac ſubtenuis cum cinericia, mucoſa & imperfecta hypoſtaſi, ſæpe quaſi ex polline farraceo (hypoſtaſis* erimnodis *Hippocratis*) . . . *Tenuem plerumque reddunt urinam, vapidi inſtar vini, aut cereviſiæ luridam, aliquando limpidam, haud raro etiam ſubnigram, ſubinde paulo craſſiorem inſperſa quaſi farina* ". Ex eod. Hiſt. III.: " *Urina tenuis eſt ac mera quaſi vappa, aut jumentorum inſtar turbida, ſed nihil omnino deponens* ".

(*k*) Ex Hipp. l. c.: „ *Nec vero alïud aliquod judicatorium ita habentibus fiebat; neque enim ſanguis bene erumpebat, neque alius aliquis conſuetus abſceſſus judicatorius fiebat* ". Ab Sydenh. l. c.: „ *Si minus recte tractaretur hic Morbus, diutiſſime protrahebatur plerumque; neque criſi aliqua facta, nec ſponte more aliarum Febrium deſinens* ". Ab Huxham. Hiſt. II.: „ *Peſtifera ſemper eſt, ubi aphthæ nigræ, petechiæ fuſcæ, lividæ, atræ, aut vibices quaſi apparent* ". Ex eodem Hiſt. III.: „ *Sextum inter diem ut plurimum & nonum erumpunt petechiæ ſæpe lividæ, ſæpe etiam aterrimæ, quæ interdum repente evaneſcunt, profuſo fluente ſudore, vel diarrhœa, quibus ægri ſæpiſſime laborant. Crebro ſanguinem ſtillant nares, aliquando profundunt; unde delirium ſæpe miteſcit; ſed inde vires deprimuntur maxime, quod idem de fluxu alvi dicendum eſt, qui multo ſæpius accidit* ". Febrem ardentem, a ſporadica, conſtitutionali, vel endemica cauſa

 pro-

Digitized by Google

proficiſcentem, criſi judicari, ex ipſo Hippocrate jam §.211. adnotavimus.

(*l*) Ab Hipp. l. c.: „ *Moriebaturque unuſquiſque prout contigit erroneo modo, plerumque circa judicationes. Quidam vero diu voce privati. Multi ſudantes. Et his quidem, qui pernicioſe habebant, hæc accidebant* ". A Sydenh. l. c.: „ *Vehementibus ſymptomatis miſerum excrucians ad ſeptimanas ſex vel octo, niſi mors intercederet* ". Ab Huxh. Hiſt. II.: „ *Breves, inæquales, & parum conſtantes habent ſudores, ſæpe frigidulos, ſæpe profuſos maxime, & paulo ante mortem non raro gelidos cum pulſu exili admodum & formicante. Stragula contrectant interim, & inanes quaſdam imagines prehendere tentant. Jamque vox faucibus hærens, ungues digitique lividi, facies cadaveroſa, perpetua fere ac frigida ſuſpiria certiſſimam inſtare mortem denunciant* ". Ex eodem Hiſt. III.: „ *Sub finem lingua labiaque tremula fiunt, nigra, & aridiſſima; dentes atri & ſordidiſſimi; ſingultus, oculi vitrei, ſudores frigidi, ungues lividi, pulſuſque deficiens inſtantem denunciant mortem; licet interdum ſtupidi, ſine ſenſu, motu aut loquela jacent per dies aliquot integros, priuſquam extremam agunt animam; coxis interea natibuſque necroſi affectis. Hoc modo huic Febri ſuccumbunt multi: At ſæpius multo magis efféra ſævit... Singultus continuus; nigreſcit lingua, denteſque protinus; furit mox Phrenitis; toto corpore tremunt; tandemque caro premuntur, nec evigilant unquam* ".

(*m*) Ab Hipp. l. c. „ *Conſimilia vero etiam Phreniticis. Sine ſiti autem hi erant. Neque quiſquam phreniticus inſanivit, velut ex aliis, ſed alia quadam mala ac lenta in ſomnum delatione graviter peribant* ". Conf. lit. b, c, e, g, & l. Ardens Febris, quæ a cauſa non epidemica ortum habet, ex ipſo *Hippocrate* (*a*), ſitim vehementem atque fortem tamquam *pathognomonicum* ſignum affert, quod hic abfuit, *ut lit.* c; abfuit etiam & delirium, peculiare & idipſum Febris

(a) Lib. II. de Morb. n. LXI. p. 86., & Lib. de Affection. n. XI. p. 167. cit. edit.

Digitized by Google

bris ardentis ſymptoma, ut ex citato *libro ſecundo de Morbis* conſtat; idque huic Febri ſæpius ſupervenire auctor fuit ipſe *Hippocrates* (*a*) his: „*Quibus in Febribus ardentibus tremores facti fuerint, mentis emotio ſolvit*"; & alibi (*b*): „*Quibus in Febribus ardentibus tremores oboriuntur, mentis emotio ſolvit*".

(*n*) „*Erant inſuper etiam aliæ Febres, de quibus ſcribetur &c.*" *Hippocrates* l. c. Quæ ſequuntur in allato (§.252.) Hippocratis textu, ſi aphthas, dyſenterias, alioſque hujuſmodi affectus excipiamus, ad Febres Ardentes, nec Phreniticas ſpectant, quum harum hiſtoria textu *lit. m.* exſcripto abſoluta ſit; unde nec *Sydenhamus*, neque *Huxhamius*, Febrim, Ardentibus *Hippocratis* ſimilem atque analogam, deſcribentes, horum aliquorum nec mentionem quidem fecerunt. De hiſce vero ad Ardentes partim pertinentibus, partim ab iis ſecluſis, affectibus inferius agetur. Nunc, ni vehementer fallimur, Pathologos enixe rogamus, perpendant, num ex nuper abſoluta Ardentium Febrium Hippocratis cum *varioloſa Sydenhami*, ac *putrida lenta*, ſive *nervoſa Huxhamii* Febre analogia immutabilis Naturæ ordo in certis effectibus ex certis adhuc cauſis, poſt duo & viginti ſæcula editis, demonſtrari poterit; ideoque dijudicent, an in conſtruenda morborum Pathologia e re ſit, poſthabita veteri Morborum hiſtoria, ſpecioſas condere hypotheſes: quod ut facilius decernant, ſequentes ad Inſtitutum obſervationes ſubſternamus oportet.

Analoga Obſervatio peculiaris.

§. 258. Clariſs. *Hoyerus* (*c*) hæc fatur: „*Interea temporis* (poſt ſolſtitium nimirum æſtivum) *non ceſſabant affectus epidemici, videlicet Variolæ continuatæ benignorum more*

 ſua

(*a*) Sect. VI. Aphor. XXVI. p. 100. ibid.
(*b*) Lib. de Judicat. n. XI. p. 445. 446. ibid.
(*c*) Diſſert. Epiſt. de Mulhuſin. Territor. &c. Conſtit. Epidem. an. 1700. apud Sydenh. Tom. I. §. XII. XIII. & XIV. p. 488.

ſua tempora decurrebant , *neque malignitas earum jam creſcebat* . *Præter haſce quotidianæ* , *tertianæ tam continuæ* , *quam intermittentes* , *&* *quartanæ Febres* , *minus tamen rebelles* , *&* *rariores obſervatæ* . . . *Febres ardentes* (lit. a.) *autem* ſuo contagio *latius ſerpebant* , *quo intenſior his diebus ſentiebatur æſtus* . *Mirum profecto Febres haſce ſymptomatibus malignis* (lit. a.) *horrendas* , *minime tamen lethales* (nec lethales Variolæ , uti Auctor ſuperius innuit) , *hoc potiſſimum tempore* , *quod* ſaluberrimum *videbatur* , *invaluiſſe* . . . *Corripiebantur hac Febre non ſolum juvenes* , *ſed mediæ ætatis utriuſque ſexus Homines* , *quin etiam Senes* . *In plurimis horrorem* [lit. b.] *prævium calor totius corporis ſumme efferatus* [lit. c.] *ſubſequebatur* . *Hinc ſitis* , *vigiliæ* [lit. g.] *&* *atroces dolores capitis* [ibid.], *&* *aliorum membrorum* [ibid.], *circa articulos præſertim ſe exercentes notabantur* . *Arthriticis hiſce doloribus vexati paralyticorum more* [lit. e.] *decumbebant* ; *adeout neque pedes* , *neque manus ſuis fungi poſſent muniis* . *Nonnullis alvus* , *&* *urina vel invitis per aliquot dies* [lit. l.] *effluebat* . *Deliria leviora* [lit. c, m.] *paucis ſaltem aderant* . *Vires autem omnibus pene valde proſtratæ* [lit. e.]. *Aliis vomitus biliosi* [lit. b.], *aliis diarrhϾ ſatis moleſtæ* [lit. h.]: *Quibuſdam fluxus hæmorroidum nimius* , *ab imperitis pro fluxu dyſenterico habitus* . *Plurimis hæmorrhagiæ narium largiſſimæ* [lit. d.], *imo prorſus enormes eveniebant* . *Cumprimis vero quoſdam cardialgiæ ſumme dolorificæ tantopere diſcruciabant* [lit. b.], *ut de ſalute corporis deſperantes Sacram Euchariſtiam moribundi* , *vel ultimam ad conſequendam æternam ſalutem medicinam unice expeterent* ; *quinimo a ſyncopticis* *&* *moribundis* [lit. e.] *diſcerni vix poſſent* . *Neque* contagii *expers erat hoc malum* [lit. a.] ; *dum unico decumbente plerumque reliqui quotquot aderant domeſtici vel una* , *vel aliquandiu poſt* , *eadem Febre corripiebantur* . *Ut enim reliquos tam in Civitate* *&* *Suburbiis* , *quam in Pagis decumbentes ſilentio prætere am* , *exempli loco adducam milites a centurionibus* , *ſive capitaneis quibuſdam nutu Potentiſſimi* Daniæ *atque* Norwegiæ *Monarchæ noviter hic conſcriptos* , *quorum unus* *&* *alter hoc Febris genere quum forte* *vexa-*

Digitized by Google

vexatus fuiſſet, brevi poſt eodem malo plures afficiebantur, adeout intra duorum vel trium menſium ſpatium plures quinquaginta curationi meæ traderentur". *Hæc Hoyerus l. c.* In generaliori Variolarum Analogia cum Athenienſium Morbo, & Sacris Ignibus, a *Thucydide* & *Hippocrate* deſcriptis, inferius adornanda, comperiemus Ardentes Phreniticaſque Febres, ex *Hoffmanno*, *Loew.*, ſimul & *Gahrliep*, poſt Variolas epidemice fuiſſe graſſatas. Eaſdem epidemicas, poſt Morbillos obſervavit *Ballonius* (*a*); obſervavit & *Alpinus* (*b*): Poſt Variolas adnotavit *Scroekius* (*c*); *Gahrliep* ſub alia, præter exſcribendam, Variolarum graſſatione (*d*): *Lanzonum* (*e*); *Carolum Richa* (*f*), alioſque quamplurimos obſervaſſe minime dubitandum.

Parallelum quinquageſimumſecundum.

Febres igitur Ardentes atque Phreniticæ, quemadmodum *Sacrorum* Hippocratis *Ignium*, ita & Variolarum Morbillorumque ſæpiſſime ſunt ſoboles.

Concluſio decimaoctava.

Quum itaque Febres putridæ nervoſæ, Carcerum, Noſocomiorum, Navium, Caſtrorumque Typhus, aliæque hujuſmodi variis nomenclationibus donatæ Febres, phœnomenis atque ſymptomatibus apprime reſpondeant Febribus Ardentibus Phreniticiſque, *Sacrorum Ignium* ac Variolarum, imo & Morbillorum Conſectariis; ſupervacaneum eſſe videtur, noſtrum animum torquere, ut illarum efficientem cauſam eruamus a putidis corruptiſque enumeratorum locorum effluviis, contagium nunquam efformare valentibus, vel ex aliis id genus

(*a*) Epid. & Ephem. Lib. I: Conſtit. IV. Ann. 1571. p. 23.
(*b*) Lib. I. de Præſag. Vit. & Mort. Cap. XI. pag 30.
(*c*) Conſtit. Epidem. Auguſt. ann. 1697. apud Sydenh. tom. I. p. 452.
(*d*) Synopſ. Conſtit. Epid. Uratislav. an. 1699. apud Sydenh. ibid. p. 201.
(*e*) Conſtit. Epidem. Ferrarienſ. an. 1716. 1717. apud Sydenh. ibid. p. 534.
(*f*) Conſtit. Epidem. Taurinenſ. ann. 1721. apud Sydenh. Tom. II. p. 544.

Digitized by Google

nus nimium hypotheticis cauſis; dum Europæ ubique locorum, Variolarum, Morbillorumque exotica ſimul & epidemica *Miaſmata* proſtant, quæ varia ſecum circumducunt contagioſa Miaſmata, varios productura Morbos; vel id teſtante lugubri harum Febrium nuperis hiſce ſæculis apud Nos inundatione, frequentiori in ſaluberrimis Civitatibus graſſatione, altoque de iiſdem ante Variolarum in Europam perennem recurſionem Medicorum omnium ſilentio.

Additio quarta.

1. *Non eſt cur hic non adjiciamus, quid de hiſce epidemicis Ardentibus Febribus nuperi Medicinæ Proceres ſcripſerunt. Laudatus* Sauvageſius *morbos epidemicos generari aſſerit (a) ex miaſmatibus ſeu corpuſculis inſenſibilibus & volatilibus, e ſinu telluris & minerarum emiſſis; ideinque definit (b)*: „ Miaſma vel effluvium morbificum & contagioſum, quod vel intro generatur, ut ſcorbuticum, phthiſicum, ſcabioſum; vel aliunde in nos ſerpit, ut ſyphiliticum, hydrophobicum, varioloſum, peſtilens &c.". *In Febrium Noſologia conſtruenda, Sudorem Anglicum* Sennerti *(c) inter Ephemeras; Febrem varioloſam* Sydenhami *(d) inter Synochas; nervoſam vero* Huxhamii *(e) inter Typhodes adnumerat.*

2. *Commendatus* Macbridius *ad cauſas Febrium remotas miaſmata inficiendi facultate prædita revocat (f); quorum nonnulla (g) a rebus putreſcentibus; alia a magna hominum multitudine in eumdem locum concluſa oriri ſibi videntur*; alia contra, naturam ſpecificam habent, nec niſi certam morborum ſpeciem generare poſſunt, & quidem, quod ſumme notabile eſt, non amplius ſemel in eodem homine. *Febrem continuam in ſimplicem, inflammatoriam, nervoſam, putridam,*

(a) Pathol. Method. Pract. Sect. II. Cap. I. p. 83.
(b) Ibid. p. 86.
(c) Ibid. Noſol. Pathol. Sect. I. Ord. I. p. 130.
(d) Ibid. p. 131.
(e) Ibid.
(f) Tom. I. Introd. Method. Lib. IV. Cap. II. p. 150.
(g) Ibid. p. 151.

Digitized by Google

dam, *atque mixtam* (*a*) *diſpeſcit*. *De nervoſa hæc ſcribit* (*b*): „ Febres continuæ nervoſæ, ſive lentæ non raro, ſi tempeſtas calida atque humida præceſſit, epidemicæ ſunt, præcipueque in locis humilibus, & uliginoſis graſſantur “. *De putrida autem* (*c*): „ Materia Febrium putridarum nonnunquam paullatim intra corpus generatur, ac pro victus animalis corrupti, cui neceſſaria vegetabilium ſalubrium, putredini adverſantium, copia non adjicitur, ſoboles habetur. Aliæ Febres putridæ per infectionem a materiis illis ſubtiliſſimis, quas *Miaſmata* appellant, naſcuntur; quæ quidem miaſmata variis modis generantur, atque ad loca magno intervallo inter ſe diſtantia transferri poſſunt “. *Inter varietates Febris continuæ præ cæteris recenſet* (*d*) *varioloſam Sydenhami*.

3. *Celebratus* Cullenius (*e*) *plurimas epidemicarum Febrium ſpecies ſub* Typhi *atque* Synochi *nomine enumerat*. *In Primis vero Lineis Medicinæ Practicæ* (*f*) *generatim hæc ſcribit*: „ Quandoquidem Febres ut plurimum epidemicæ ſunt, veroſimile eſt, materiem aliquam in aere fluitantem, corporibuſque humanis adhibitam conſtituere Febris cauſam remotam. Hæc Aeris inquinamenta, homines afficientia, poſſunt tamquam *Miaſmata*, vel tanquam *Contagia* conſiderari “. „ Miaſma hoc (*g*), Febrium frequentiſſima cauſa, ſurgit ex humidis & paludoſis terræ locis calore agitatis “. *De Contagiis hæc ſubdit* (*h*): „ Atqui vero notum eſt, effluvia e corpore humano vivo aſſidue manantia, ſi diutius eodem in loco ſtagnent, neque per aera diffundantur, deleteriam vim tantam nanciſci, ut corporibus vivis applicata Febres admodum contagioſas gignant. Nuperrimæ obſervationes de Carcerum & Noſocomiorum Febribus exiſtentiam hujus cauſæ

(*a*) Tom. II. Ibid. Lib. I. Cap. I. p. 1.
(*b*) Ibid. Cap. IV. p. 18.
(*c*) Ibid. Cap. V. p. 25.
(*d*) Ibid. Cap. VI. p. 42.
(*e*) Synopſ. Noſol. Method. Sect. II. a p. 29. ad 38.
(*f*) Cap. IV. §. LXXX. p. 36.
(*g*) Ibid. §. LXXXII. p. 37.
(*h*) Ibid. §. LXXXV. p. 39.

Digitized by Google

ſæ pleniſſime probarunt" . *Tandem adjicit* (*a*): „ *Miaſmata* porro intermittentes, *Contagia* vero continuas Febres producere contendimus" . *En quo diſertiſſimum Cullenium pertraxit veterum Græcorum & vel ipſius magni* Hippocratis *haud extra culpam Doctrinæ contemtus* (*b*) . *Scientiarum equidem omnium maximum Medicinæ ædificium*, *non eſt unius Hominis*, *quem* veterum obſervationes parum docuiſſent (*c*), & attentionem ſuam penitus fortaſſis effugiſſent ; niſi res eædem ſibi ex propria obſervatione prius innotuiſſent ; *nec eſt unius ævi omnium phænomenön ad rem medicam pertinentium evolutio* , *& univerſæ fere Naturæ contemplatio* . *Illuſtrem hunc virum aufugit* Ars longa, vita brevis; *ſicuti præteriere æterna a Magno Sene jacta Artis Fundamenta*. *Porro apud Hippocratem comperiuntur Febres Ardentes atque Phreniticæ continuæ contagioſæ* , *minime* ab effluviis e corpore humano vivo aſſidue manantibus, diutiuſque eodem in loco ſtagnantibus *progenitæ* ; *comperiuntur & contagioſæ Intermittentes*, *uti inferius demonſtrabimus*, *haud a* Miaſmatibus ex humidis & paludoſis terræ locis, calore agitatis, erumpentibus *ortæ*, *ſed ab unis Sacris Ignibus effera ſoboles* : *Et ita ad ipſarum Naturæ leges* , *nulla inanium verborum luxuria* , *ſed gravi rerum pictura deſcriptæ comperiuntur*, *ut hodienum totam Europam depopulantes*, *varia quidem nomina*, *haud varium ſæviendi morem adeptæ* , *a cultioribus* Sydenhami *atque* Huxhamii *calamis non majori certe præ illo Hippocratis artificio depictæ fuerint*. *Quæ quidem ſi cum Febribus* endemicis, conſtitutionalibus, ſporadiciſque *ab iſtis Artis incrementa promovere cupientibus recte confuſæ ſint* , *necne* , *viderint Solertiores* ; *modo meminerint Methodi in re Botanica Peritiſſimorum* , *quos æmulari conantur* , *quaslibet plantas* exoticas *eſſe aut* indigenas *diligenter indicandi*.

4. *Laudatus* Ludwigius *nec in Pathologicis*, *neque in Medicinæ Clinicæ ſuis Inſtitutionibus aliquid* , *quod ad Ardentes atque Phreniticas Hippocratis Febres referri poſſet*, *exſcri-*

(*a*) Ibid. §. LXXXVII. p. 40.
(*b*) Synopſ Noſol. Meth. &c. Proleg. p. XI. & XII.
(*c*) Ibid. p. XI.

ſcribendum exhibet. *Generatim* Contagium *ab humano corpore repetere & ipſe videtur:* „De natura, *ait* [*a*], Contagii, in quo cauſſa proxima [*Peſtis*] ponenda eſt, ſupra §. 147. *ſeqq.* diximus ". *Hac citata paragrapho ſcripſerat*: „ Cauſſæ proxima & prædiſponentes [*Febris nimirum petechialis*] cum iis, quas in catarrhali maligna expoſuimus §. 124. conveniunt: gravitas vero morbi a ſubtiliori materiæ morboſæ reſolutione & acrimonia, magis activa reddita, dependet. Dubium quidem eſt, quidnam ſit illud contagioſum, quod & in ægroto evolvitur, & vicinis corporibus communicatur, quum nec mixtiones minimas perſpiciamus, nec differentiam morboſorum ſymptomatum adeo definire queamus, ut ab iis ad materiam ipſam concludere valeamus. Duas vero ejuſdem proprietates, ſcilicet *halituoſam* & *multiplicativam* maxime attendendas eſſe, experientia docuit". *Allegata tandem* §. 124. *inquiebat*: „Cauſſa proxima [*Febris catarrhalis malignæ*] in acri ſero poſita eſt, quod ob ſummam humorum dyſcraſiam, & in primis ob debilitatem ſolidorum, nec rite ex ſanguine evolvi, nec per conſueta corporis colatoria expelli poteſt. Cauſſæ prædiſponentes &c."

5. *Quamnam ſententiam tueatur commendatus* Burſerius *de Ardentibus Phreniticiſque Hippocratis Febribus*, *ejus Doctrina circa Febrim lentam nervoſam* Huxhamii *planum faciet*: „ Quando, *inquit* [*b*], communiores cauſſæ plures eodem tempore afficiunt, popularemque morbum reddunt, *epidemica* tunc eſt, & pernicioſior. Quo in caſu, ni ſani ſibi caveant, facile ſuſcepto maligno, & nervis infenſiſſimo, *Miaſmate* in eamdem incidunt. Tunc etiam *contagioſa* dicitur, quia per ſubtiliſſimos halitus, putridoſque vapores ab ægris manantes in adſidentes, inſervienteſque diffunditur. Interdum, ex ſola mora in aere putridis, morbidiſque effluviis ſcatente, ut in Noſocomiis ſæpe contingit, ipſa contrahitur. Tunc patet, eam eſſe ex putrido contagio, dicique poſſe *Noſocomialem* . . . Notum etiam eſt acrem non reno-

(*a*) Inſtit. Medic. Clinic. Part. I. Cap. I. Subſect. IV. §. 158. p. 70.
(*b*) Vol. II. Part. alter. §. CCLXXIX. p. 94. 95.

renovatum, in quo complures frequenteſque vel ſaniſſimi homines diu clauſi detinentur, uti in Navibus vel Carceribus ſæpe fit, humanis halitibus atque effluviis ita corrumpi, ut veneni inſtar immiſſa animantia cito enecet, deſtructa nimirum nervorum & cordis potentia. Febris ex hujuſmodi cauſſa orta, lenta nervoſa eſſe ſolet, & *Nautica*, aut *Carceraria* nuncupatur, & ſæpe adeo peſtifera eſt, ut *contagione* in vicinos, & ceteroquin ſaniſſimos ſola infectorum præſentia pernicioſiſſime propagetur ut Peſtis".

6. *Ex Illuſtris* Caldanii Pathologicis Inſtitutionibus *nihil ad haſce Febres. Generalem* Epidemicorum *Morborum Theoriam ſequentibus* [*a*] *adſtruxit*: *Inter Peſtim & Morbos peſtilentes diſcrimen intercedere aſſerit*, *quia Peſtis*, *præterquamquod plures interficiat*, *ex unica pendeat cauſſa*; *Peſtilentium vero cauſa partim a principio ſparſim prius graſſante ſine contagii ſuſpicione*; *partim a peculiari quodam vitio ſive in aere*, *ſive in alimentis inſito*, *ſuppeditatur*: *Peſtilentes tamen* [*b*] *eſſe ſimul contagioſos admittit*; *at contagioſos ſimpliciter*, *uti* Scabiem, Luem veneream, Tabem, Variolas, Febres nonnullas acutas, *negat eſſe peſtilentes*: Epidemicorum *ortum* [*c*] *a vitiis in aere naſcentibus*, *ipſiuſque aeris inquinamentis*, *trahit*; *neque alias cauſas occaſionales ſive externas ſive internas pro iis gignendis ſecludit*: *Ex humido & calido Aeris ſtatu* [*d*] *Febres mali moris*, *putridas*, *contagioſas*, *peſtilentes*, *promanare ſtatuit*: *Ex putridis vaporibus per aera diffuſis* [*e*] Peſtem *ipſam quandoque ſubortam fuiſſe ab illuſtribus Auctoribus admittit*: *Ventos denique* [*f*] *effluvia aquea*, *putrida*, *ſalina*, *alcaleſcentia*, *ſulfurea*, *metallica ab una in aliam regionem aſportando*, *putridis vel ſcorbuticis affectionibus*, *vel inflammationibus*, *vel pulmonum affectibus*, *vel aliquando etiam contagioſis & peſti-*

(*a*) Inſtit. Pathol. Cap. II. §. 52. p. 42. Edit. Neap. 1787.
(*b*) Ibid. §. 52. p. 42. ſeqq.
(*c*) Ibid. §. 55. p. 43.
(*d*) Ibid. Cap. XIV. §. 222. p. 206.
(*e*) Ibid. §. 237. p. 220.
(*f*) Ibid. §. 238. p. 221.

Digitized by Google

peſtilentibus Morbis, *ortum tribuere aſſerit*.

7. *At veniamus jam ad præſtantiſſimum Virum*, *qui primus inter recentiſſimos incultam* Epidemicorum *Morborum Provinciam excolere*, *ac ſentibus repurgare ſategit*, *celebrem nimirum* Equitem Michaelem Roſa, *Univerſitatis Mutinenſis P. P. P. & Medicæ Facultatis Præſidem &c. Hic equidem merito* [*a*] *mancam atque incertam dolet hanc Medicinæ principem Partem*, *a nemine*, *neque ab ipſo* Hippocrate (*uti fatur*) *ſatis enucleate propoſitam*, *& quidem non ſine maximo Reipublicæ damno*, *quum in nullo morborum genere plus periculi eſſe*, *in nulla re quam in hac Artem Medicam magis labare*, *fateri omnibus neceſſe ſit*: *Dolet* [*b*], bubonicam *Peſtim*, *utut cuſtodiarum diligentia vallatam*, *ad noſtra tamen uſque tempora non ſemel Europæ Provincias vaſtare*: *Ratis obſervationibus ſequentia aſſerta refellit*, Peſtem [*c*] in aere quærendam; in aquis, in herbis, in fructibus adeſſe venenum; antra [*d*], mephites, barathra, foricas, ſepulcreta, bellorum ſtrages, epidemicos vel contagioſos Morbos poſſe producere; Variolas [*e*] homini eſſe connatas; celticam luem e cœlo fuiſſe demiſſam; latens epidemicum Aeri inhærere: *Contagiorum Miaſmata & ſeminia* [*f*] *tanquam genitalia morborum ſemina*, *iiſdem multiplicandis idonea*, *vocari aſſerit*: Galenum [*g*], *populares*, epidemicos *nimirum*, *morbos etiam ciborum atque victus vitio enaſci poſſe contendentem*, *reprehendit*: *Mæret* [*h*] *cæcam hominum incuriam*, *qua plerumque* Contagia, *quæ adhibita diſciplina potuiſſent cito reſtingui*, *obtentu* Epidemici *impune evagentur*, *& multiplicata ſtrage excandeſcant*: *Denique hæc ſummopere notanda ſubdit* [*i*]: „Fore autem ei bene ſperandum eſt, qui hunc

 Aerem,

(*a*) De Epidem. & Contagioſ. Acroaſ. Præfat. p. 1. Edit. Neap. 1788.
(*b*) Ibid. p. 2.
(*c*) Ibid. p. 15.
(*d*) Ibid. p. 18 §. III. n. 55. cum not. p. 49. 50. & §. VIII. n. 58. p. 104.
(*e*) Ibid. §. II. n. 27. ſeq. p. 35. ſeq. & §. III. fere per tot.
(*f*) Ibid. §. II. n. 34. p. 39.
(*g*) Ibid. §. IV. n. 90. p. 70.
(*h*) Ibid. §. V. n. 110. p. 83.
(*i*) Ibid. n. 114. p. 83.

Aerem, quo ſuſtentamur, liberatum lethalitatis infamia, ſimul excuſſo metu *latentis*, ſpirabilem, innocuum mortalibus reſtituerit: ſimul revelata *Contagiorum* natura, deminutis vitæ periculis, aucta ſecuritate, præſtantiſſimam Medicinæ partem novis auctibus cumularit„. *Mirum vero nobis videtur, eloquentem hunc Auctorem, hiſce magnis perfuſum luminibus hiſcemet pugnantia* Epidemicorum *Morborum Theoriæ Fundamenta adſtruxiſſe; quorum ſumma capita, ſatis contracta, cultiſſimoque calamo quum ſcripta ſint, ulteriorem reſpuentia contractionem, ita ſe habent:* Diſtinguendum, *inquit* [a], eſſe apprime inter hæc, ut nec *Epidemico* arcanam peſtilitatis naturam, nec *Contagiorum ſeminiis* epidemicam rationem & vim tribuamus. Diſtare late hæc ipſa inter ſe: *Epidemicum* enim rediro ad ipſas Aeris conſtitutiones; *Contagium* perſtare ipſum in ſeipſo oſtendemus. Proin *epidemico* corpora ad morbos diſponi; ab *Contagio* eoſdem excitari atque confieri". *Conf. noſt. opus* §. 13. 14. 20. 62. *&* 215. „Quibus libris [b] *Hippocrates* de *Epidemicis* multa propoſuit ſapienter atque præclare, iiſdem peſtiferos quoque, & peſtes ipſas complexus eſt: quandoquidem *contagiorum* ignorata ratione, peſtiferos ab *Epidemicis* non magis natura, quam vi atque pernicie diſtinguendos putavit". *Confer. noſtrum opus* §. ſ.c. *&* §. 18. „Primo equidem [c] *Epidemicus* quicumque eſt morbus, hic nullis affixus ſpatiis locorum aut temporum, vagatur late per cuncta; quocunque eruperit ſimul multos prehendit, & uniformiter vexat. Apparet plerumque vere & autumno, nec durat diu; ſed altera tempeſtate ortus, altera abſumitur, & quum deferbuit, definit; raroque niſi mutata facie revertitur". *Conf. noſtrum opus* §. 27. *&* 28. „*Contagium* [d] eſt quod e corpore, aut e fomite tranſit in corpus: *Epidemicum* contra illud eſt quod plures ſimul, & immediate prehendit, nempe quod a communi cauſa, atque loco, ideſt ab Aere, qui communiſſima cauſa eſt, & *Epi-*

(a) Ibid. §. IV. n. 73. p. 62.
(b) Ibid. n. 67. p. 59.
(c) Ibid. § II. n 30. p. 37.
(d) Ibid. §. III. not. 20. p. 51.

Digitized by Google

Epidemici ſedes, immediate ſine traduce, ſine contactu, in ſingula corpora infunditur, aut cum ipſo aere hauritur. Ergo *Contagium*, ſi non eſt in Aere, non poteſt eſſe *Epidemicum*; ſi eſt in Aere, fruſtra vocatur *Contagium*. *Epidemicum* item, ſi *contagioſum* eſt, fruſtra in Aere collocatur: Et poteſt quidem nonnunquam ab *epidemica* cauſa *contagioſus* Morbus erumpere; at probat idipſum non in aere, ſed in corporibus *epidemicam* cauſam extitiſſe. *Contagium* nequeat *epidemice* in multos invadere, niſi ex multa nimis materiæ multitudine, aut citiſſima propagatione. Noviſſime illud perpetuo recolendum eſt, quod in *Epidemicis* omnibus quæcunque ſint, non Aer ægrotat, ſed corpora. Nec ſi gallinas *epidemice* videas privato morbo perſtingui, credas in Aere tale *Epidemicum*, cæteris innocuum, verſari". *Confer. noſtrum opus §.* ſ. c. „Porro [a] equidem peccaſſe in his vulgo Medicos facile patet, & inconſultis hominum ſermonibus perturbatam hanc omnem *Epidemiorum* & *Contagiorum* notitiam; quum *Epidemicum* & *Contagioſum* ſine ulla paſſim diſcriminatione uſurpaverint; quum *Epidemicis* multa dederint, quæ manifeſtis conſtant *Contagiorum ſeminiis*; nonnullorum certa *Contagia*, in admirationis quamdam ſpeciem, *Epidemica*, ut *Boerhaavius* Variolas, eſſe contenderint; plures ipſas etiam brutorum atque hominum peſtilitates, repudiatis omnino *Contagiis*, *Epidemiorum* ordini adſcripſerint". *Confer. noſtrum opus* §. 31. „Quamquam [b] quæ *Hippocrates* paſſim adumbravit, diligentiſſime recoluiſſet (*Sydenhamus*), & obſervandi mira facultate præcelleret; tamen hæſit potiſſimum in eo, quod per quaſque conſtitutiones viſus ſit præſentis magis, quam præteriti temporis habuiſſe rationem. Tum Morbos vere *Epidemicos* cum *Contagioſis* ſæpe commiſcuit, quaſi ab unica cauſa penderent: eorumdem autem phœnomena niſi ab occulta Aeris poteſtate, explicari poſſe non cenſuit". *Conf. noſtr. opus* §. 9. *&* 10. „Atque hæc quidem [c] propoſuit (*Sydenhamus*) ut *Epidemicis* & *Contagio-*

ſis

(a) Ibid. n. 56. p. 50.
(b) Ibid. §. V. n. 97. p. 75.
(c) Ibid. n. 99. p. 76.

Digitized by Google

ſis videantur eſſe communia. Sed *contagioſos* deinde uſque adeo ab *latentis* dominatione ſemovit, ut ad Peſtem excitandam *contagioſa* in primis *miaſmata* neceſſario requiri contendat; quin ſuſpicari ſe quoque fateatur, nullam unquam in Aere peſtilitatis vim tantam poſſe cenſeri, ut Peſtem ſola progignat; ſed etiam *Contagia* neceſſario requiri: & *eſſe perpetuo vigentem alicubi Contagiorum ſcaturiginem, ut promanare hac illac facile poſſint*". *Conf. noſtr. opus* §. ſ. c. *ad* §. 15. „Habentur equidem [*a*] in hiſtoria propemodum per annos ſingulos exempla morborum, qui ſingulas ditiones, regiones, provincias, aut magnos admodum Orbis tractus identidem infeſtaverint; qui quanquam *epidemice*, nempe in quamplures graſſantur, intereſt tamen plurimum, ut *Epidemici* poſſint omnes vocari. *Epidemici* ſunt, qui quo loco regnavit cauſſa, conſiſtunt. Ex qua cauſſa qui facti ſunt morbi, dum conſiſtunt in loco, *ſimplices ſint*, *an contagioſi*, *perinde poteſt cenſeri*. *Contages* autem ſic genitæ aut *leves* ſunt, & facile *evanidæ*, quæ porro niſi inveniant corpora ſic præparata, nihil efficiunt: *proin nec extra locum facile feruntur*; quum ſint *evanidæ* & *leves*; nec ſi ferantur quicquam proficiunt, quod imparata corpora offendant. Corpora autem extra locum neceſſario imparata eſſe oportet. Cauſſa enim *epidemica*, *quæ ex magnis temporum perverſionibus certo conſiſtit*, quum phyſice agat in corpora, *non agit in diſtans*, nempe extra ſphæram, quam dicunt, propriæ activitatis nil poteſt proficere. Sed aliæ vel a *magnis Epidemicis natæ Contages*, vel a magnis omnino cauſſis in uno etiam corpore excitæ, tenaces nonnunquam ſunt, perſtantes, atque durabiles, quæ poſſint e loco etiam ad diſtans transferri viribus integris. Quum ergo videris Morbum quemvis *tota Europa*, etiam contrariis tempeſtatibus late vagantem, *quacumque Epidemici forma*, aut cauſſam reperias neceſſe eſt, quæ *tota Europa epidemice* affecerit, aut Morbum *epidemice* natum per *contages* irrepere fateare". *Conf. noſt. opus* §. 23. 24. 25. & 26. „Utique [*b*] in corporibus *ſanguinem*, *pituitam*, *utramque bi-*

(*a*) Ibid. Sched. ad Catarrh. not. 11. p. 234.
(*b*) De Epid. & Contag. §. 1. n. 12. p. 27.

Digitized by Google

bilem dominari per anni tempora, & tempeſtatum vices alternas". „Atque hos quidem caſus [*a*], dum ver ſanguinem exagitat, dum æſtas bilim flavam, dum atram autumnus exacuit, æque dum pigra hyems pigras in corpore pituitas congeſſit, morbos annuos, & pene certas tempeſtatum conſtitutiones appellant". „Ergo [*b*] quum *Epidemicos* morbos dicimus, eos *præſertim* intelligimus, quos ſuperiore loco per incertas, anomalas temporum conſtitutiones fieri prædiximus; quos proin *populares* utique, *pandemios*, *vulgivagos*, *non utique tamen communes*, tanquam a communi cauſſa, ut ab *Hippocrate* Scholæ hactenus nominaverunt; ſed *ex re ipſa non communes, quin immo raros*, *inſuetos*, *incertos* vocabimus. Non enim ab hac illa communitate cauſſarum, ſed quod nec certa lege, nec certis intervallis novantur; quod inſueta forma, & graviore etiam metu deſæviunt, a familiaribus, annuis, atque adeo communibus diſtinguendos cenſemus. Fereque *Epidemicos* proprie & tanquam pro dignitate *Epidemica Magna* appellabimus". *Confer. noſtr. opus* §. 18. 19. *&* 20. „*Divina* igitur [*c*] illa *Hippocratis* & occulta peſtilentium principia, *Contagiorum* indubia notitia ſupplentes, reliquorum etiam *Epidemicorum* cauſſas, quos *communes*, *vulgares*, *populares*, *vulgivagos* nominant, libenter in Aere cum ipſo *Hippocrate* perquiremus. Aeris intemperiem ex multiplici ſenſilium qualitatum mutatione, meteoris, ventorum vicibus, externorum admixtione, per varios anni, tempeſtatum, & temporum ſtatus, quas conſtitutiones appellant, corporibus multifariam nocere. Nocere autem *non immiſſo Miaſmate*, nec veneni ſeminio, ſed ſolidorum mutato ſtatu, fluidorum craſi vitiata, motuum ordine, quantitate, vi paullatim alterata. Nec omnino ab his cauſſis materiem morborum inferri corporibus, aut *miaſma*, ſed nativa paullatim alterari, multiformes humorum alienationes, & acritatum labes induci, donec vitium recipiant corpora, & *ſuis quæque modis* ægrotent". *Conf. noſtr. op.* §. 180. 284.

(*a*) Ibid. n. 21. p. 31.
(*b*) Ibid. n. 26. p. 34.
(*c*) Ibid. §. IV. n. 75. p. 62.

Digitized by Google

284. 285. & 287. „ Utique ergo [*a*] *Epidemicum* id eſſe convenit, quod ex inſueta cœli conſtitutione, inſuetos aliquando Morbos, eoſque graves, & uno tempore frequentiores propagat. Nempe non inſuetum aliquod in Aere *principium*, *ſeminium*, *miaſma*, ſed inſignem aliquam pro tempeſtatum ratione in *ſenſilibus Aeris qualitatibus alienationem*. Quo titulo conſequens eſt nec regulares annuos & tempeſtatum *communes*, qui certis temporibus revertuntur; nec *peſtilentes*, *Peſtemve* comprehendi; ſed qualia *totis libris deſcripta ab Hippocrate a magnis temporum perverſionibus ſiunt*; quæ nullis obſtricta legibus incerta huc illuc feruntur, & *Magna* jure *Epidemica* nominantur". *Confer. noſtr. opus* §. 27. & 42. „ Prorſus vero [*b*] qui non negaverint, ſanis etiam ab autumno ad hyemem ſtatum ſanguinis, humorum, corporis univerſi fieri varium & permutatum, eaſque mutationes e natura cenſeri; eos quoque fateri neceſſe eſt, facile periclitatum iri corpora, ſi quid eas mutationes ſtatis temporibus interceperit. Ut ſi conſtitutio autumnalis perrexerit tota hyeme atram bilim exaeuere, quam aſſuevit natura compacto per frigus corpore, & denſatis humoribus temperare; neceſſe ſit vere novo objiei corpus novis temporibus imparatum: multoque etiam magis & gravius, ſi hunc corporis ſtatum, poſt auſtralem hyemem ver boreale, tum deinde æſtas humida exceperit: corpore enim non expurgato, nec renovatis ex ordine humoribus, veteraſcentem intus materiem computreſcere vehementer neceſſe eſt". *Conf. noſt. opus* §. 180. „ Profecto [*c*] futuros tales fuiſſe Morbos utraque æſtate in *Thaſo* & *Cranone* nemo crediderit, ni ſqualidum autumno cœlum, & mitis per Auſtros hyems anteceſſiſſet: nec talia relaturum fuiſſe *Hippocratem*, niſi certam & conjunctiſſimam horum inter ſe rationem peritiſſimus Naturæ Scrutator intellexiſſet; cujus deſponſam in his fidem tot jam ſæculorum vices, & teſtimonia nondum refellere potuerunt". *Conf.*

(*a*) Ibid. n. 77. p. 63.
(*b*) Ibid. n. 81. p. 64. 65.
(*c*) Ibid. n. 89. p. 68.

Digitized by Google

Conf. noſt. opus §. 180. „ Quæ [*a*] quum *Galenus* ipſe, *Valeſius*, *Ballonius*, atque inter poſtremos *Huxhamius* ita ſint interpretati, ut reſpiciendum eſſe perpetuo in *anteacti temporis viciſſitudines* fateantur; quum eadem abunde *Hippocrates* diſertis *Epidemiorum* libris tradiderit, ut ſimilium cauſſarum vi, nempe inverſis & alienatis ſucceſſionibus tempeſtatum, graviſſimas *popularium* conſtitutiones regnaſſe prodiderit in *Thaſo* & *Perintho*, in *Cranone peſtilentes* & *Peſtes*; mirum admodum videri oportet, Philoſophis nonnunquam magis quam Medicis (*Baconi nimirum Verulamio*) fuiſſe talia certa & perſpecta; Medicis autem non adeo omnibus placuiſſe, ut etiam in hac doctrinarum luce, quam quotidie jactamus, exstiterint adhuc, qui ab manifeſtis & certis ad abſcondita illa veterum & incomprehenſibilia qualitatum portenta confugerent". *Conf. noſtr. opus* §. 71. 173. 180. *Hæc talia de Epidemicis philoſophatus eſt Cel. Auctor*: *De Contagioſis vero præ cæteris hæc nobis occurrunt meditanda*: „ Eſſe, *ait*, non in aere (*b*), ſed in ipſis intus viventum corporibus *materiatam peſtilentium omnium contagem*, phœnomena cogunt fateri: & id multo etiam magis, *quum vivificam Aeri vim exſolvendis, perſtinguendiſque exhalationum omnium vaporibus, inditam eſſe a Natura* demonſtrant cuncta obſervationum omnium argumenta". *Conf. noſt. opus* §. 7. „ Cæterum (*c*) ut *contagioſa* eſſe *Epidemica pleraque omnia concedam*; facile adducor, qui *Sporadicos* quoque Morbos non raro *contages* fundere intelligam". *Conf. noſt. opus* §. 29. 30. „ Nec fore eas (*d*) (*qualitates nimirum*) infra *epidemicam* poteſtatem illud demonſtrat in primis, quod *contagioſos* quoque Morbos *abſque Epidemico*, *abſque ſeminio* conſueſſe compertum ſit excitari". *Conf. noſt. opus* §. 20. „ Rurſum (*e*) commemorare & illud oportet ſeu *conſenſione cauſſarum fortuita*, ſeu ſpontanea humorum mutatione, mul-

 ta

(*a*) Ibid. n. 90. p. 69.
(*b*) Ibid. Præfat. p. 13.
(*c*) Ibid. p. 16.
(*d*) Ibid. §. III. n. 54. p. 48.
(*e*) Ibid. n. 60. p. 54.

ta ſæpe progigni intus in corpore ab *innocuis humoribus venenata contagiorum miaſmata*, *ut dyſenterici inter milites Fluxus*, *ut peſtiferæ carcerum Febres*. Eadem ſic nata *Miaſmata*, ſi mora acuantur, ſi ſtagnatione invaleſcant, *in peſtilentes*, *fereque in Peſtes evadere*: *quemadmodum reſeratis nonnunquam obſoletorum cadaverum foveis* relatum eſt contigiſſe: Uſque adeo non modo *contagioſum ſine epidemico*; *ſed naſci peſtiferum ſine ſeminio* videri poſſit. Uſque adeo *animale præſertim putridum in peſtilens acui*, *atque evehi ſponte poteſt*; quæ de *Contagiis* probata ſunt omnibus, de *Epidemicis* abunde negantur". *Conf. noſt. op. a* §. 37. *ad* 42. & §. 215. 216. „Contagiorum autem (*a*) eſſe *certa perſtantia*, *ex certis principiorum elementis*, *certis legibus coagmentata principia neceſſe eſt*; *quæ effectus certos ab ævo in quibuſvis*, *quoque tempore & loco*, *ſemperque eoſdem producant*. Nec ulla alicubi eſſe certa e terrigenis *contagiorum elementa* certis unquam obſervationibus compertum eſt: nec ulla ullibi, quæ certas Morborum *Contages* perpetuo, & certo produxerint". *Conf. noſtr. opus* §. 81. 82. 83. „Credo equidem (*b*) *Elephantiaſim*, *Celticum*, *Stomacacen*, quem *Scorbutum* noſtri nominant, *Jaw* item, *Pian*, & quæ ſunt cætera inaudita, inter *Barbaros* Morborum *portenta*, *vitio cæli*, *atque ſoli*, *vitio victus*, *aquarum vitæ progigni*, & *certas deinde per contages vulgari* ... Sic ortas paullatim contages, quas *tardas* vocamus, conſpiratione cauſſarum externarum, *corporatas materie animali*, *miniſterio unicō vitæ*, ſuccreviſſe in corporibus, inhæſiſſe certis terrarum locis & conditionibus; nec potuiſſe deinceps avelli atque extingui, niſi mutata Aeris, locorum, & corporum conditione, deminutis paullatim viribus, evanuerint". *Conf. noſtr. op.* §. 31. „Utique ex corrupta aquarum colluvie (*c*), aut cœno telluris, aut gravi aliquo locorum vitio *peſtilentes* ſæpe morbi naſcuntur: erraret autem qui crederet, vapores illos, quorum cauſſa morbi tales emergunt, tuliſſe in corpora *contagio-*

(*a*) Ibid. §. VIII. n 151. p. 105.
(*b*) Ibid. n. 153. & 154. p 107.
(*c*) Ibid. not. 60. p. 109. 110.

Digitized by Google

giorum materiam, aut *contagioſos* ipſos fuiſſe: non ſunt *contagia* illa, ſed vere *miaſmata*; nempe inquinamenta, quæ humores corporum graviter vitiant, atque ipſa corpora labefactant. Proin poteſt illorum vi talis & tanta in corporibus fieri permutatio, ut & Morbi inde enaſcantur, atque ii vere *contagioſi ſint & peſtilentes*". *Conf. noſtr. opus* §. 39, 40 41. & 42. „Spirabilem aerem purumque (*a*) exhalans e ſanis corporibus vapor, primum innocuus, paullatim copia oneratum, tandem venenata malignitate contaminat, & vitæ reddit exitialem: cohibita intus in ſano corpore perſpiratio, cito degenerat; tum humores paullatim vitiat, nervos infeſtat, obſcuros malignoſque morbos inducit. Quin & a ſimplicibus cauſſis enati morbi, humorum ſpontanea ſeceſſione, vel ſingulari intemperie, vel *parte aliqua in ſummum animalitatis evecta*, primum corpus omne contaminant; tum acres malignoſque effundunt vapores, demum manifeſta *contagiorum ſeminia*". *Conf. noſt. opus* §. 41. „Ergo non alte petita (*b*), non demiſſa cœlo, nec evecta ab inferis, nec ab aere promanans *contagiorum* natura derivanda eſt; ſed *ex animali ducta progenie vi ipſa vitæ, ex interiore vitæ elemento, calore, motu, quidquid difflabile factum eſt, ſi expiratione, motu prohibitum, denſatum intus coaluit, aut intimiore partium attritione attenuatius, penetrantius evaſit, diſſociata, aut mutata elementorum compage, ſervata quidem natura, viribus auctis explicatiſque, in contagem degenerat*". *Confer. noſtr. opus* §. 38. „Eſſe autem id mirum (*c*) in his perſtantis naturæ teſtimonium oportet, quod (*Contagia*) nec ſpatio vincantur, nec mora, nec tranſitione degenerent; ſed iiſdem ſemper ex æquo viribus, eaſdem morborum labes inducant. Num *eſſe vim quamdam vitæ inorganicam fateamur in bruta materie?* aut *eſſe in multis latentis quædam organitatis primordia, materie per varios permutationis gradus ad organitatem*, & *vitalitatem* provecta? (*Hic Ill. Auctor not.* 78. *p.* 147. *affert vibratilem gelatinæ mobi-*

(*a*) Ibid. §. IX. n. 171. p. 120.
(*b*) Ibid. §. X. n. 195. p. 133.
(*c*) Ibid. §. XI. n. 214. p. 146.

mobilitatem ab Ill. Hallero relatam, *ſimul & carioſæ Pergamenæ*, *ex aqua decoctæ*, *inque gelu redactæ nimis tremulum motum*; *ſubditque ſequentia*: „Quapropter qui organicas *Buffonii* moleculas negant, videant quid de hac iſta quoque, quæ ſenſu percipitur, animalis materiæ proprietate conſtituant".) *Conf. noſtr. opus* §. 38. „Ergo (*a*) *a vitalitate provecta nimis*, *aut alienata*, *conflari communem quamdam tandem contagii naturam*, *quæ omnem contagiorum rationem & vim* comprehendat". *Confer. noſtrum opus* §. 15. „Uſque adeo (*b*) credibile eſt per loca terrarum certa, certas poſſe *Contagiorum* partitiones, per *varios peſtilitatis gradus ordinatas* conſtitui. Fateri enim manifeſta rerum veritas cogit, *Contagiorum* hanc omnem familiam non ſatis hactenus definitam atque ordinatam videri: & fore ei, qui hanc iſtam in ſe ſpartam ſuſceperit, cogitandum, hoc omne genus dividi primum in *acuta*, & *diuturna* oportere. *Acuta* autem, quæ hactenus indigitamus, oportere diſtingui in *exotica*, *quæ eadem plerumque nativa ſint*, *primigenia*, *perſtantia*, *ut Peſtem*, *Variolas*, *Morbillos*, ſimilia; inde in *indigena*, *eademque fortuita*, *eventitia*, *& evanida*, qualia fortaſſe nobis *Stomacacen*, quem *Scorbutum* vulgo nominant, & *Miliaria*; multo autem certius *dyſentericos Fluxus*, *Febres Caſtrenſes*, *Malignà Exanthemata*. Non omittendum putamus recentem a *Frid. Ludov. Bang* contagiorum diviſionem: „*Forma contagii eſt vel halituoſa ſeu acuta*, *vel non halituoſa*, *ſeu chronica*. *Halituoſa contagia ſunt peſtiferum*, *putridum*, *varioloſum*, *morbilloſum*, *dyſentericum*: *non halituoſa*, *rabioſum*, *ſeu hydrophobicum*, *carcinomaticum*. *Dubia contagia videntur Miaſma Scarlatinæ*, *& Tuſſis epidemicæ*, *quod licet* C. Vogelius *rejicit*, *tamen valde contagioſum eſt*. *Arthriticum*, *Phthiſicum inter dubia refertur*"... Qua in re illud nobis inter cætera annotandum videtur, improvide omiſſam a *Bangio* videri diviſionem illam, quæ ſit in *exotica* & *indigena*, non modo quia immenſum diſtant ab

(*a*) Ibid. n. 227. p. 154.
(*b*) Ibid. n. 227. 228. cum not. 83. p. 155. 156.

Digitized by Google

ab invicem, ſed multo etiam magis, quod *exotica* quum ſint & *primigenia*, eſſe eadem neceſſe ſit *alienigena nobis*, *& adventitia*, *quæ proin oporteat fuga*, *vitatione*, *coercitione magis*, *quam ſpe curationum edomari & pervinci*: qualis conditio eſt potiſſimum veræ *Peſtis* & *Variolarum*. *Indigena* vero quod fortuita, multiplici tamen conſpiratione cauſſarum *ubivis naſcantur*, *nec a perſtantibus ſeminibus* prodeant, poſſunt, non tam Medicina, quam multarum rerum procuratione nonnunquam anteverti". *Hæc Præclariſſimus Eques Michael Roſa*, *apud quem de Ardentium* & *Phreniticarum epidemicarum Febrium vetuſtiſſima origine nil comperi nobis datum eſt*. *Quoad Epidemicorum Morborum diviſionem confer. noſtr. op.* §. 60. *uti & Apparatus Inſtitutionum Pathologico-practicarum* (*a*) *apud noſtrum Commentariolum*, *jampridem typis datum*, *cui titulus*: *Supplemento alla Memoria per ſervire alla facile e perfetta eſtinzione del Vajuolo*, *e di tutti gli altri Morbi contagioſi in tutta l' Europa ec. Napoli* 1788.

8. *Accuratiſſimus ille*, *cui noſtri hujuſce Operis perpenſatio demandata fuit*, *pertractans de Febribus in Genere* (*b*) *ita loquutus eſt*: „Frequentiſſimus Febris caſus eſt, in quo clauditur abdomine morboſa ſaburra, nervos quos attingit immediate lædens, ad alios vero nebulam ſubinde ejaculans noxii vaporis. In hoc igitur utrumque (*alicujus nimirum particulæ ſyſtematis nervoſi conſtans irritatio*, *& ſanguinis univerſi vitium*, *duplex ipſi generica Febris cauſa*, *ut ibid.* §. 8. *p.* 4.) jungitur cauſſæ genus. Febrilem fomitem in Febribus, nulla fere earum excepta, abdomine contineri ex eo probari poteſt, quod fere in nulla earum maximam ſanationis partem, vel ſaltem aliquam non expectaverint ab excretis alvi omnes, poſt ipſum Hippocratem ſolertiores Medici". *Ubi de Febre bilioſa putrida hæc fatur* (*c*): „Ego vero eam hoc nomine adpellabo, quæ a ſordium in abdomine

(*a*) Artic. VIII. IX. & X. p. 116. 117.

(*b*) Lib. II. Inſtitut. Medic. Partis poſterioris, quæ eſt Noſol. Sect. I. §. XII. cum not. c. p. 5.

(*c*) Ibid. §. 510. p. 150.

Digitized by Google

mine nidulantium intenſiori putredine nata, celeriter, & cum vitæ diſcrimine currit, acuta ſcilicet eſt". *De putrida conſumptiva, ſive tabifica* ſcribit (*a*): „ Hæc phænomena oſtendunt, ſepticam Sanguini tradi ex abdomine ſubſtantiam, qua ejus elementa prompte diſſolvantur, & putreſcentia difſluunt". *De Typho Carcerum & Noſocomiorum* ait (*b*): „ In hac univerſi Sanguinis adſunt memoratæ (502.) conditiones ad gradum maxime provectum, quas potentiſſimus parit halitus ex abdomine in ſanguinem remeans". *Subditque* (*c*): „ Contagione traduci hanc Febrim poſſe certum eſt: at exhalans ex ægro vapor morbum in ſanum corpus ferens nonniſi facem ſubjicit præexiſtenti incendii pabulo (113)". *De altero Typho, quem ab Huxhamio Febrem nervoſam vocatam fuiſſe refert, hæc præ reliquis habet* (*d*): „ Eadem hanc princeps conditio gignit, ac reliquas omnes, ſordium ſcilicet putreſcentium in abdomine præſentia, cui tamen graviſſimæ aliæ læſiones accedunt"; *dein ſubdit* (*e*): „ Epidemica namque forte nunquam nervoſa Febris eſt, ac proinde facillimum non minatur contagium, quod a conditionibus, quarum ſoboles eſt, facillime & aperto deducitur". *De Rheumatica tandem inquit* (*f*): „ Febris quidem non aliam cauſam agnoſcit, quam clauſam abdomine vitioſorum ſaburram. Ab hujus varia conditione pendet quod alias remittens, alias continens ea videatur, & non raro manifeſte perniciosa ſit".

9. *An hæc nuperrima Epidemicorum Morborum* Theoria *a diſertis literatiſſimiſque Reipublicæ Medicæ Æſculapiis Poſteritati literis commiſſa, ratis, perpetuis & ex illorum ſolummodo intima natura expetendis obſervationibus probe reſpondeat necne: An ab horum virorum aliquibus jacta principia amico connubio inter ſeſe cohæreant, vel potius aper-*

(*a*) Ibid. §. 524. p. 155.
(*b*) Ibid. §. 529. p. 156.
(*c*) Ibid. §. 532. p. 157.
(*d*) Ibid. §. 584 p. 175.
(*e*) Ibid. (ff) p. 173
(*f*) Ibid. §. 613. p. 181.

aperto diſſidio diſſocientur ; ſique cohæreant , num ea ſint , quibus epidemicarum *Febrium Ardentium atque Phreniticarum geneſis & vetuſta origo aptari queat ; noſtrum non eſt decernere*. Hypotheſibus *vacui , & veritatis inquirendæ ſtudio præpollentes rei medicæ Peritiſſimi huic magni ponderis muneri ſatisfacturi erunt . Noſtrum id unum certe fuit demonſtraſſe , in hac nimium abſtruſa* Epidemicorum Pathologiæ *parte* aliquid integre novi *in medium protuliſſe* .

10. *Perſentiſcimus non defuturum , qui a nobis reſcire velit* , quidnam tandem utilitatis *humano generi ſit allatura hæc profundius perquiſita evolutaque* Epidemicarum Ardentium Febrium Æthiologia ? *Niſi nos omnia fallunt , Bonum aſſerimus omnium maximum , ejuſdem nimirum humani generis* inæſtimabilem ſalutem . *Obſtrepet , ut ſibi libet , qui noſtrum Opus aliena , non propria doctrina nimium onuſtum , & pene a capite ad calcem aliorum verbis conflatum , vellicare ſtudet . In re Medica ratas aliorum obſervationes , compertaſque veritates , plurimi faciendas ſemper autumavimus ; noſtras , niſi firmis aliorum judiciis niterentur , perpetuo ſuſpectas habuimus . Vulgi inanem gloriam minime captantes , Sapientum vero literatorumque , qui furta facillime detegunt , gravem calculum pertimeſcentes , aliena bona , nihil laudis eorum dominis tribuendo , decerpere , noſtraque ſubdole facere , uti paſſim factitari videmus , turpe flagitioſumque jugiter putavimus . Cæterum non deerunt æqui Viri , qui res , non verba, probe perquirentes , quicquid novi in hoc Opere reperitur , noſtrum alienis placitis , nil tale opinantibus , firmatum , fateri dignabuntur . Promiſſam itaque ab hactenus recondita* Epidemicorum Morborum Pathologia *humano generi* ſalutem, *ex quodam veluti corollario , quod ſuæ* hypotheſi *laudatiſſimus* Eques Roſa *adjecit , eruere exiſtimavimus* : „ Porro , *inquit* (*a*) , equidem , ſi morbos liceat a magnis temporum conſtitutionibus futuros præноſcere , ut *Hippocrates* paſſim & luculenter oſtendit, numquid non eoſdem liceat , *ordinatis vivendi* legibus., & *diætetica diſciplina* , maximam partem

(*a*) De Epidemic. & Contag. Acroaſ. §. XII. n. 253. p. 175.

Digitized by Google

tem pervertere? Reclamat ratio, & magiſtra rerum experientia. Quinimmo, *aut nullam eſſe medicinam*, *aut illam hac ipſa*, *quam Prophylaxim* nominant, valere plurimum fateamur. Nec dubitandum, quin ipſi quoque *legum Latores* bene mereri de vita hominum, ut olim apud *Judæos*, *Indos*, *Ægyptios*, ſic noſtris etiam temporibus, poſſint, ſi in hæc diligentius animadverterint". *Si Febres itaque* Epidemicæ Ardentes *&* Phreniticæ, *quæ hodieuum ſub* Febris nervoſæ, Thyphi Carcerum, Noſocomiorum, Claſſium, Caſtrorum *&c. nomine totam circumeunt ac depopulantur Europam*, *a varioloſis*, *morbilloſiſque* Miaſmatibus *ortum ſuum repetant* (*a* §.252. *ad* 258.); *numquid extinctis Variolis atque Morbillis*, *eaſdem extinctum iri in dubium vocari poterit? Sint vero a peculiaribus Miaſmatibus*, *a Variolis Morbilliſve minime procedentibus*; *quum hæc omnia Europæ eſſe* exotica (§. 23. 24. *&* 41.) *probatum ſit*, *quamcumque in Civitatem*, *pagumve noviſſime invecta fuerint*, *nonne ſecluſo primo alterove ab iis arrepto ægroto*, *ipſarum contagium*, *uti reliquorum* Epidemicorum, *ſive* contagioſorum, *certo certius periturum erit? Quid interſit inter noſtram & ſuperius propoſitam* Prophylaxin, *diſertus nemo non videt*. *Equidem*, *pace celeberrimi Viri dixerimus*: *Si firma ſtent ipſius principia*, *nec pro ſuis* Epidemicis, *minus pro ſuis* Contagioſis *ulla profutura erit* Prophylaxis, *quum temporum tempeſtatumque viciſſitudines e ſueto ordine dehiſcentes ſemper evenient*, *nec populorum multitudo diæteticis legibus ab iis unquam vindicari poterit*; *&* Contagia, *utut* evanida, *ex principiis phyſiologicis*, *uni tuendæ corporis ſanitati deſtinatis*, *moleculas ad* organitatem, *imo ad* vitalitatem *non quidem perennem*, *ſed tamen propagationi aptam evehentibus*, *in humanis corporibus conflata*, *ſemel iterumque extincta*, *ſemel iterumque ad Mundi uſque excidium*, *vigentibus iiſdem cauſis*, *pullulatura erunt*. *Quo decet interim obſequio id unum a diſertiſſimo Viro expoſtulamus*: *undenam ut vetuſtis temporibus*, *& ante tria*, *quatuor*, *quinque ab hoc ſæcula*, Epidemicorum, *&* Contagiorum *aliqua*, *multa*, *forſan plurima*, *vel plane non*, *vel ſummopere raro*, *apud Europam extiterint*, *ut in alte-*

altera hujus Operis parte planum erit? An rerum parens Natura, veteraſcente jam terrarum Orbe, nunc temporis a ſuo in producendis effectibus immutabili ſtatutoque ordine deſciverit? Num phyſica hominum corporum compages, a parentibus nec hæreditario chronico *Morbo coinquinatis progenita, a veteri diverſa, mutata, ſuſque deque perturbata, nuperis ſæculis in deterius prolapſa eſt? Cordatorum Phyſiologorum, præſertim recentium, judicia id ſuſpicari non ſinunt. Æterna quidem in ſuis effectibus Naturæ lex, ab Æterno Sapientiſſimoque rerum omnium Creatore coordinata.*

11. *Nimis lubricam operoſamque rem eſſe a graviſſimorum virorum judiciis diſſentire, probe novimus; ſed in re nondum adhuc definita, neque firmiter explanata, quinimo ſummo Reipublicæ detrimento in varias diſciſſa partes, vel puſillis vitio verti non poterit, ſuum adjicere calculum, magniſque Ingeniis librandum ſiſtere. Celeberrimum itaque* Equitem Roſa, *virum omni ſcientiarum ſtudio exornatum, æquiſſimum, veritatis aſſertorem,* Hippocratis *eximium cultorem*, Hippocraticæque *Doctrinæ addictiſſimum, pro decernendis ſequentibus* Hippocratis *effatis ad rem propoſitam Judicem deligimus, atque enixe obteſtamur. Neque dubitamus quin ipſe, his bene perpenſis, ſolertiſſimus quum ſit, vel ipſum* Hippocratem *erraſſe, vel Medicorum Scholas a veritatis Hippocraticæ tramite diſceſſiſſe, decernat neceſſe eſt. Porro jam* §. 18. *genericam Morborum omnium partitionem, ab* Hippocrate *quadrifariam diſtributam, paucis innuimus. Nunc res urget ut eam paullo fuſius in ſcenam revocemus. Et primo accurate notandum venit*, Hippocratem, *quæ nos vocamus* contagioſa ſeminia, *græco nomine* Miaſmata *appellaſſe; quod Latini dein modo* morbidas ſordes; *nunc* morboſam exhalationem; *modo* morbidum inquinamentum; *nunc* morboſam excretionem *verterunt. Sic* lib. de Flatibus n. VI. p. 403. Vander-Lind. Tom. I, Hippocrates *ſcripſit*: Ὅταν τοῦτο ἢ πλέον, ἢ ἔλασσον, ἢ καὶ ἀθροώτερον, καὶ μεμιασμένον νουσεροῖσι μιάσμασιν ἐς τὸ σῶμα ἐσέλθῃ; *nimirum*: „Si is (*Aer*) aut plus, aut minus, aut cumulatior, aut morbidis ſordibus inquinatior ſe ingerat“. *Hæc Miaſmata ipſe Senex* Peſtilentium *Morborum efficientem*

 cau-

cauſam exiſtere diſerte cognovit, atque declaravit. Sic eodem libro n. VII. p. 403. *ſubdit*: „Ἐςι δὲ διϲϲὰ εἴδεα πυρετῶν, ὡς ταύτῃ διελθεῖν· ὁ μὲν, κοινὸς ἅπασι, καλεόμενος λοιμός· ὁ δὲ διὰ πονηρὴν δίαιταν ἰδίην τοῖσι πονηρῶς διαιτεομένοισι γενόμενος; *h. e.* „Sunt autem Febrium genera duo, ut hoc quoque nunc attingam, quorum alterum commune omnibus *Peſtis* appellatur; alterum propter malam diætam privatim his contingit, qui ea utuntur“.; *protinuſque* ibid. n. VIII. p. 404. *adjicit*: Ὁκόταν μὲν οὖν ὁ ἀὴρ τοιούτέοισι πλησθῇ μιάσμασιν, ἃν τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει πολέμιά ἐςιν, ἄνθρωποι τότε νοσέουσιν. *i. e.* „Quando igitur Aer hujuſmodi inquinamentis plenus eſt, quibus humana natura offenditur, homines ægrotant: *Unde diſertiſſimus* Hippocratis *Sectator* Jo: Colle *auctor eſt*, Contagium *ab* Hippocrate morbidam excretionem, *ſicuti ab* Alexandro Aphrodiſæo effluvium peſtilens *fuiſſe vocatum, uti notavimus* §. 15. *Idipſum* Hippocrates, *de* Peſtilentium *Morborum efficiente cauſa pertractans, confirmavit* libro de Natura Humana p. 274. ibid. *hiſce verbis*: „Καὶ δῆλον, ὅτι τούτου νοσερήν τινα ἀπόκρισιν ἔχον ἂν εἴη; *ſcilicet*: „palamque eſt inſuper eum ipſum ſpiritum, ſive Aerem morboſam aliquam exhalationem habere“. *Ex quibus verbis clare eruitur*, Hippocratem *ita in compertis habuiſſe* Peſtilentes *Morbos a* Miaſmatibus *ortum ducere, ut id in dubium haud vocari poſſe aſſeruerit verbo* palam eſt. *Hic vero operæ pretium eſt inquirere, quo nomine* Hippocrates Peſtilentes *Morbos donaverit. Accurate perſpectis ejus monumentis, perſpicuum eſt, eos perpetuo* Epidemicos *nominaſſe, ſicuti illos, qui ex Diætæ vitio originem ducunt*, Sporadicos. *Hujus veritatis luculentum habemus teſtimonium* Libro de Vict. Acutor. Vander-Lind. Tom. II. n. III. p. 270. *ita exaratum*: „Ὅταν γὰρ μὴ λοιμώδεος νούσου τρόπος τὶς κοινὸς ἐπιδημήσῃ, ἀλλὰ σποράδεες ἔωσιν αἱ νοῦσοι, καὶ μὴ παραπλήσιοι, ὑπὸ τουτέων τῶν νουσημάτων ἀποθνήσκουσι μᾶλλον, ἢ ὑπὸ τῶν ἄλλων τῶν ξυμπάντων, *nimirum*: „Quum enim non Peſtilentis morbi modus quis communis graſſatus fuerit, ſed ſparſi fuerint morbi, & non ſimiles, ab his morbis plures moriuntur, quam ab aliis“. *Quibus verbis liquido adhuc conſtat*, Hip-

Hippocratem, Sporadicis *Morbis* populariter *graſſari minime denegaſſe*; *quod & firmatur iis*, *quæ ſcripſit* Libro de Natur. Human. Tom. I. num. XVIII. p. 274. *ſic*: „ Ὁκόταν δὲ αἱ νοῦσοι γίγνονται παντοδαπαὶ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον, δῆλον, ὅτι τὰ διαιτήματά ἐστιν αἴτια ἕκαστα ἑκάστοισι, *h. e.* „ Quum vero omnis generis Morbi fiunt eodem tempore, palam eſt victus ſingulos ſingulis cauſas eſſe“. *Habemus & hoc eod.* Lib., *ubi* n. XIX. p. 274. *hæc leguntur*: „ Ὁκόταν δὲ νοσήματος ἑνὸς ἐπιδημίη καταστῇ, δῆλον, ὅτι οὐ τὰ διαιτήματα αἴτιά ἐστιν, *h. e.* „ At verò quum unius Morbi popularis graſſatio conſiſtit, manifeſtum eſt Diætam non eſſe culpabilem“. *Habemus & alia in* Libris de Morbis Popularibus, *in quibus teſte* Galeno *Hippocrates de* Peſtilentibus *egit Morbis. Sic* Lib. I. Popular. Sect. II. Vander-Lind. Tom. I. p. 663. *legitur*: „ Καὶ γὰρ ἄλες τὸ νόσημα ἐπίδημον ἦν, τἄλλα διετέλεον ἄνοσοι; *nimirum*: „ Nam hic Morbus ſatis popularis erat: cætera incolumes degebant“. *Et* ibid. p. 664. *habentur hæc*: „ Ἐπεδήμησαν δὲ καὶ δυσεντερίαι κατὰ θέρος πολλαί; *h. e.* „ Popolariter graſſabantur etiam Dyſenteriæ per æſtatem“. *Et* ibid. Sect. III. p. 696. *ſcribitur*: „ Τοῦ θέρεος καῦσοι ἐπεδήμησαν πολλοί; *ſcilicet*: „ Æſtate Febres ardentes populariter graſſatæ ſunt multæ“. *Ex* Sect. III. Libri III. *ibid.* pag. 722. *jam exſcripſimus hæc*: „ Τὰ μετ᾽ ἐπιδημήσαντα νοσήματα ταῦτα; *i. e.* „ Atque hi quidem erant populares Morbi“. *Et inferius* p. 726. ibid. *ſubdit*: „ Πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα πυρετῶν ἐπεδήμησαν εἴδεα· τριταίων, τεταρταίων, νυκτερινῶν, ξυνεχέων, μακρῶν, πεπλανημένων, ἀσωδέων, ἀκαταστάτων; *h. e.* „ Multa præterea alia Febrium genera populariter graſſata ſunt, tertianarum, quartanarum, nocturnarum, continuarum, erronearum, anxiarum, inconſtantium“. *Ita &* Lib. VI. ibid. Sect. VII. p. 816. *habetur*: Ταῦτα μὲν οὖν καὶ διὰ παντὸς ἐν τῷ θέρει· ὡς δὲ καὶ τὰ ἐπιῤῥηγνύμενα πάμπολλα. πρῶτον μὲν ἐν τοῖσιν αὐχμοῖσιν ὀφθαλμίαι ἐπεδήμησαν ὀδυνώδεες; *nimirum*: „ Hæc igitur omnino in æſtate fiebant, ſicut etiam cruptiones omnino multæ, & potiſſimum in ſiccitatibus lippitudines doloroſæ populariter graſſabantur“. *Tandem* Lib. VII. ibidem n. XXXI. p. 856. *legitur*: „ Χάριτι χειμῶνος ἐκ βηχὸς ἐπιδημίου προσγενόμενος πυρετὸς

τὸς ἐπέλαβεν ὀξύς ; *h. e.* „ Chariti hyeme ex tuſſicula populariter graſſante Febris adventans acuta corripuit". *Latinos* Hippocratis *Interpretes verbum* Epidemon , populare *vertiſſe* , *Græcæ linguæ peritiſſimus* Scaligerus *non probavit* , *quum* vulgare , vulgivagum *denotet* , *ut* §. 13. *innuimus* . *Quicquid ſit* , *ex allatis* Hippocratis *textibus planum eſt* , *Magnum Senem* , *I.* Contagium *ſatis perſpectum habuiſſe* ; *II. Illud* Peſtilentium *Morborum efficientem & peculiarem cauſam conſtituiſſe* ; *III. demum*, Peſtilentes *Morbos vocaſſe* Epidemicos: *qui quum uni* contagione *donentur*, *nos* §. 13. *haud inconſulto hanc propoſitionem tueri rati ſumus*: Epidemicum idem ſonat ac Contagioſum . *Bina igitur hucuſque habemus ex* Hippocrate *Morborum genera*, *ſuis characteribus diſtincta* ; Sporadicum *nimirum &* Epidemicum *: inquirendum reſtat* , *an circa alia duo genera* , Endemicorum *ſcilicet* , *&* Omnibus communium ex magna temporum mutatione , *Senis Doctrina ſatis firma ſibi perſtet* . Endemicos *quod ſpectat* , *qui &* indigenæ , patrii , vernaculi , *& quibuſvis Regionibus* proprii *ac* peculiares *latinis vocibus adhuc vocati ſunt*, nuſimata epicoria *in* Lib. de Aerib. Aqu. & Loc. *ubique locorum* Hippocrates *nominavit* ; *ſicuti & qui ex* magna temporum mutatione *proficiſcuntur*, *quos* Conſtitutionales *brevitatis gratia ſuperius nos appellavimus* , Pancoinos *ibidem vocavit* . *En ipſius textus* Lib. I. de Aerib. Aqu. & Loc. Vander-Lind. Tom. I. n. 1. p. 328. Εἰ γὰρ ταῦτα εἰδείη τις καλῶς · μάλιςα μὲν πάντα · εἰ δὲ μὴ, τά γε πλεῖςα · ὒκ ἂν αὐτὸν λανθάνοι ἐς πόλιν ἀφικνεόμενον, ἧς ἂν ἄπειρος ᾖ, ὔτε νυσήματα ἐπιχώρια , ὔτε τῶν κοινῶν ἡ Φύσις ὁκοίη τίς ἐςιν . ὥςε μὴ ἀπορέεσθαι ἐν τῇ θεραπείῃ τῶν νύσων, μηδὲ διαμαρτάνειν; *nimirum*: „ Nam qui hæc omnia probe, quantum fieri poteſt , cognoverit , aut horum plurima , eum non latere poſſunt, quum in urbem etiam ignotam ſibi pervenerit, neque Morbi regioni peculiares , & patrii , neque communis regionis natura , quæcunque tandem ea fuerit, ut non poſſit in cognoſcendis Morbis dubius hærere aut errare, ſicubi ad morborum medicationem adhibeatur ". Num. III. & IV. ibid. p. 330. *illorum morbos recenſet* , *qui* aquis paluſtribus ac

ac lacuſtribus *utuntur*, *ſubditque* : „ Νουσήματά τε τάδε ἐπιχώρια εἶναι ; *i. e.* „ Morbi vero hi ipſis vernaculi ſunt “. *Inferius vero* ibid. n. IV. *adjicit* : „ Ὀφθαλμίαι τὲ ἐγγίνονται ὑγραὶ, οὐ χαλεπαὶ καὶ ὀλιγοχρόνιοι, ἢν μήτι κατάσχῃ νούσημα πάγκοινον ἐκ μεταβολῆς ; *ſcilicet* : „ Lippitudines vero oboriuntur humidæ, non graves nec diuturnæ, ſi non ex mutatione temporum Morbus aliquis omnibus communis occupet “, *& iterum l. c.* p. 331. „ Ταῦτα μετὰ τὰ νουσήματα αὐτέοισιν ἐπιχώριά ἐστι· χωρὶς δ᾽, ἤν τι πάγκοινον κατάσχῃ νούσημα ἐκ μεταβολῆς τῶν ὡρέων, καὶ τούτου μετέχουσιν ; *nimirum:* „ Atque hi quidem Morbi ipſis vernaculi ſunt, præterquam ſi Morbus aliquis omnibus communis ex temporum mutatione oboriatur; nam & hujus participes fiunt “. *Et* ibid. n. VI. p 332. *ſcribit* : „ Τοῖσι μὲν ἀνδράσι τὰ νουσήματα ἐπιχώριά ἐστι· καὶ χωρὶς, ἤν τι πάγκοινον κατάσχῃ ἐκ μεταβολῆς τῶν ὡρέων. *i. e.* „ Ac viris quidem hi Morbi vernaculi ſunt, præterquam ſi quis omnibus communis ex temporum mutatione ingruat. *Eodem* Libro *a p.* 342. *ad* 345. n. XXV. ad XXX. *fuſius quam in* III. Aphoriſmorum Sectione *de diverſis anni temporum tempeſtatumque inſuetis viciſſitudinibus*, *Morborum maxime acutorum iliades afferentibus*, *pertractavit* ; *nullum tamen* Epidemicum *Morbum*, *uti nec in citata Aphoriſmorum Sectione*, *ab iis expectandum fore nos docuit*. Ibid. n. XXXVII. & XXXVIII. p. 349. *de Morbis Incolarum circa* Phaſim omnium fluviorum ſtagnatiſſimum, *regionem*, *quam Paludem Stygiam aliquis dixerit*, *egit*, *nec* Epidemicorum *Morborum meminit*. Libro de Humor. Tom. I. n. VII. p. 323. Endemicos *Morbos adhuc* nuſimata epicoria *dixit his quidem verbis*: „ Αἱ δὲ ἐπιχώριοι τῇσιν ὥρῃσι νοῦσοι δηλοῦσι τοὺς τρόπους. ὅ, τι δ᾽ ἂν ἐξαλλάξῃ ἡ ὥρη, ὅμοια ἢ ἀνόμοια ἔσται τὰ νουσήματα, οἷα ἐν τῇ ὥρῃ ταύτῃ γίνεται ; *nimirum* : „ Vernaculi autem temporum morbi indicant mutationes; & prout evariaverit tempus ſimiles aut diſſimiles erunt morbi, qui in hoc tempore oriuntur “. *Eandem verborum ſyntaxin adhibuit pro ventis regionalibus*, pneumata epicoria *eos vocando*. *Sic citato* Lib. de Aerib., Aqu. & Loc. n. I. p. 327. *ait* : „ Ἔπειτα δὲ τὰ πνεύματα, τὰ θερμά τε καὶ τὰ ψυχρά.

μάλι-

Digitized by Google

μάλιςα μὲν τὰ κοινὰ πᾶσιν ἀνθρώποισιν, ἔπειτα δὲ κ̀ ἐν ἑκάςῃ χώρῃ ἐπιχώρια ἐόντα; *ſcilicet* : „ Deinde ventorum calidorumque, & frigidorum, maxime qui ex his omnibus hominibus ſunt communes, & mox qui in unaquaque regione ſunt indigenæ & proprii “. *Et* ibid. n. v. p. 331. „ Ὁκόσαι δ' ἀντικέονται τοῖσιν πρὸς τὰ πνεύματα τὰ ψυχρὰ, μεταξὺ τῶν δυσμῶν τῶν θερινῶν τοῦ ἡλίου κ̀ τῆς ἀνατολῆς τῆς θερινῆς, κ̀ αὐτῇσι ταῦτα τὰ πνεύματα ἐπιχώριά ἐςι, τοῦ δὲ νότου κ̀ τῶν θερινῶν πνευμάτων σκέπη, ὧδε ἔχει περὶ τῶν πόλεων τουτέων: *i. e.* „ Quæcunque vero civitates ex oppoſito ſitæ ſunt ad ventos frigidos, inter occaſum ſolis æſtivum, & orientem æſtivum: etiam ipſis hi venti vernaculi ac indigenæ ſunt, ab auſtro vero & calidis ventis protectæ ſunt: Et de his urbibus ſic ſe res habet “. *Tandem* c. l. n. xxxviii. p 350. *ſic eſt loquutus* : „ Τάτε πνεύματα πολλὰ νότια, πλὴν αὔρης μιῆς ἐπιχωρίης; *nimirum* : „ Venti autem eis ſunt plurimi auſtrini omnes, præter unum ejus regionis proprium & indigenam. *Quid? quod evolutis, qua potuimus diligentia*, de Diæta, de Natura humana, de Humoribus, de Aeribus, Aquis & Locis, de Locis in Homine, de Flatibus, de Morbis, de Affectionibus, de internis Affectionibus, de Morbis Popular., ac de Victu Acutorum, Hippocratis Libris, *apud quos Febrium ac Morborum omnium tam acutorum quam diuturnorum mira ſimplicitate deſcribuntur hiſtoriæ*, *nobis minime datum fuit locum invenire*, *ubi* Hippocrates *morbis* Endemicis, *aut* omnibus communibus ex magna temporum mutatione, *minus* Sporadicis *verbum* Epidemon *tribuerit*? *niſi quis in medium afferre vellet clare ſpurium*, *& addititium textum*, *qui legitur citato ſæpius libro* de Aeribus, Aquis, & Locis *ſub initio numeri* vi. p. 331. *hiſce verbis* : „ Νοσεύματα δὲ αὐτέοισιν ἐπιδημεῖ, αἱ πλευρίτιδές τε πολλαὶ, αἵ τε ὀξεῖαι νομιζόμεναι νοῦσοι; *nimirum* : „ Morbi autem populares ipſis (*civitatibus nimirum ad ventos frigidos ſitis*, *ſaluberrimaque Atmoſpæra perpetuo gaudentibus*, *& quam longe a gignendis Miaſmatibus Epidemicis diſtantibus*) hi ſunt, pleuritides, & quos acutos eſſe receptum eſt “; *quem quidem non eſſe* Hippocratis *clare demonſtrat corruptio verbi* nuſi-

mata;

mata; *ſcriptum eſt enim* noſeumata, *aliter quam in ſuperius exſcriptis textibus reperitur; maxime quod circa finem hujus num.* VI. *adjicitur* „ nuſimata epicoria, *uti ſuperius adnotatum eſt*. Paulus Ægineta, *cujus Codex nuper nobis acceſſit, Morbos tam ex cauſis* ſporadicis, *quam ex* loci natura, *vel ex* magnis temporum mutationibus *populariter ſævientes, haud* Epidemicos, *ſed* publice graſſantes *appellavit* (*a*). „ *Perpendat itaque Literatiſſimus* Eques Roſa; *perpendant & reliqui Medicinæ* Aſclepiades, *an recte* Latini Medici, *& præcipue recentiores*, Epidemicum in magnis ſive repentinis temporum mutationibus inque prægreſſis ipſorum conſtitutionibus, in noxiis Paludum effluviis, atque in Diætæ vitiis & erroribus, *inquiſiverint. Perpendant qualem fecimus Medicinæ jacturam, ex quo* Græcæ Linguæ *ſtudium, rei Medicæ baſin, dimiſimus. Perpendant, quanto Reipublicæ damno Nuperorum Nonnulli, plebeculæ ignavoque vulgo Salutis monita prætexentes, Artem prope divinam vernaculo ſermone novatiſque Morborum nominibus corruperunt, Nebulonibuſque, Agyrtis, atque Circulatoribus proſtituerunt. Res eo perveniſſe videtur, ut valde timendum ſit, ne, prorſus deſerto* Latino ſermone, *quid* Peſtis *nomen ſignificet noviſſimi Tyrones non intelligent. Jam enim id Flagelli genus, neſcimus quo* Influentiæ *vocabulo legitur inſignitum. Ad rem*: Epidemici *verbum ab* Hippocrate *unis* Peſtilentibus, *ſive, quod idem eſt*, Contagioſis *Morbis attributum fuit; & hac de re, quos novimus*, Græci *Medicinæ Scriptores firmiter conſentiunt: unde malumus in ea cum* Hippocrate, *optimo Naturæ & Morborum Interprete, errare potius, quam ſine Duce veluti palantes Milites, ut alibi innuimus, huc illuc diſcurrere. At ad* Hippocratis *interpellatum textum*:

Varia

(*a*) Lib. II. Cap. XXXV. p. 86. 87. Ex verſione Jo: Guinterii Edit. Venetiis 1567.

Digitized by Google

Varia Exanthemata Sacrorum Ignium Conſectaria, ab Hippocrate raptim ſignata, hic pro variis Peſtilentiæ Speciebus minime decernuntur; ſed variolas ſimul conſequi demoſtrantur.

§. 259.

Erant inſuper etiam aliæ Febres, de quibus ſcribetur. Ora multis ulcere fervido affecta, ulceroſa. Fluxiones circa pudenda multæ, ulcerationes: Tubercula foris, intus, circa inguina. Lippitudines humidæ, longæ, diuturnæ cum doloribus: Eruptiones palpebrarum foris, intus, multorum oculos corrumpentes, quas ficus vocant. Erumpebant etiam in aliis ulceribus multa, & in pudendis. Carbunculi per. æſtatem multi, & aliæ, quæ ſeps vocantur, puſtulæ magnæ. Herpetes multis magni". Ex §. 252.

Analogia trigeſimaſexta.

§. 260. *Ora multis ulcere fervido affecta, ulceroſa &c.*] *Sydenhamus* (*Hiſt. I.* §. 254.) de ſua *varioloſa* Febre adhuc ſcripſit hæc: „ *Aphthæ inſuper exeunte Morbo oris interna fauceſque ſæpenumero obſident*"; ſicuti *Huxhamius* (*Hiſt. II.* §. 255.) de ſua *lenta nervoſa* ſequentia adnotavit: „ *Peſtifera ſemper eſt, ubi Aphthæ nigræ, petechiæ fuſcæ, lividæ, atræ, aut vibices quaſi apparent . . . Ubi puſtulis, papulis, aut maculis cutim deturpantibus* (phymatibus, atque ecthymatibus Hippocratis, uti in hoc græco textu) *Febris lenta ſtipatur*, contagioſa *eſt ut plurimum: quum vero* Exanthemata *mali ſunt moris, vulgo audit maligna*". In Hiſt. III. vero hæc loquutus eſt: „ *Coxis interea natibuſque* necroſi *affectis . . . Sextum inter diem ut plurimum & nonum erumpunt petechiæ, ſæpe lividæ, ſæpe etiam aterrimæ, quæ interdum repente evaneſcunt*". Enim vero, ut extra omnis dubitationis aleam ſiſtatur, Variolas, non minus quam *Sacros* Hippocratis *Ignes*, deſcriptos in hoc textu affectus poſt ſe trahere, unam allegaſſe ſufficiet Clariſs. *Beherenſii* obſervationem, quam ſub dehiſcente Variolarum graſſatione hiſce verbis

bis expoſuit (*a*): „*Poſt ſolſtitium vernum anni elapſi* (1694), *& luctuoſiſſimam Patriæ noſtræ Variolarum luem , vix cum media æſtate deferveſcentem , quin adhuc ſporadice graſſantem . . . Febres varii generis erant . . . Malignitas vero major , quo magis ad æquinoctium* (autumnale) *accedebant . Quibuſdam in locis adeo acutæ &* contagioſæ, *ut ægros altero die obiiſſe* ſuperveniente puſtula magna & nigra (in Hippocratis græco textu §.252. Anthraces) *in femorum altero fama referret . Alio in loco junioribus bubonum in inguinibus tumor* (phymata peri bubonas ibid.) *ſuperveniebat . . . Defluxiones magno numero circa id temporis occurrebant ad oculos* (Hippocratis in citato textu ophthalmiæ), *aures, maxillas, uvulam, cum ejuſdem & faucium eroſione, interdum ad pectus, ſcapulas, & quorſum non? interdum ſubito, ut ità loquar, recedebant, calore aliquo febrili, & laſſitudine per octiduum ſubſequente: in quibuſdam vero membrorum contractura , aliiſque* latentis Scorbuti *ſymptomatibus* (ibid. elcodea reumata) . *In primis quoque* frequens *humorum ſeroſorum ad* ſiniſtrum ſcrotum decubitus , *præcedente quadam quaſi horripilatione, ſiniſtri hypochondrii dolore; &* in inguine tenſione . . . *Non quidem me fugit , Scorbutum eſſe aſylum ignorantiæ Medicæ , plurimoſque affectus , quorum nomine eam incuſamus , vel morborum fientium , nullumque adhuc certum typum adeptorum, effecta eſſe*: *vel etiam* infelices reliquias exiſtere morbi alicujus nondum penitus deſtructi , *a quibus ſanguis & cæteri humores contaminentur*, ceu utrumque animadvertit Sydenhamus... *Et certe, non apud adultos ſolum , ſed & qui junioris adhuc ætatis erant , & in infantia conſtituti , frequentia* ejus generis ſymptomata notabantur. Morbillorum enim radices haud incommode quis in diatheſi ſcorbutica quæſiverit . . . *In adultis non modo morbis ſupra enumeratis comitem ſe adjungebat* Scorbutus , *ſed & inſuper aliis ſymptomatibus moleſtus erat . . . Alii* tuberculis *infeſtabantur*, maculiſque (ibid. phymata) ; *quidam*

N n

(*a*) Epiſt. ad Schroeckium Conſtit. Epid. Hildeſian. apud Sydenh. tom. I. §.II. XI. XII. & XIV. p.180.

Digitized by Google

dam vero tantum quando in lecto incaleſcerent. Gingivæ plurimis ſanguinolentæ (ibid. ſtomata aphtodea), & in iis, qui alias per totam vitam nec quicquam de Scorbuto perceperant, quique diætæ malum hoc cauſanti non aſſueti erant. *Aliis* phlogoſes eryſipelatoſæ in facie partibuſque externis (ibid. Erpetes megali); *quibus ceſſantibus punctiones in præcordiis cum Febre erratica ſuperveniebant*, Phthiſin *minitantes, niſi præventum fuiſſet*". Innocens ſimplexque Medicina, quæ unis obſervationibus firmatur, nos urget, ut hic quæ, vigentibus infeſtis Variolis, Cl. *Gabrliep* (*a*) adnotavit, curſim indicemus, *Aphthas* nimirum, *Tuſſes pertinaciſſimas*, *Febres continuas*, *Apoſtemata* & *ulcera calloſa*, *varicoſa*, *ſinuoſa*, *cum oſſium carie conjuncta*.

§. 261. *Tubercula foris, intus, circa inguina . . . Carbunculi per æſtatem multi, & aliæ, quæ ſeps vocantur, Puſtulæ magnæ*.] Tubercula circa inguina, in græco textu *§*.252. *phymata peri bubonas*: Carbunculi, græce *ibid. Anthraces*; Puſtulæ magnæ, græce *ibid. ecthymata megala*. His addenda, quæ ſub *Sacrorum Ignium* deſcriptionis initio *§*. 183. leguntur: „*in pudendis tubercula*, græce *phymata*; *Carbunculi*, græce *Anthraces*, quæ, quoſque ſub variolis certo evenire *§*. 203. & 205. probavimus, uti & *§*. 260. ſuperiorum cum Variolis analogiam dedimus. Unde nemo credat, *Morbum*, qui Athenienſes perdidit, *bubonicam* fuiſſe Peſtim. Hæc enim, aliaque ab *Hippocrate* recenſita *Exanthemata*, vel ſymptomatice *Sacris Ignibus*, horumque conſectariis *Febribus Ardentibus ac Phreniticis*, *tum Tabibus*, *Hidropibus*, *Ophthalmiis*, *atque Dyſenteriis*, ſupervenerunt; vel ſolivaga, uti illorum ſoboles, graſſata ſunt. Peſtim porro primariam conſtituerunt, *Morbus* a *Thucydide* narratus, cujus individuæ & peculiares comites fuerunt *parvæ Puſtulæ*, a *Thucydide §*.89. *Phlyctænæ* dictæ, quique ſub ipſius in Athenas ingreſſu, auctoque vigore, imo per integrum biennium, nec citas attulit mortes, nec *Bubones* vel *Anthraces* excitavit, ut *§*. 115. & 120. demonſtravimus; & *Sacri Ignes*

(*a*) Conſtit. Epid. Berolin. ann. 1700. apud Sydenham. Tom. I. p. 204.

Digitized by Google

Ignes, ab *Hippocrate* §. 183. *Eryſipelata polla* vocati, qui quidem *vulgaria & valde parva ulcuſcula in toto corpore*, vel *magnas inflammationes* perpetuo eructarunt; de quibus §. 217. 218. 219. & 220. actum eſt. Nec magni Hippocratis ſolertiam *bubonica* Peſtis fallere potuiſſet, quin præſentem propriis coloribus diligentiſſimus Morborum Scrutator appinxiſſet. An vero *ſtomata aphtodea*, *phymata*, *epiphyſes*, *anthraces polli*, *ecthymata megala*, *erpetes megali &c.*, quæ ab *Hippocrate* (§. 252. in græco textu) vulgata fuiſſe recenſentur, ſolivaga ſerpentia illas Morborum *Exanthematicorum* ſpecies conſtituerint, quæ a Recentioribus *Anginæ aphtoſæ*, *Petechiæ*, *Miliaria*, *Febris Scarlatina*, *Veſicularis*, *Urticaria* vocantur; an potius *ſymptomatice Sacris Ignibus*, reliquiſque horum conſectariis morbis, ſupervenerunt, Sermonis Græci Eruditis, opportunorumque commentariorum divitibus, decernendum linquimus.

§. 261. *Lippitudines humidæ, longæ, diuturnæ &c.*] Pro hujus textus analogia confer. §. 204. cum illic citatis paragraphis.

Epidemica Dyſenteria uti a Sacris Hippocratis Ignibus, ſic a Variolis ortum ducere videtur.

§. 263. Superius, *Hippocrates*, uti §. 206. adnotavimus, hæc retulit: „ *Alvi turbatæ . . . Atque hi quidem erant populares Morbi*; nunc in textu, §. 252. exſcripto, adjicit: „ *At vero circa Alvum multis multa & nociva acciderunt: Primum quidem teneſmi multis doloroſe: plurimis autem pueris, & omnibus qui erant ante pubertatem; & plurimi horum peribant: Lienterici multi, Dyſenterici, neque hi valde doloroſe. Seceſſus autem bilioſi, & pingues, & tenues, & aquoſi: Et multis quidem ipſe Morbus ad hoc decubuit, & ſine Febribus, & in Febribus: Cum doloribus tormina & volvuli maligni: multorum, quæ in corpore erant, & ſuppreſſa erant, exitus: & exeuntia progreſſa dolores non ſolventia: & his quæ offerebantur difficulter cedentia: Nam purgationes plurimos amplius lædebant. Ex his autem, qui*

ſic habebant, *multi quidem cito peribant*; *multi vero longius vitam agebant . Et in ſumma*, *omnes & qui longis morbis ægrotabant*, *& qui ex acutis*, *maxime ex his*, *quæ per alvum ſecedebant*, *mortui ſunt: Omnes enim Alvus ſuſtulit* ". Verba illa *& ſine Febribus* , *& in Febribus* clare demonſtrant, Dyſenteriam & id genus relatos affectus, tam Febres Ardentes Phreniticaſque, ſuperius expoſitas, comitatos, quam ſeorſim & ſuo jure, uti Sacrorum Ignium conſectarios, fuiſſe graſſatos . Dyſenteriam, Febrium Ardentium ſymptoma, quod ſpectat , ex *Sydenhamo* citata Hiſt. I. §. 254. hæc habemus: „ *Febris hæc* , *quæ per annum perſeveraret omnem* , *initio Julii* 1675. *longe lateque depopulata eſt*; *ſed autumno jam appropinquante* in viſcera cœpit converti, *nunc* Dyſenteriæ *ſymptomatibus* , *nunc* Diarrhœæ *ſe prodens*, *licet quandoque neque hanc haberet comitem* , *neque illam* , ſed caput magis tentabat , ſtupidiores reddens ægros . . . *Quum proclivior eſſet Febris hæc* materiam morbificam in viſcera deponere, quæ Dyſenteriam quandoque , ſæpius autem Diarrhœam excitabat, *ex hac occaſione* ventris tormina eam edidiſſe ſtragem vulgo putabantur, *quæ Febri huic revera fuerat imputanda . . . Nunc cum rigore horroreque aggreditur hic Morbus*, *quos ſequitur totius corporis calor* , ſæpe vero nulla antecedit Febris præſenſio . . . *Dyſenteriarum per id tempus* graſſantium *torminibus dicta ventris tormina omnino reſpondebant*, atrociſſima *nempe hæc erant*, *& per intervalla cruciabant* ; nullæ vero ſequebantur dejectiones vel ſtercoroſæ, vel mucoſæ . . . Semper adeſt ingens cruciatus & inteſtinorum depreſſio cum dolore, *quoties exoneratur alvus*, *cum crebris itidem dejectionibus* , *& moleſtiſſimo viſcerum omnium quaſi* deſcenſu . . . *Hic Morbus licet adultis maxime grandævis* haud raro exitialis, infantibus *nihilominus perbenignus reperitur*, *qui ad menſes aliquot ab eodem quandoque afficiuntur* , *ſine quovis incommodo* , *modo res naturæ permittatur* . (Sub alia vero temporis conſtitutione, Epidemicos Morbos diverſimode afficiente, ex Cl. *Loew* (*a*) Diarrhœæ

(*a*) Conſtit. Epid. Sempron. an. 1704. apud Sydenh. tom. II. p.476 ſeqq.

rhœæ atque Dyſenteriæ Variolarum conſectariæ, menſibus Julio & Auguſto, juxta *Hippocratis* textum, pueris adultioribus ſimul & infantibus magis fuerunt exitioſæ.) . . . *Dejectiones mucoſæ ſunt omnes, non ſtercoroſæ, niſi quod nonnunquam ſtercoroſa interponitur*; idque ſine dolore inſigni ... *Non dolores tantum ſummos atque ægritudinem adfert hoc malum, ſed niſi perite tractetur*, ingens etiam in vitæ diſcrimen ægrum perducit. *Quum enim jam imminutæ caloris vitalis ac ſpirituum copiæ a crebris hiſce dejectionibus ante exhauriantur, quàm peccans materia poſſit e ſanguine exturbari; manuum ac pedum frigore ſuperveniente a morte periclitabitur*, etiam intra Morborum acutorum periodos oppetenda. *Quod ſi intentatas Parcarum manus hac vice eluſerit*, plura tamen diverſi generis ſymptomata miſerum expectant, *v. gr. nonnunquam progreſſo Morbo loco filamentorum ſanguineorum, quæ eodem incipiente dejectionibus permixta conſpici ſolebant, ſanguis ſincerus, ne muco quidem intermixto, largiori quantitate ſingulis conatibus egeritur; quod, quum corroſionis majorum aliquot vaſorum, quæ inteſtina perreptant, argumentum ſit*, ægro interitum minatur. *Nonnunquam etiam inteſtina a magno illo incendio, quod excitavit materiæ calidæ atque acris ad partes læſas affulſus copioſior*, gangræna inſanabili afficiuntur. Aphthæ inſuper exeunte Morbo, oris interna, fauceſque ſæpenumero obſident... *Atque hæ quidem mortem imminentem ut plurimum denunciant. Quod ſi prædicta ſymptomata ſuperaverit æger, &* Morbus in longum trahatur . . . in teneſmum deſinat . . . *Obſervandum eſt autem, quod quum primo quæ ingrediebantur anno indolis magis ſubtilis ac ſpirituoſæ eſſent, quam quæ ſequentibus annis infeſtabant* (hic diverſæ temporis conſtitutionis, Epidemicos Morbos in bonam vel malam indolem vertentis (§. 36. & 180.), haud debemus oblíviſci) *id circo* non ita prompte catharcticis parebant *medicamentis*". Hactenus ingenuus *Sydenhamus*. Contractiora, ſed ad inſtitutum noſtrum non minus facientia ſunt accuratiſſimi *Huxhamii* verba, *Hiſt. II. §.* 255. jam adnotata, ubi inquit: „*Sub Morbi finem* Diarrhœa, aut cruenta nonnunquam Dyſen-

ſenteria urgebat maxime, imo quibuſdam erat exitio ... *Peſtifera ſemper eſt, ubi* Aphthæ *nigræ, petechiæ fuſcæ, lividæ, atræ, aut vibices quaſi apparent; præſertim ſi accedit alvus cita, plumbea, nigra colliquans*". Et *Hiſt. III.* §. 256. „*Profuſo fluente ſudore, vel* Diarrhœa, *quibus ægri ſæpiſſime laborant ... inde vires deprimuntur maxime, quod idem de* Fluxu Alvi *dicendum eſt, qui multo ſæpius accidit. Citius equidem, tardiuſve, ſemper fere, durante Febre, per alvum molita eſt Natura* Criſin; *at frequenter nimis Morbus tantum morti ceſſit; haud raro autem ſucceſſit victrix Natura*. Si dejectiones nigræ, perliquidæ, aut ſanioſæ ſunt, & maxime fœtidæ, *utique nihil ſpero, præcipue ſi abſque voluntate deſcendant*". Hæc quidem pro Dyſenteria Febribus Ardentibus Sacrorum Ignium conſectariis ſuperveniente. Nunc de ea, quæ eorundem fuit ſoboles, & vel *ſolivaga* graſſata eſt, vel cum aliis affectibus in Hippocratis textu enumeratis, aliqua ſunt innuenda. Adhæreamus laudatiſſimo *Huxhamio* ſequentes obſervationes ſtrenue nobis exhibenti (*a*): „*Julio ... Variolæ jam epidemicæ ... Sub finem menſis* Dyſenteria frequens ... *Auguſto Variolæ Epidemicæ* ... Dyſenteria cruenta *ac Cholera frequens ... Septembri* ... Dyſenteria *plures cruciat*". *Pag.* 73. *ſeqq.* „*Auguſto ... Variolæ adhuc maxime epidemicæ ... Cholera &* Dyſenteria *graſſatur plurimum*". *Pag.* 98. *ſeqq.* „*Aprili ... Variolæ adhuc* ... Dyſenteria cruenta *multos, inter popellum præcipue perimit ... Duravit* (Dyſenteria) *ab initio Aprilis ad Maji finem. Huic plerumque acceſſit Febris, rectius fortaſſe dicerem hæc fuit ipſius Febris ſymptoma; nam ab ipſo ſæpe principio*, atque ante ulla tormina *haud levis urgebat febriculoſus ardor cum pulſu incitatiore, ac lingua ſcabra. Quid? quod & ſæpiſſime cum manifeſto* ſatis horrore *ingruebat Morbus, & non raro utique more* hemitritææ *curſum tenebat. Haud certe ſcio*, an fuerit Febris Epidemica mox deſcribenda ad inteſtina translata. *Hoc ſane mihi compertum eſt*, Dyſenteriam Epidemicam non eſſe fre-

(*a*) Tom. II. de Aer. & Morb. Epid. p. 54. ſeqq.

Digitized by Google

frequentem veris ſobolem (Si Epidemicum idem ſonat ac Contagioſum (§.13.), ex ipſius Huxhamii inconcuſſis obſervationibus (§.91.), & Dyſenteria, & quivis alius Epidemicus Morbus, quovis anni tempore graſſatur.) . . . *Majo* . . *Variolæ & Morbilli paſſim* . . . Dyſenteria cruenta *aut* mucoſa *ſævit maxime apud* Plimton *& vicinitatem*". *Pag*.177. *ſeqq*. „ *Novembri* . . . *Variolæ paſſim* . . . *Decembri* . . . *Inter captivos ſævit admodum Febris quædam* Catarrhalis maligna, *jugulatque perplurimos*". *Pag*. 129. „ *Januario* . . . *Febris* Catarrhalis maligna *jam graſſatur maxime, & perplurimos captivorum mittit ad inferos ; etiam nunc haud raro noſtrates*, qui cum his multum verſantur . . . *Accedunt ſæpe petechiæ*, ſæpe Dyſenteria cruenta . . . *Majo* . . . *Multæ Febres catarrhales adhuc, quædam pravæ admodum & diu durantes* . . . *Variolæ, Febres miliares & puſtuloſæ, paſſim* .. *Junio* . . . *Crebri adhuc valde ſunt Morbilli* . . . Febris putrida maligna *jam graſſatur multum ſæpe cum puſtulis rubellis* . . . *Pluribus accidit* Diarrhœa mucoſa, aut ſubnigra cum ſtrigmentis interdum ſanguinolentis . . . *Julio* . *Febris putrida* maligna, quæ dudum ſæviit, *dominatur uſque* . . . *Jam inſuper magis urget vomitus, quam antehac, quem* Diarrhœa gravis *mox excipit* . . . *Auguſto* . . . *Morbilli frequentes : Variolæ ſparſæ, ac mitiores* ; Ophthalmiæ *plurimæ* ; Dyſenteria paſſim : *Sævit adhuc Febris* maligna *inter nautas atque captivos* . . . *Septembri* . . . *Variolæ frequentes* . . . *Plures adhuc Febre putrida* maligna *laborant cum petechiis* . . . *Haud raro* Dyſenteria cruenta *accedit* : *ſæpius vero enormis* mucoſa Diarrhœa : *nonnumquam accidunt* diriſſima oris ulcera, *atque inde maxillarum caries*". Hæc *Huxhamius*, qui citato ſecundo tomo, præcipue anno 1736. ſimillima, brevitatis gratia prætereunda, paſſim refert, itaut ab unoquoque concedendum ſit, Plymuthum hos Epidemicos Morbos ſibi comparare, vel a frequentiſſimo in ſuum celebrem Portum alienigenarum adventu ; vel hac de cauſa ex fere perpetuis Variolarum, Morbillorumque graſſationibus ; vel fingendum, Peſtilitatum centrum, ſive domicilium nuperis temporibus evaſiſſe. At vero ad rem : Cl. *Gabrliep* narrat

Digitized by Google

rat (*a*), Variolas cum aliis *exanthematibus* fuiſſe graſſatas, quas Febres continuæ *Ardentes*, malignitate atque petechiis ſtipatæ, inque *hecticam*, *tuſſes contumaciſſimas*, *colicas paſſiones*, *diarrhœas*, *atque dyſenterias periculoſas* identidem converſæ, identidem ſunt comitatæ. Ill. *Loew* hæc loquitur (*b*): „ *Menſe Majo & Junio continuarunt adhuc Morbilli*, *Febres continuæ*, *Tertianæ intermittentes*, *Variolæ*, *quæ ſporadice hinc inde vagatæ ſunt*, *ſed fuerunt ſine malignitate*... *Menſibus æſtivis*, *Julio nempe & Auguſto*, *exiſtente cœlo maxime æſtuoſo*, Diarrhœæ, & Dyſenteriæ ſatis fuerunt frequentes, & magis pueros, adultiores, ſenes minus, infantes *ſporadice afflixerunt* ". Claudat hanc particulam Cl. *Richa*, qui, quod probare aſſumpſimus, probe ſubolfecit: „ *Variolarum*, inquit (*c*), *claſſi merito adnumerabantur*, *putridæ Febres varioloſæ inflammatoriæ*, *ut ſubinnuimus*, *& hujuſmodi aliæ*, *quæ æſtivis menſibus ſuboriri cœperant*, *ac tum ferte cudebantur*, *ſequenti poſtmodum autumno ac hyeme erupturæ*. *Hiſce ſeſe addidere comites pleuritides* ſpuriæ, Ophthalmiæ, Anginæ, Dyſenteriæ, Stranguriæ, *atque hiſce affinium morborum prolixa cohors*, quorum una ſimul atque eadem omnium origo eſt, unum idemque incrementum". Sic *Richa*. Probe hic adnotanda ſunt illa *Hippocratis* verba (§. 263.) „ *Dyſenterici*, *neque hi valde doloroſe* ": ſimul & illa *Sydenhamii* (ibid.) „ *Dejectiones mucoſæ ſunt omnes*, *non ſtercoroſæ*, *niſi quod nonnunquam ſtercoroſa interponitur*, *idque ſine dolore inſigni* ": pariter & animadvertendum in allatis ab *Huxhamio*, *Gabrliep*, *Loew*, atque *Richa* Dyſenteriis, Variolas conſequutis, dolorum atque cruciatuum, qui *Sporadicas* Dyſenterias comitari ſolent, nullam mentionem fieri. An id phœnomenon unis Dyſenteriis *Epidemicis* proprium? An ab eo maximum ægrotis inſtet vitæ diſcrimen, ob inductam Inteſtinis veluti *necroſin*?

Pa-

(*a*) Conſtit. Epidem. Berolin. ann. 1699. apud Sydenh. tom. I. p. 189.
(*b*) Conſtit. Epidem. Sempron. ann. 1704. apud Sydenh. tom. II. p. 476.
(*c*) Conſtit. Epidem. Taurin. ann. 1720. apud Sydenh. tom. II. p. 522.

Digitized by Google

Parallelum quinquageſimumtertium.

Epidemica itaque Dyſenteria *Sacrorum* Hippocratis *Ignium* pariter ac Variolarum & Morbillorum eſt progenies.

Concluſio decimanona.

Quum igitur apud Europam ubique locorum perpetuâ ſtet, inexhauſtaque maneat Dyſenteriæ Epidemicæ aperta turpiſque Matrix, immerito ex innocuis cauſis ſporadicis, ſive conſtitutionalibus eam repetere contendimus.

Additio quinta.

1. *Magni* Aretæi Cappadocis, *atque* Pauli Æginetæ, *qui Medicam Græcorum Doctrinam compendiarie nobis tradidit, Monumenta nuper a nobis comparata*, Dyſenteriam contagioſam *minime complectuntur*. Aretæus *equidem*, *qui de Dyſenteria* Sporadica *peroptime ac fuſe pertractavit (a)*, *ejus cauſas hiſce perſtrinxit*: „ Dyſenteriæ cauſæ plurimæ ſunt: principes autem cruditates, refrigerationes aſſiduæ, acrium ciborum aſſumptio, obſonii, quod Græci *Myttoton* vocant, Latini *Moretum* dicerent; cepæ ipſius, allii, carnium vetuſtarum, acrium eſus: a quibus poſtea cruditas ſupervenit. Super hæc humidum aliquod inuſitatum, ut mixtura illa, quæ *Cyceon* græce dicitur; aut *potio Ryteon* appellata: aut qualia in ſingulis regionibus loco vini fiunt contra ſitim remedia: plaga præterea, refrigeratio, & frigidæ potus inteſtina exulcerant ". *Et infra (b) ſubjicit*: „ Hujuſce qualitatis ſunt inteſtinorum ulcera. Præcipue naſcuntur æſtatis tempore, ſecundo autumni, minus vere, minime hyeme. Pueris quidem & adoleſcentibus ventris profluvia contingunt: Dyſenteria viris, & juvenibus &c. " Paulus Ægineta *(c) Dyſen-*

Oo

(a) Lib. II. de Sign. & Cauſ. Acut. & Diuturn. Morb. Cap. IX. p. 115. ex Editione Cel. *Alberti Halleri* Lauſannæ 1786.

(b) Ibid. p. 120.

(c) Lib. III. Cap. XLII. p. 199. cit. edit.

Digitized by Google

ſenteriæ cauſam, *juxta* Galenum, *utræque bili*, *exulcerationi*, *læſoque jecinori adjudicat*. *Quiſnam credat hos ſagaciſſimos Morborum Scriptores*, Dyſenteriam, populariter, quovis tempore, in cujuſvis ætatis ac ſexus homines lethaliter graſſantem, *ſi ſemel inſpexiſſent*, *prætermiſiſſe?*

2. *Apud* Cullenium *hæc notanda leguntur* (*a*): „ Nonniſi ſpeciem unicam novi, cujus nomina apud *Sauvageſium* ſunt, Dyſenteria *epidemica*... Sydenham... Helwich... ann. 1699.; Degner.... 1736.; Huxham.... 1743; Cleghorn.... Grimm. 1759.; Baker.... 1762.; Akenſide... 1762.; Stark... 1766.; Zimmerman... 1767.;... *Caſtrenſis*... Ramazzini... Pringle... Monro;... *Æquinoctialis*... Bont... *Verminoſa*... Huxham.. Pringle... Monro... *Intermittens*... Morton... Cleghorn... Lautter. (*Hæc*, *Febrium Intermittentium vulgo pernicioſarum*, *eſt accedens ſymptoma*)... *Alba*... Willis... Sydenham... Morgagn... Pringle... Monro.., Roederer... *Miliaris* Gruberi..., Febris exanthematico-dyſenteriea Tiguri *epidemica* 1747. ". *In primis Medicinalis Praxeös Lineis de ea non egit*.

3. *Macbridius* (*b*) „ Dyſenteria, *ait*, frequens Morbus eſt, qui *Hiberniæ endemicus* olim creditus fuit: ſed per hoc, quod vivimus, ſæculum regnum iſtud non frequentius, quam *Angliam*, infeſtavit: Dyſenteria facile in regionibus paludoſis poſt calidam ſiccamque æſtatem oritur... Facile quoque Dyſenteria his annis *epidemica* fit, quibus fructus, quos tellus tulit, corrupti, aut non ſatis ad maturitatem perducti fuerunt. (*Hanc vero propoſitionem ex obſervationibus*, *quas refert* (*c*), *Ill: Tiſſotii in viam revocat*, *docetque Fructus horæos*, *nedum Dyſenteriæ curativum præſidium*, *ſed & prophylacticum præbere*): populuſque panem ex frumento vitiato, vel farina prava, coquere, aut carnibus, vel piſcibus ſemiputridis, veſci coactus fuit. Nec raro ſicut Febres malignæ, quas ſupra deſcripſimus, in locis clauſis immundis, ubi magnus hominum numerus conſtipatus eſt, naſcitur.

(*a*) Synopſ. Noſol. Method. Cl. I. Ord. V. Gen. XLI. p. 129. ſ-qq.
(*b*) Tom. II. Introd. Meth. in Theor. & Prax. Medic. Lib. III. Cap. III. p. 177.
(*c*) Ibid. p. 181.

Digitized by Google

ſcitur. Illa Dyſenteriæ varietas, quæ a ſumma putredine proficiſcitur, atque hinc *Dyſenteria putrida* appellatur, vel maxime funeſta eſt, *celerrimeque vicinos* contaminat".

4. Ludwigius (*a*) *hæc ſcribit*: „ Refrigeria nocturna in calidioribus regionibus poſt æſtum diurnum hoc malum frequentius inducunt: hinc in noſtro quoque climate poſt æſtum inſignem, corpora exſiccantem, & humores acres reddentem, menſe Auguſto ſæpius *epidemice graſſatur Dyſenteria*. Aer paludoſus, & tempeſtatum viciſſitudines hunc morbum ſæpius *caſtrenſem* reddunt. Abuſus fructuum horæorum, in primis immaturorum & maxime refrigerantium, nec non cereviſiæ & vina non rite fermentata morbi noſtri cauſſæ occaſionales exiſtunt; tandem & venena, & quæ his ſimilia ſunt, draſtica vomitoria & purgantia, in leviori ſæpius diarrhœa exhibita, difficilem ventris fluxum inducunt. *Contagium* per latrinas aliaſque vias ſæpius obſervatum fuit, ſed aliqua ad morbum ſuſcipiendum diſpoſitio requiritur. Licet omnis Dyſenteria periculo non careat, illa tamen, quæ cum magna Febre eſt, quoniam magnam inflammationem oſtendit, *& magis contagioſa eſt*, pejor judicatur ea, quæ vel ſine Febre eſt, vel illam exiguam conjunctam habet... *Contagioſa* infantes, ſenes, imbecillos, & alio morbo laborantes gravius afficit".

5. *Apud* Burſerium *nil de hac Dyſenteria exaratum*. *Eques* Michael Roſa, *ubi de* Epidemicis, *&* Contagioſis (*b*) *inter Morbos* epidemicos *autumnali tempore graſſantes eam recenſet; in Commentariis vero italico ſermone conſcriptis* (*c*) contagioſarum *&* epidemicarum, a Williſio, Sydenhamo, Degnero, Pringlio, Wan-Swietenio, Lamblma *narratarum*, *meminit*, *prætermiſſa earundem Æthiologia*.

6. *In noſtras jam venerunt manus Diſceptationes* Eruditiſſimi Joannis Targionii Tozzettii *circa cauſas Inſalubritatis Aeris Hetruſcæ Provinciæ vulgo* della Valdinievole

(*a*) Inſtit. Medic. Clin. Part. II. Tract. III. Cap. XII. §. 887. & 888. p. 416. ſeqq.

(*b*) §. II. n. 30. p. 37.

(*c*) Oſſervaz. IV. §. I. p. 107. Napoli 1788.

Italico ſermone conflatæ (a) ; *apud quem ſequentia leguntur* (b) : „ Nel 1717. e di nuovo nel 1725. regnò nelle Pianure della *Valdinievole* un' *Influenza* di *Diſenterie* e Diarree biliofiſſime, e con abbondanza grande di Vermi, ed il più ſicuro rimedio fu l' Acqua del Tettuccio , come notai a *c.* 35. *del Tom.* 3. *de' miei Viaggi* " . *Contagione munitæ fuerint*, *necne*, *nulla ſit mentio*. *Apud eundem extat locus*, *qui hic aduotari meretur* : „ Il celebre Tommaſo Willis, *inquit* (c) , attribuiſce al grand'uſo delle Frutte ſtatereccie la cauſa di certe *Diſenterie Epidemiche* in Londra , e pare che non ſieno lontani da tale idea anche gli ***Accademici dei Curioſi della Natura di Uratiſlavia***, mentre diſcorrendo delle cauſe della *Diſenteria* , dicono : Inter cibos , dulcia , nimis ſalita , fumo indurata , male audiunt . ***Aretæus*** accuſat cæpas, allium, carnes vetuſtas, ſcilicet quæ diu ſervatæ ſunt, ut explicat ***Mercurialis*** . Ab horariis auſteris tota caſtra impleri Dyſenteriis novimus . Uvæ rubigine , aliiſque ſordibus inquinatæ, nocentiſſimæ ſunt ; & de Uvis ſimplicicibus illudipſum teſtatur ***Conringius***. Pepones aliquibus Imperatoribus, ***Friderico III.*** , inquam , & ***Alberto II.*** fuiſſe functos, eoſque ex uſu iſtorum torminibus excruciatos animam expiraſſe, refert ***Cuſpinianus***. De *Dyſenteria* poſt Poliporum eſum , evolve ſi placet ***Amati Luſitani Cent. VI. Cur.*** 73. Ab aliis ova Barbi Piſcis accuſari recordor. Ex eſu Braſſicæ capitatæ noxio rore infectæ *Dyſenteriam* ortam legimus in *Ephemeridib. Natur. Curioſ. Dec. I. Ann.* 3. *Obſerv.* 88. Ex potulentis huc pertinet algida , præprimis ſi alio fuerit imbuta ſapore . Sane ***Drelincourtius*** vidit *Pariſiis Dyſenteriam* obortam ex aqua Sequanæ, hauſta juxta navigia linteis ſapone tergendis dicata . In eo etiam cenſu ſunt muſtum, cerevifia fœculenta , vel ex aquis putridis parata. ***Theophilus*** Imperator Conſtantinop. ex frequenti aquæ frigidiſſimæ, cujuſmodi nivalis eſt, potu in *Dyſenteriam* prolapſus eſt. Imo ***Con-***

(a) Ragionamento ſopra le Cauſe, e ſopra i Rimedj dell' Inſalubrità d'Aria della Valdinievole. In Firenze 1761.
(b) Tom. I. § LV. p. 107.
(c) Tom. II. ibid. §. LXXXV. p. 390. ſeqq.

Coſtantinopoli quotannis *Turcæ* plurimi, æſtivo tempore, alvi fluxu divexati decedunt, quod nonniſi ex immodico potu nive & glacie refrigerato illis accidere, Medici aſſerunt ex fide mercatoris alicujus apud *Marcellum Donatum*. *Avenzoar* de ſe ipſo recitat hiſtoriam, quod in itinere comederit herbam, quam non nominat, ex qua factus *Dyſentericus*. Vinum Rhenanum liberalius hauſtum *Dyſenteriam* induxiſſe legitur. Sæpe vero etiam illi *Dyſenteria* corripiuntur, qui ab his omnibus abſtinuerunt, & præſertim tempore, quum malum eſt *Epidemicum*". *Si Deus nos amet, ni dyſenterici evadamus, uvis, fructibus horæis, cibis herbaceis, aliiſque quamplurimis, vino, aqua nive refrigerata, abſtineamus oportet. Cordatiores viderint an pro Junone nubem amplectamur. Sed jam Auctor* Tozzettius *monet* (*a*), *Uratislavienſes Medicos perpenſis hiſce cauſis decreviſſe, eas haud ſatis eſſe ad Dyſenteriam excitandam, niſi aliæ prædiſponentes cauſæ ſimul in corpore præſto eſſent. En quo tempus & opera conſumuntur, in detegenda genuina* Epidemicorum *Morborum Pathologia.*

7. *Noſtri Operis laudatus Judex hæc nobis exſcribenda offert* (*b*): „Febrim in *Dyſenteriæ* definitione fere omnes recepere Practici, quam etiam neceſſariam ejuſdem ſequelam habuere, ſive clarius, credidere *ſymptomaticam*. Nuper prima hujus doctrinæ pars evaſit omnino ſtabilior, alterius vero tanta fuit a Medicis facta immutatio, ut fere communiter dicatur, nullam eſſe *Dyſenteriam*, quæ pro eſſentialis Febris ſymptomate non ſit habenda. Id autem eo convenientius rationi videbatur, quod nunquam, aut ſaltem perraro *ſporadicus* morbus hic ſit, plerumque vero *epidemicus*; quod niſi ſolis Febribus, ſaltem frequentiſſime omnium, convenit iiſdem. Graviſſima diſputatio, quam dirimere non facile, ſed maxime neceſſarium eſt, ad morbi curationem opportune inſtituendam". *Et inferius ſubdit* (*c*): „Quæ inteſti-

(*a*) Ibid. p. 391.
(*b*) Lib. II. Inſtitut. Medic. Partis Poſterioris &c. Tit. Dyſenter. §. 623. 624. p. 258 259.
(*c*) Ibid. §. 641, 642. p. 265.

teſtina occupat *materies* ſive ore aſſumpta quovis titulo fuit, ſive a vaſis cum iiſdem communicantibus manavit; ſunt autem hæc ſive ſanguifera, ſive choledochus ductus. *Dyſenteriam* facere ſolet *materies*, quæ per ſingulas haſce vias venit. Nam dubitandum prorſus non eſt, vere *fæculentam materiam*, ex ciborum male ſubactorum recrementis, bile intritis, conſtantem aliquando hujus morbi cauſam conſtituere. Hanc enim *materiam* acriter inteſtinis adhærentem Febrium frequentiſſimam eſſe cauſam, alibi oſtendimus". *Tandem ſubjicit* (*a*): „Quandoque *contagioſam* fuiſſe *Dyſenteriam* certiſſime fuit obſervatum, & *contagium* præcipue hauſiſſe illos, qui eaſdem, ad alvum deponendam, ſedes occupaverint, quibus nuper fuerant *Dyſenterici* uſi ad eumdem effectum".

8. *Apud nuperrimos itaque Medicinæ Scriptores minime reperitur explanata* Dyſenteriæ Epidemicæ *Æthiologia*; *quanquam ejus apud Europam novitas vel ex* Aretæi, *&* Æginetæ *de ea ſilentio plane eruatur*.

§. 264.

„ *Cibos autem faſtidiebant omnes, ob cunctos præſcriptos morbos, in quos ſane ego incidi. Multi vero, & maxime hi ipſi, & qui tales erant, ſed & alii perniciose habebant: & ſiticuloſi alii erant, alii non. Ex his qui Febribus aliiſque laborabant, nullus ſiticuloſus intempeſtive; ſed licebat circa potum victus rationem conſtituere, prout velles. Urinæ autem prodeuntes multæ quidem erant, non pro potus ingeſti ratione, ſed multum excedentes. Verum multa quædam malitia urinarum ejectarum erat: neque enim craſſitudinem, neque concoctiones, neque purgationes bonas habebant. Nam in multis morbis purgationes per veſicam contingentes, bonæ ſunt. Significabant autem plurimis colliquationem, & turbationem, & dolores, & nullam judicationem. Soporoſi vero maxime Phrenitici, & Febre Ardente laborantes erant; ſed & in aliis morbis omnibus maximis, qui cum Febre fiebant. In totum autem plurimos aut gravis ſopor comitabatur*,

(*a*) Ibid. § 655. p. 270.

tur, aut parvos ac tenues ſomnos habebant". Ex §. 252.]

§. 265. *Cibos autem faſtidiebant omnes, ob cunctos præſcriptos morbos &c.*] Integer hic textus peculiarem morbum non continet, ſed eſt præcipuorum *Symptomatön*, quibus ſuperius enarrati Morbi, *Sacri* nimirum *Ignes*, *Febres Ardentes* & *Phreniticæ*, atque *Dyſenteriæ*, ſtipati ſunt, veluti communis Epilogus; qui quidem præſcripti Morbi, quum ab una *epidemica* exotica cauſa ortum omnes habuerint, eadem fere in omnibus attulerunt Symptomata, *Ciborum* ſcilicet *faſtidium*, *ſitis privationem*, *urinarum multitudinem & pravitatem*, *gravem ſoporem*, *vel parvos ac tenues ſomnos*: quorum omnium *Analogia* ſuis in locis abſoluta eſt, uti in ipſo *Hippocratis* textu §. 252. ſignavimus.

Πολλὰ δὲ ϗ ἄλλα πυρετῶν ἐπεδήμησαν εἴδεα· τριταίων, τεταρταίων, νυκτερινῶν, ξυνεχέων, μακρῶν, πεπλανημένων, ἀσωδέων, ἀκαταστάτων. ἅπαντες δὲ οὗτοι μετὰ πολλῆς ἐγίνοντο ταραχῆς. κοιλίαι τὲ γὰρ τοῖσι πλείστοισι ταραχώδεες, φρικώδεες, ϗ ἱδρῶτες οὐ κρίσιμοι, ϗ τὰ τῶν οὔρων ὡς ὑπογέγραπται. μακρὰ δὲ τοῖσι πλείστοισι τουτέων. οὐδὲ γὰρ αἱ γινόμεναι τουτέοισιν ἀποστάσιες ἔκρινον, ὥσπερ ἐπὶ τοῖσιν ἄλλοισι. δύσκριτα μὲν πᾶσι πάντα ἐγίνετο, ϗ ἀκρισίαι, ϗ χρόνια· πουλὺ δὲ μάλιστα τούτοισι. ἔκρινε δὲ τουτέων ὀλίγοισι περὶ ὀγδοήκοντα· τοῖσι δὲ πλείστοισιν, ὡς ἔτυχεν, ἐξέλιπεν. ἔθνησκον δὲ τουτέων ὀλίγοι ὑπὸ ὕδρωπος, ὀρθοστάδην. πολλοῖσι δὲ ϗ ἐπὶ τοῖσιν ἄλλοισι νουσήμασιν οἰδήματα παρώχλει. πουλὺ δὲ μάλιστα τοῖσι φθινώδεσι. μέγιστον δὲ ϗ χαλεπώτατον, ϗ πλείστους ἔκτεινε τὸ φθινῶδες. πολλοὶ γάρ τινες ἀρξάμενοι κατὰ χειμῶνα, πολλοὶ μετὰ κατεκλίθησαν, οἱ δὲ αὐτέων ὀρθοστάδην ὑπέφερον. τῷ πρωῒ δὲ τοῦ ἦρος ἔθνησκον οἱ πλεῖστοι τῶν κατακλιθέντων· τῶν δὲ ἄλλων ἐξέλιπον μετὰ αἱ βῆχες οὐδενὶ, οὐφίεσαν δὲ κατὰ θέρος. ὑπὸ δὲ τὸ φθινόπωρον κατεκλίθησαν πάντες, ϗ πολλοὶ ἔθνησκον. μακρὰ δὲ τούτων οἱ πλεῖστοι διενόσεον. ἤρξατο μὲν οὖν τοῖσι πλείστοισι τούτων ἐξαίφνης ἐκ τούτων κακοῦσθαι. φρικώδεις δὲ πυκνὰ. πολλάκις πυρετοὶ ξυνεχέες, ὀξέες ἱδρῶτες δὲ ἄκαιροι, πολλοὶ, ψυχροὶ διὰ τέλεος. πολλὴ ψύξις. ϗ μόλις πάλιν ἀναθερμαινόμενοι. κοιλίαι ποικίλως ἐφιστάμεναι, ϗ πάλιν ταχὺ καθυγραινόμεναι,. ϗ τῶν περὶ πλεύμονα πάντων διάδοσις κάτω, ϗ

πλῆ-

Digitized by Google

πλῆθος οὔρων οὐ χρηστῶν. ξυντήξιες κακαί. αἱ δὲ βῆχες ἐνῆσαν μετὰ διὰ τέλεος πολλαὶ καὶ πολλὰ ἀνάγουσαι πέπονα καὶ ὑγρὰ, μετὰ πόνων δὲ οὐ λίην. ἀλλ', εἰ καὶ ὑπεπόνεον, πάνυ πρηέως πᾶσιν ἡ κάθαρσις τῶν ἀπὸ πλεύμονος ἐγίνετο. φάρυγγες οὐ λίην δακνώδεες, οὐδὲ ἀλμυρίδες οὐδὲν ἠνώχλεον. τὰ μέν τοι γλίσχρα, καὶ λευκὰ, καὶ ὑγρὰ, καὶ ἀφρώδεα πολλὰ ἀπὸ κεφαλῆς κατήει. πουλὺ δὲ μέγιστον κακὸν παρείπετο καὶ τούτοισι καὶ τοῖσιν ἄλλοισι τὰ περὶ τὴν ἀποσιτίην, καθάπερ ὑπογέγραπται. οὐδὲ γὰρ ποτῶν μετὰ τροφῆς ἡδέως εἶχον, ἀλλὰ πάνυ διῆγον ἀδίψως. βάρος σώματος. κωματώδεες. τοῖσι πλείστοισιν αὐτέων οἰδήματα, καὶ ἐς ὕδρωπα περιΐσταντο. φρικώδεες, παράληροι περὶ θάνατον. εἶδος δὲ τῶν φθινωδέων ἦν, τὸ λεῖον, τὸ ὑπόλευκον, τὸ φακῶδες, τὸ ὑπέρυθρον, τὸ χαροπὸν, λευκοφλεγματίαι, πτερυγώδεες· καὶ γυναῖκες οὕτω· τὸ μελαγχολικόν τε καὶ ὕφαιμον. οἱ καῦσοι, καὶ τὰ φρενιτικὰ, καὶ τὰ δυσεντεριώδεα τούτων ἥπτετο. τεινεσμοὶ νέοισι. φλεγματώδεσιν αἱ μακραὶ διάῤῥοιαι, καὶ τὰ δριμέα διαχωρήματα καὶ λιπαρὰ πικροχόλοισιν. ἦν δὲ πᾶσι τοῖσιν ὑπογεγραμμένοισι χαλεπώτατον μὲν τὸ ἔαρ, καὶ πλείστους ἀπέκτεινε· τὸ δὲ θέρος ῥήϊστον, καὶ ἐλάχιστοι ἀπώλοντο. τοῦ δὲ φθινοπώρου καὶ ὑπὸ πληϊάδα πάλιν ἔθνησκον οἱ πολλοὶ τεταρταῖοι.

Intermittentes Epidemicas Febres, quas Recentiores Medici Pernicioſas atque Malignas vocarunt, Hippocrates perſpectas habuit, uti Sacrorum Ignium conſectarias; quemadmodum earum cum Sacris Ignibus Analogia circa inſigniora ſymptomata, ſequenti paragraphorum indicatione, clarum erit.

Analogia trigeſimaſeptima.

§. 266.

„ *Multa præterea alia Febrium genera populariter graſſata ſunt* [§. 183.]: *Tertianarum*, *Quartanarum*, *Nocturnarum*, *Continuarum*, *Erronearum*, *Anxiarum*, *Inconſtantium*. *Omnes autem hæ cum multa turbatione fiebant* [§. 133.]. *Nam alvi plurimis turbatæ* [§.206.]: *horrores*, *ſudores non judicatorii*, *& urinæ velut præſcriptum eſt* [§.209.]. *Atque hæc*

Digitized by Google

hæc pleriſque horum longa erant : neque enim abſceſſus his orientes judicabant, velut in aliis [§.211. 212.]. *Et omnia quidem omnibus difficulter judicabantur, & nullæ judicationes fiebant, & diuturnæ, maxime vero his* [ibid.]: *paucis autem horum judicatio circa octogeſimum diem fiebat. Plurimis prout contigit defecerunt. Moriebantur autem horum pauci ex hydrope erecte obambulantes* [§.213.]. *Multos vero etiam in aliis morbis tumores infeſtabant, maxime vero tabidos* [§.214.]. *Maxima autem & graviſſima erat tabes, & plures occidit* [ibid.]. *Nam multi per hyemem incipientes, partim decumbebant, partim erecte obambulabant* [§.184.]. *Ante ver autem plerique ex decumbentibus moriebantur* [ibid.]. *Aliorum vero tuſſes nihil defecerunt : verum æſtate remiſerunt. At ſub autumnum omnes decubuerunt, & multi mortui ſunt, plurimi vero horum diu ægrotaverunt. Cœpit igitur plurimis horum derepente ex his afflictio: frequentes horrores erant; ſæpe Febres continuæ, acutæ, ſudores intempeſtivi, multi, frigidi perpetuo. Multa frigiditas, & vix rurſus recaleſcebant. Alvi variæ, adſtrictæ, & rurſus brevi humeſcentes* [§.206]. *Et quæ circa pulmonem erant, omnia infra diſtribuebantur. Multitudo urinarum non bonarum, colliquationes malæ* [§.209.]. *Tuſſes autem aderant quidem perpetuo multæ, & multa educentes matura ac liquida, non autem valde cum doloribus. Sed etiamſi aliquantulum dolerent, valde tamen leniter omnibus purgatio a pulmone fiebat: fauces non valde mordaces, neque ſalſugines quicquam infeſtabant. Viſcoſa tamen, & alba, & liquida ac ſpumoſa multa de capite deſcendebant. Magnum autem malum & hos & alios comitabatur ciborum faſtidium, velut præſcriptum eſt* [§.207.]. *Nam neque potum cum cibo libenter ſumebant, ſed valde ſine ſiti degebant* [§.208.]. *Gravitas corporis. Soporoſi* [§.210.]. *Plurimis ipſorum tumor, & ad hydropem deveniebant* [§.213.]. *Horridi, deliri circa mortem* [§.201.]. *Forma tabidorum erat levis, ſubalbida, lentis colorem referens, ſubrubra, rava. Pituita alba referti; ſcapulas alarum modo eminentes habentes, & mulieres ſic. Atræ bilis item forma, & ſubſanguinea; Febres ardentes, & Phrenitides ac*

Dyſenteriæ hos tentabant. Teneſmi juvenibus; pituitoſis longa alvi profluvia; acreſque ſeceſſus & pingues bilioſis. Erat autem omnibus præſcriptis graviſſimum quidem ver [§.184.], *& multos occidit. Æſtas autem facillima, & pauciſſimi perierunt. Autumno vero & ſub pleiada rurſus multi moriebantur quartanarii.* Hippocr. ibid. p. 726. ad 728.

Intermittentium Malignarum Febrium origo hucuſque incomperta: nec ipſarum Contagium bene exagitatum fuit.

§. 267. *Multa præterea alia Febrium genera, populariter graſſata ſunt, Tertianarum &c.*] *Populariter graſſata ſunt*: In textu græco *Pyreton Epidemiſan*, i. e. contagioſarum [§.13.], ſive Peſtilentium [§.62.]. *Tertianarum, Quartanarum, Nocturnarum &c.*] Felix, qui rerum potuit cognoſcere cauſas: Infelices nos, qui in perſcrutanda Morborum *Pathologia*, deſertis obſervationibus, quæ ad eam tutiſſimum ſternunt iter, hypotheſibus noſmetipſos concedimus. Quotquot de Intermittentibus ſic dictis *Pernicioſis* Febribus, ſive *mali moris*, hactenus pertractarunt, earumdem ortum, quantum ſcimus, haud probe aſſequuti ſunt; neque per imaginationem, eas Hippocrates obſervaſſe ſimul & deſcripſiſſe, crediderunt; ſed tanquam novas Febres, in humani generis damnum recenter irruptas, firmiter habuere. Scripſerat ſiquidem *Hippocrates* (*a*): „*Febres quæcumque non intermittentes, per tertiam fortiores fiunt, magis periculoſæ ſunt: Quocunque vero modo intermiſerint, quod ſine periculo ſint, ſignificant*“. Adhuc (*b*): „*Quibus in Febribus quotidie rigores fiunt, quotidie Febres ſolvuntur*“. Iterum (*c*): „*Tertiana exacta in ſeptem circuitibus ad ſummum judicatur*“. Et alibi (*d*): „*Æſtivæ Quartanæ plerumque ſunt breves. Autumnales vero longæ, & maxime quæ ad hyemem pertingunt*“. Tandem (*e*): „*Qui a Quar-*

(*a*) Tom. I. Sect. IV. Aphor. XLIII. p. 86. cit. edit.
(*b*) Ibid. Aphor. LXIII. p. 88.
(*c*) Ibid. Aphor. LIX. p. 88.
(*d*) Ibid. Sect. II. Aphor. XXV. p. 74.
(*e*) Ibid. Sect. V. Aphor. LXX. p. 97. 98.

Digitized by Google

Quartanis corripiuntur, non ita valde a convulſionibus corripiuntur; Si vero prius corripiantur, & quartana inſuper accedat, ceſſant". Generalia quidem hæc effata, in quibuſvis Intermittentibus Febribus nihil malignitatis, nil periculi pertimeſcendum eſſe, nos docere videntur: Unde vel ad noſtri ſæculi uſque initium Magnus *Hoffmannus* ſcribebat (*a*): „*Ambigunt quidem adhuc Medici noſtri æque ac priſci ævi, an Intermittentes dentur Malignæ Febres*": Quinimo circa annum 1732. a Præcl. Auctoribus *Commercii Literarii Noribergenſis* ſequens propoſitum fuit Problema (*b*): „*De Febre Intermittente ſoporoſa & apoplectica, tanquam apprime novum, & apud Scriptores Morborum nunquam lectum*"; etſi ingenuus *Sydenhamus* accuratiſſimus Morborum Scriptor jam ab anno 1678. probe hæc adnotaverat (*c*): *Intermittentes epidemice graſſatæ ſunt, quæ morem ſuum non ſervantes, & præter indolem ſuam incrudeſcentes, non paucos extinxerunt... tacto cerebro*"; nec minus Ill. *Williſius* de Autumni initio anni 1658. ſequentia narraverat (*d*): „*Quæ in noſtra vicinia Ægritudo communiſſime graſſata, plurimos inceſſit, atque etiamnum graviter deſævit, typum Febris Intermittentis, ſcilicet, aut Tertianæ, aut Quotidianæ imitari videtur... Hæc tamen pleriſque (pene dixerim omnibus) decumbentibus commune eſt, una cum hac Febre affectibus cephalicis male plecti*". Propoſitum attamen *Problema* Cel. *Paulus Gottlieb Werlhoffius* eruditiſſimis obſervationibus exſolvit. Epidemicæ Febres, quæ ab Auguſto anni 1669. ad finem Januarii 1670. *Leidenſem* vaſtarunt Civitatem, viroſque quamplures in omni Scientiarum genere diſertiſſimos, plurimoſque Magnates peremerunt, Intermittentes fuere malignæ, de quibus tamen Cl. *Sylvius de le Boe* ſic eſt exorſus (*e*): „*Affectum Epidemicum, atque huic præſertim urbi nuperrime gravem exitialemque, Medicorum Filiis ſuſcepi expli-*

(*a*) Tom. IV. M. R. S. Part. I. Sect. I. Cap. IV. § II. p. 54.
(*b*) Apud Werlhoff. Obſ. de Febr. Procem. p. XXII.
(*c*) Tom. I. Epiſt. Reſponſ. ad Brady p. 112.
(*d*) Oper. omn. de Febr. Cap. XVII. p. 87.
(*e*) Append. Tract. X. p. 523.

Digitized by Google

plicandum, quo ſinguli non tantum iſtum, etiam nunc multorum, & quidem Medicorum animos torquentem, diſcant cognoſcere & curare; verum inſuper alios alias hinc inde obventuros perſcrutari ac intelligere". Interim pro expiſcanda harum Epidemicarum Intermittentium efficiente cauſa, inter cæteras a vitiata temporum conditione expetitas, has ſubdit (*a*): „*Aquarum ex ventorum penuria quietarum & ſtagnantium, quin a Solis radiis, tum ex Urbis Canalibus & Alveis, tum ex vicinis Paludibus, lociſve paludoſis magnam partem exhauſtarum, tum maxime ad peregrinarum, & quidem Salſarum affluxum, ratione fundi ſulphurei, effervescentiam noxiam & olidam ſubeuntium, vapores ſuccedentes fœtidi, atque graveolentes, noſtri perniciem ſimiliter promoverunt*". Quot vero vicibus vel ſub *Sylvii* vitæ curriculo hæc *Lugduni Batavorum* contigerunt, quin iſtum *Affectum Epidemicum*, ſibimetipſi apprime ignotum, non attulerint? Anno 1571. *Lutetiæ Pariſiorum*, *epidemice* graſſantibus pernicioſis Intermittentibus Febribus Ill. *Hippocratis* Cultor *Ballonius* ſibi coævos carpſit Medicos (*b*), quod iſtiuſmodi Febres *ſingulis noctibus repetentes*, Quotidianas Intermittentes judicarint: Tam abſonum habuit Intermittentes dari *Epidemicas* malignaſque. *Fernelius*, *Duretus*, *Hollerius*, *Martianus*, *Alpinus*, *Fracaſtoreus*, aliique *Hippocraticæ* Medicinæ ſtudioſiſſimi, etſi de *Tritæophyarum* atque *Hæmitritæarum*, noſtras malignas referentium, Febrium ſpeciebus, pene omnes, haud ex propria obſervatione, ſed doctrina a *Græcis* accepta, egerint, Intermittentium attamen *Epidemicarum* Febrium notionem nobis haud tradiderunt. Inde eorum accuratus Sectator ingenioſus *Baglivus* juxta vetuſtam traditionem de hiſce Febribus ita loquutus eſt (*c*): „*Febres omnes continuæ, quæ tertio quoque die exacerbantur cum acceſſione graviorum malorum, aut ſunt Tritæophiæ, aut Semitertianæ, quas præ cæteris mortiferas dixit Hippocrates I. Epidemiorum Comm. III. ex Dureti obſervatione Coac.* cxxii.

Gra-

(*a*) Ibid. §. 90. p. 525.
(*b*) Epidem & Ephemer. Lib. I. Conſtit. IV. ann. 1571. p. 22.
(*c*) Prax. Medic. Lib. I. de Febrib. Meſent. p. 32.

Graviſſima ſunt & terrifica Symptomata, quæ Hæmitritæas comitantur. Raræ ſunt hujuſmodi Febres extra Italiam, ut docet Ballonius vir inſignis in Epid. f. 138. *In Urbe tamen Roma non ita raræ*". Neque apud vetuſtos *Græciæ* ac *Latii* Medicos, *Galenum*, *Trallianum*, Græcorumque Exſcriptores *Aetium*, *Celſum*, *Pliniam*, *Cælium Aurelianum* &c. harum *Epidemicarum* Intermittentium ulla reperiuntur veſtigia. *Galenus* ſiquidem in ſuperius exſcripti *Hippocratis* textus *Commentario* (*a*), harum Intermittentium paginam non aliter abſolvit, quam tempus inutiliter terendo in ablegandis ab *Hippocratis* doctrina Febribus *Quintana* & *Septimana*; quintum ac ſeptimum peculiarem iis producendis humorem, utut acerrimo præditus ingenio, haud excogitare valens.

Concluſio Vigeſima.

Quum igitur *Intermittentes Epidemicæ* Febres vel ad noſtri ſæculi uſque initium haud tam aperte Europæis Medicis innotuerint, quin eorum plurimi eaſdem plane non ignoraverint: dumque poſt *Hippocratem* tam Græcis, quam vetuſtis Latinis Medicis minime notæ fuerunt; vel ex hoc ipſo ſat rationi conſonum eſt decernere, eas origine haud fuiſſe Europæas, ſed omnino exoticas.

Intermittentes Epidemicæ Febres inclinante Sæculo decimoſexto per Europam ſatis aperte vulgabantur.

Hiſtoria quarta.

§. 268. Primus, quantum novimus, qui inter Europæ Medicos *Intermittentes Epidemicas Febres* probe agnoverit, deque eis diſerte pertractaverit, Ill. *Ludovicus Mercatus* fuit, duorum Regum Hiſpaniarum exoleto ſæculo ſextodecimo eximius Ar-

(*a*) Cl. III. in Lib. III. Hippocr. de Morb. Vulgar. Comment. III. text. 64. p. 145. G. H.

Digitized by Google

Archiater. En quæ de ipſis hic Auctor ſcripſit (*a*) *:* „ *In eo Febrium genere, quod Febres complectitur tertio die exacerbationem efficientes, pernicioſa hæc*, neque ſatis vulgata aut cognita *Tertianæ ſpecies, non ſine magno laborantium exitio, & Medicorum admiratione*, reperitur. *Quæ ſane*, ut rarius accidit, *ita difficilius noſcitur, graviuſque ob id invadit, &* ob ignorationem, *majorem infert terrorem & admirationem, &, quod pernicioſius eſt, negligentius curatur. Quis enim credet uſquam Tertianam Febrem poſſe lethalem fieri, eo maxime quum* Hippocrate *dictum ſit* : quocumque modo intermiſerit, periculum abeſſe ſignificat; *& mille aliis in locis Tertianam breviſſimam ſecuriſſimamque eſſe? Sed mirari jam deſinat quiſque, quum experimento non admodum raro conſtet, Febres Intermittentes, tam ſimplices, quam duplices, multis modis laborantes non paucos inopinato perdidiſſe, decipiſſeve Medicos vel* doctiſſimos ". His præmiſſis ſex Auctor *Mercatus* aſſignat modos (*b*), quibus Intermittentes *pernicioſæ* evadunt. I. Si humor peccans in aliquod præcipuum membrum, vitæ ſuſtinendæ neceſſarium, decumbat. II. Si talis humor admodum tenuis ſit, & ſumme putridus. III. Si bilis ſit vitellina, praſina, æruginoſa, & in confinio atræbilis poſita. IV. Si humor adſit ſumme crudus, & inæqualis craſſitiei. V. Si calor Febrilis mox a principio aliquem humorum defluxum ad *thoracem, pulmonem, ipſum cor, os ventriculi*, vel *uterum* concitaverit; unde *anxietates, difficilis reſpiratio, pulſus interceptiones, aliaque dira exoriuntur Symptomata.* „ *VI. & ultimo* (ſunt hæc Auctoris verba) *pernicioſior efficitur Tertiana* ob venenoſam, ac peſtilentem & contagioſam *aliquam humoris, qui e vaſis ejaculatur*, conditionem ". Inferius opportune ſubdit (*c*): „ *Licet prædictas Tertianarum ſpecies pernicioſas eſſe conſtet, non ſubinde exiſtimandum eſt omnes fore lethales. Quædam enim pernicioſæ, & timore plenæ ſunt: Aliæ* in alios morbos migraturas *ſe oſtendunt; Nonnullæ in diutinos affectus, & ple-*

(*a*) Oper. Tom. II. Lib. VI. p. 395.
(*b*) Ibid.
(*c*) Ibid. p. 396.

& pleræque, licet ſæviſſimis accidentibus inſigniantur, non omnino lethales exiſtunt". Ill. *Valleſius*, qui paulo poſt *Mercatum Philippi II.* Hiſpaniarum Regis Archiatri locum obtinuit, has Intermittentes *Malignas* agnoviſſe videtur. In explanatione enim ſuperius excitati textus *Hippocratici* præ reliquis habet (*a*): „*Faſtidioſarum* (anxiarum *Vander-Lind.*) *nomine intellexit Malignas, quia magnum faſtidium unum quoddam accidens eſt eorum, quæ maxime poſſunt ſignificare Morbi malignitatem*".

Hiſtoria quinta.

§. 269. Ill. *Ballonius*, qui hiſce *Epidemicis Intermittentibus* probe decernendis meritam laudem *Mercato* reliquit, eaſdem non minus cultiori vel ante *Mercatum* deſcripſit ſtylo (*b*): „*Toto*, inquit, *menſe junio, julio, auguſto* 1571. *Febres vagabantur mali moris. Medici decipiebantur* tamquam Quotidianas Intermittentes *putantes, quod ſingulis noctibus repeteret Febris. Verum* aſſiduæ *erant, & tamen hoc fugiebat Medicos. Nam* interdiu *bene omnino habere videbantur. Initio quidem erat* Febris vacuitas; *ſed poſt unum atque alterum paroxyſmum* aſſidua erat Febris. *Noctes omnibus* implacidiſſimæ; interdiu *mens erat integra, doloris quædam vacuitas; ſed erat ſumma linguæ ariditas, amaror, averſatio ciborum, ſitis, jactationes. Veſperi inopinato ſine ſenſu caloris & frigoris, aut inæqualitatis* reaccendebatur Febris, ſummas inferens moleſtias, *dolores capitis atrociſſimos, alienationes mentis, ſitim ingentem, vacuitatem ſomni: Febris tamen non adeo manifeſta. Quum ſic* noctem *exegiſſent*, quaſi ſpiritibus infectis, *tanta matutino tempore erat imbecillitas*, ut animam agere viderentur, *imo multi* exſoluti, frigidis ſudoribus ſcatentes: aſphyxia, *aut exilitas* & *inæqualitas in pulſu, calor admodum aridus. Adeo tempus* matutinum terrificis erat ſymptomatis plenum etiam primo qua-

(*a*) In ſeptem Lib. Epidem. Hippocrat. Comment. III. text. 64. p. 141.
(*b*) Epidem. & Ephemer. Lib. I. Conſtit. IV. Ann. 1571. p. 22. 23.

Digitized by Google

quaternario ; *ut multi ſacro oleo perunƈti fuerint* ; *qui* una hora *poſt*, *primæ reſtituti ſanitati videbantur*. Et tale morborum ingenium nunquam ſe obſervaſſe Medici dicebant... *Quod ſi ſudor mane aliquis una erupiſſet*, *prærepta occaſio fuiſſet tantis ſymptomatibus*: *at nullus erupit*, *niſi* ſymptomaticus. Frigidi enim erant *ob ſummam imbecillitatem Corde occupato*. *Imo in pleriſque*, *ut dixi*, *obſervata quædam pulſus exilitas*, *& veluti carentia* ; *in aliis formicans pulſus* ; *& hæc* præſertim diebus criticis contingebant ; *ac ſi Natura* fruſtra aggrederetur criſim. *Qui criſim ſubjere* nono aut undecimo die *cum magno vitæ diſcrimine fuerunt*. *Aliis Febris* protraƈta, & ſine criſibus fere ſoluta, *quaſi infraƈta & domita* ſucceſſu temporis ferocia morbi. *Multis parotides apparuerunt*, *aliis funeſtæ*, *aliis non* . . . *vidimus multos*, *quibus* fluxerat alvus excrementis biliofis, *ut ait* Hippocrates in Coacis, *cum borborygmis* ; *ſed iſti fluores* parum proderant: *tamen præſtabilius erat alvum quomodocumque fluere*, *quam ſubſiſtere* . . . *Aliis fluente etiam alvo* Cardiogmi *remanebant*. *Aliis ſpontanee fluxit alvus* cum mentis læſione & comatoſa diſpoſitione, *atque evaſerunt*: *Adeo Natura juvabatur iſta excretione*, *licet Symptomatica foret*". Galliæ, poſt Ballonium experientiſſimus *Riverius* harum Febrium ſpeciem ſibi notam habuit. Aphoriſmum enim, quo *Hippocrates Febres quomodocumque Intermittentes periculo carere* enunciavit, de iis intelligendum voluit, quæ *nullius ſunt malignitatis participes*, ſubditque (*a*): *Videmus ſingulis fere annis*, in hac ſaltem regione, *Febres Tertianas Intermittentes*, *quæ* ſummæ malignitatis ſunt participes, *tertia vel quarta acceſſione ægros* de medio tollere: *Alias*, *quæ eos* in graviſſimum vitæ diſcrimen *conjiciunt*, *maxima ſymptomatum ſævitia*".

Hiſtoria ſexta.

§. 270. Declinante ſæculo decimoſeptimo, Cl. *Mortonus*, *Britanniæ*, omnium primus adverſus has *Epidemicas Intermit-*

(*a*) Prax. Medic. Lib. XVII. Seƈt. III. Cap. I. p. 424.

mittentes Febres illud prope divinum præſidium, Corticem ſcilicet Peruvianum, quo inſons *America* quas attulit Europæ depopulationes pleniori manu redemit, ſummo mortalium commodo commendavit ſimul atque adhibuit; eas *Proteiformes* vocavit; deque eiſdem ſequentia loquutus eſt (*a*): *Inter innumera illa ſymptomata haſce Febres comitari ſolita, nullum eſt quod non aliquando adeo vehementer ſæviat*, ut vita ægri inde in præſens diſcrimen adducatur; *& typus Febris in variis ſuis ſtadiis* algoris, caloris, & ſudoris *abſcondatur penitus & opprimatur: Ita ut neque ex urina, temperie, pulſu, vel alio quocumque ſolito modo diſtingui poſſit. Verum ſub larva* algoris funeſti, vomitionis indeſinentis, diarrhœæ torminoſæ, choleræ morbi, colicæ ventriculi, hemicraniæ periodicæ, apoplexiæ, ſyncopes, rheumatiſmi, ſpaſmi univerſalis, pleuritidis, peripneumoniæ, doloris lateris punctorii, vel alterius morbi *ſecure deliteſcens, Medicum a ſcopo ſuo non raro abducat. Symptoma quidem interea remediis propriis, ſed incaſſum tentatur: nam poſthabito fermento Febrili, proxima efferveſcentiæ periodo, priora aut deteriora ſymptomata inexpectato recrudeſcunt; Medicus* Siſyphi ſaxum volvit; *atque æger* vitæ dulciſſimæ diſpendio, aut ſaltem magno ſumptu, *ignorantiæ vel incuriæ Medici pœnas ſero luit*".

Hiſtoria ſeptima.

§. 271. Sub idem tempus, quo ſuperiora *Britanniæ* ſcribebantur, *Epidemicæ Intermittentes Febres Leidenſem* Urbem ejuſque pagos civibus incoliſque exhauriebant. Diverſa, *Sylvio* enarrante (*b*), in diverſis excitarunt ſymptomata. Ex ſimplicibus in duplices; ex intermittentibus in continuas migrabant. Summa in omnibus fuit virium proſtratio: Præcordiorum anxietas, nauſea, vomitus, appetitus dejectio, ciborumque faſtidium, ſitis, vel potus averſio, lingua arida aut mu-

(*a*) Exercit. I. Cap. IX. p. 236.
(*b*) Append. Tract. X. p. 524. ſeqq.

mucoſa, aphthæ, alvi fluxus vel Dyſenteria, quandoque alvus adſtricta, dorſi dolores, abdominis diſtentio, hypochondriaca ſuffocatio, reſpiratio difficilis, incubus, ſopor, aut vigilia, capitis dolor, urina varia, vagi dolores, motus convulſivi, atque ſpaſmodici; maculæ, quas Auctor *Sylvius* vocavit *ſcorbuticas*; hemorrhagiæ, ſimiliaque dira ſymptomata hiſce Febribus laborantes multiformiter, ſæpiuſque lethaliter, affecerunt. Recidivæ frequentes, lenta Febris, Quartana, gravedines, tuſſes, raucedines, faucium inflammationes, eryſipelata ſeroſa, tumores œdematoſi, aſcitis, multiplices diarrhœæ, idque genus alii affectus conſectarii has Intermittentes peſtiferas conſequuti ſunt.

Hiſtoria octava.

§. 272. Eodem fere tempore Ill. *Franciſcus Tortius* apud *Italiam* cultiori calamo expoſitas *Epidemicas Intermittentes Febres* in octo diviſit claſſes (*a*): I. In *Cholericas*, nimirum, vel *Dyſentericas*; II. *Epaticas*, ſive *Atrabilarias*; III. *Cardialgicas*; IV. *Diaphoreticas*; V. *Syncopales*; VI. *Algidas*; VII. *Soporoſas*; VIII. demum *Subcontinuas*, quibus tamquam peculiare tribuit ſignum atque ſimptoma, tonſillarum inflammationem, ſub ipſo morbi initio accedentem, comite cruſta alba: inque omnes harum Febrium ſpecies egregiam Peruviani Corticis, largiter & præpropere exhibiti, virtutem uberi experientia demonſtravit. Noſtris vero temporibus Ill. *Franciſcus Scardona* particularem enarratarum *Intermittentium* diagnoſin exegit (*b*); allatiſque ſymptomatibus *hemoptoica*, *hyſterica*, atque *nephritica* adjecit.

Hiſtoria nona.

§. 273. Sub noſtri ſæculi pubertate Cel. *Hoffmannus* apud *Germaniam* ſequentia ſcribebat (*c*): „ *Superioribus annis* 1726. 1727.

(*a*) Therap. Special. Lib. III. Cap. I. p. 121. ſeqq.
(*b*) Lib. IV. de Febr. Cap. VI. Aph. VIII. ſeqq. p. 141. ſeqq.
(*c*) Tom. IV. M. R. S. Part. I. Sect. I. Cap. IV. §. I. & II. p. 54.

1727. & 1728.... *variis languoribus corpora humana affligebantur*, Diarrhœis, Dyſenteriis, Intermittentibus Febribus variis, ſimplicibus & duplicibus, quæ nulli temperamento, ſexui, aut ætati parcebant. *Maxime omnium vero æſtate & autumno regnabant Febres, partim* Intermittentes plane, *partim* remittentes tantum, anomalæ & irregulares, vagum & incertum typum habentes, facile inter ſe mutabiles, ut plurimum inſuetis & gravibus ſymptomatibus ſtipatæ, contagio infeſtæ; nonnulloſque per plures menſes detinentes, quoſdam etiam e medio tollentes. *Ambigunt quidem adhuc Medici noſtri æque ac priſci ævi, an* Intermittentes dentur Malignæ Febres; *re tamen &c.*"; & inferius ſubdit (*a*): „ *Sic Febres, quæ ſuperioribus annis, noſtris locis, imo* univerſæ fere Germaniæ *fuerunt infeſtæ*, anomalæ *valde extiterunt*... *Obſervatum fuit & id maxime* Magdeburgi, & in Ducatu Brunſviecenſi, complures in una domo, non ſecus ac in Variolis, vel Morbillis fieri ſolet, *ſucceſſive eodem morbo fuiſſe affectos*". Ab *Germania* in *Italiam* remeare juvat, ut in apricum ponamus haud levia detrimenta, quæ *Hypotheſes*, prætermiſſa Morborum genuina hiſtoria, Medicæ Reipublicæ attulere. Quis enim crederet Ill. *Joſephum Lanzonum*, poſt tot *Epidemicarum Intermittentium Febrium* pertractationes, earum contagium prætervidiſſe? Attamen hæc loquitur (*b*): „ *Acceſſit junius, & ſummis caloribus corpora noſtra affecit; hinc exordium habuere* Febres quædam, quæ prima facie Tertianæ ſimplicis notam præferebant, mox duplicatæ pertinaciter utrumque ſexum, omneſque ætates invadebant. *Primo enim rigor incipiebat, qui ad plures horas durabat*: Vomitus *amari ſucci aderat*; Cardialgia, dolor capitis, & eximia ſuccedebat ſitis: in multis tormina, & ventris fluxus, in aliis ſumma alvi ſtipticitas; Inappetentia in omnibus ac vigiliæ aderant. In tali ac tanto autem numero Febres iſtæ invadebant, ut nulla Religioſorum tam marium, quam fœminarum Monaſteria, nullus denique in urbe locus fuerit ab hoc febrili

 in-

(*a*) Ibid. §. III. & IV. p. 55.
(*b*) Conſtit. Epidem. Ferrar. Ann. 1715. apud Sydenh. tom. I. p. 532.

Digitized by Google

incendio immunis: *Miſerandum erat videre*, unum vix in domo ægrotare, dein paucos poſt dies totam febricitare familiam. *Sic Cænobia*, *Xenodochia videbantur*, *& rura repleta febricitantibus* in timidis nonnullis ac effœminatis *contagionis timorem crearunt*". Utinam perilluſtris *Ferrarienſis Magiſtratus*, ſub harum *Epidemicarum Intermittentium Febrium* initio, de ipſarum contagione probe a Medicis monitus fuiſſet: haud dubitandum, quin eodem erga cives ſtudio, quo olim *bubonicam* Peſtim, *Italiam* depopulantem, ſepties e ſuis mœniis propulſavit (*a*), hunc Morbum contagioſum aptis circumſpectionibus extinguere ſategiſſet: unde nec plures deſideraſſet cives, nec quatuor luxiſſet Medicos, uti inferius videbimus, nec cœnobia in xenodochia verſa, & rura febricitantibus repleta proſpexiſſet. Quæ tanta præconcepta opinio, ut, dum *miſerandum fuit videre*, *unum vix in domo ægrotare*, *dein paucos poſt dies totam febricitare familiam*, eumdemque morbum longe lateque per Urbem ruſque diſcurſare, timidi atque effœminati vocarentur, qui præſens contagium pertimeſcendum putarunt! An luctuoſum hoc Infortunium uni adhæret *bubonicæ* Peſti? Conf. §. 13. & 62.

Epidemicæ Intermittentes Febres, quæ ſæculo decimoſexto Europæ inclareſcere cœperunt, Epidemicis Intermittentibus, a Sacris Hippocratis Ignibus genitis, adamuſſim reſpondent.

Analogia trigeſimaoctava

§. 274. (*a*) Ex Hippocrate §. 266. „*Multa præterea alia Febrium genera populariter graſſata ſunt*, *Tertianarum &c.*" Ex Mercato Hiſt. IV. „*Pernicioſior efficitur Tertiana ob venenoſam*, *ac peſtilentem & contagioſam* conditionem". Ex Ballonio Hiſt. V.: „*Toto menſe junio*, *julio*, *auguſto Febres vagabantur mali moris*. *Medici decipiebantur tanquam Quotidianas intermittentes putantes*, *quod ſingulis noctibus repeteret*

(*a*) Murat. Govern. della Peſt. lib. 1. cap. V. p. 30.

Digitized by Google

teret Febris *&c.*". Ex Sylvio Hiſt. VII., quæ *Lugdunum Batavorum* multarunt Febres, *epidemice* graſſatæ ſunt, & ex ſimplicibus in duplices, ex intermittentibus in continuas migrarunt. Ex Hoffmanno Hiſt. IX.: „*Æſtate & autumno regnabant Febres partim intermittentes plane, partim remittentes ... contagio infeſtæ*". Ex Lanzono Hiſt. IX.: „*Exordium habuere Febres quædam, quæ prima facie Tertianæ ſimplicis notam præferebant ... Miſerandum erat videre, unum vix in domo ægrotare; dein paucos poſt dies totam febricitare familiam*".

(*b*) Ex Hippocr. ibid. „*Tertianarum, Quartanarum, nocturnarum, continuarum, erronearum, anxiarum, inconſtantium*". Ex Mercato Hiſt. IV.: „*Experimento non admodum raro conſtat, Febres intermittentes, tam ſimplices, quam duplices, multis modis inopinato laborantes non paucos perdidiſſe*". Ex Ballonio Hiſt. V.: „*Medici decipiebantur tanquam Quotidianas intermittentes putantes, quod ſingulis noctibus repeteret Febris: verum aſſiduæ erant ... noctes implacidiſſimæ*". Ex Riverio Hiſt. V.: „*Videmus Febres Tertianas intermittentes, quæ ſummæ malignitatis ſunt participes ... maxima ſymptomatum ſævitia*". Ex Mortono Hiſt. VI.: „*Typus Febris in variis ſuis ſtadiis algoris, caloris, & ſudoris abſconditur penitus & opprimitur; ita ut neque ex urina, temperie, pulſu, vel alio quocunque ſolito modo diſtingui poſſit ... priora aut deteriora ſymptomata inexpectato recrudeſcunt*". Ex Sylvio Hiſt. VII. dira attulerunt ſymptomata, & in Quartanam ſeſe receperunt. *Tortius* Hiſt. VIII. cholericas, cardialgicas, diaphoreticas, ſyncopales, algidas, & ſubcontinuas recenſuit. Ex Hoffmanno Hiſt. IX.: „*Partim remittentes tantum, anomalæ & irregulares, vagum & incertum typum habentes, facile inter ſe mutabiles, ut plurimum inſuetis & gravibus ſymptomatibus ſtipatæ*".

(*c*) Ex Hippocrate ibid.: „*Omnes autem hæ cum multa turbatione fiebant: Nam alvi plurimis turbatæ: horrores, ſudores non judicatorii, & urinæ velut præſcriptum eſt*". Ex Mercato Hiſt. IV.: „*Pleræque licet ſæviſſimis accidentibus inſigniantur &c.*". Ex Ballonio Hiſt. V.: „*Adeo tempus*

pus matutinum terrificis erat ſymptomatis plenum etiam primo quaternario, ut multi ſacro oleo perunćti fuerint ... Vidimus multos, quibus fluxerat alvus excrementis bilioſis ... ſed iſti fluores parum proderant ... At nullus erupit (ſudor) *niſi ſymptomaticus* ". Ex Riverio Hiſt. V.: „ *In graviſſimum vitæ diſcrimen conjiciunt maxima ſymptomatum ſævitia* ". Ex Mortono Hiſt. VI.: „ *Inter innumera illa ſymptomata haſce Febres comitari ſolita, nullum eſt quod non aliquando adeo vehementer ſæviat, ut vitæ ægri inde in præſens diſcrimen adducatur; & typus Febris in variis ſuis ſtadiis* algoris, *caloris, &* ſudoris *abſcondatur penitus & opprimatur: Itaut neque ex urina, temperie, pulſu, vel alio quocumque ſolito modo diſtingui poſſit ... ſub larva ... Diarrhϕæ torminoſæ* ". *Sylvius* Hiſt. VII. inter lethalia ſymptomata adnotavit ſummam virium proſtrationem, alvi fluxum, dyſenteriam, urinas varias. Ex *Tortio* Hiſt. VIII. ſymptomata habuimus cholerica, dyſenterica, atrabilaria, cardialgica, diaphoretica, ſyncopalia, atque algida. Ex *Hoffmanno* Hiſt. IX.: „ *Ut plurimum inſuetis & gravibus ſymptomatibus ſtipatæ* ". Ex Lanzono Hiſt. IX.: „ *Primo rigor incipiebat, qui ad plures horas durabat: Vomitus amari ſucci aderant; Cardialgia... in multis termina & alvi fluxus* ".

(*d*) Ex Hippocrate ibid.: „ *Atque hæc pleriſque horum longa erant: neque enim abſceſſus his orientes judicabant, velut in aliis. Et omnia quidem omnibus difficulter judicabantur, & nullæ judicationes fiebant, & diuturnæ, maxime vero his: paucis autem horum judicatio circa octogeſimum diem fiebat* ". Ex Mercato Hiſt. IV.: „ *Licet prædićtas Tertianarum ſpecies pernicioſas eſſe conſtet; non ſubinde exiſtimandum eſt, omnes fore lethales. Quædam enim pernicioſæ & timore plenæ ſunt: aliæ in alios morbos migraturas ſe oſtendunt: nonnullæ in diutinos affećtus; & pleræque, licet ſæviſſimis accidentibus inſigniantur, non omnino lethales exiſtunt* ". Ex Ballonio Hiſt. V.: *In aliis formicans pulſus; & hæc præſertim diebus criticis contingebant, ac ſi natura fruſtra aggrederetur criſim. Qui criſim ſubiere nono, aut undecimo die cum magno vitæ diſcrimine fuerunt. Aliis Febris pro-*

protracta ; & ſine criſibus fere ſoluta ; quaſi infracta & domita ſucceſſu temporis ferocia morbi. Multis parotides apparuerunt, aliis funeſtæ, aliis non". Ex Mortono Hiſt. VI.: *Medicus Siſyphi ſaxum volvit, atque æger vitæ dulciſſimæ diſpendio, aut ſaltem magno ſumptu ignorantiæ, vel incuriæ Medici pœnas ſero luit*". *Sylvius* Hiſt. VII. frequentes recidivas, lentam febrim, alioſque longos affectus hiſce Febribus ſupervenientes adnotavit. Ex *Hoffmanno* Hiſt. IX.: „*Nonnullos per plures menſes detinentes ... anomalæ valde*".

(*e*) Ex Hippocrate ibid.: „*Plurimis prout contigit defecerunt. Moriebantur autem horum pauci ex hydrope erecte obambulantes*". Ex Mercato Hiſt. IV.: „*Quædam pernicioſæ & timore plenæ ſunt: Aliæ in alios morbos migraturas ſe oſtendunt: nonnullæ in diutinos affectus; & pleræque, licet ſæviſſimis accidentibus inſigniantur, non omnino lethales exiſtunt*". Ex Ballonio Hiſt. V.: „*Aliis Febris protracta, & ſine criſibus fere ſoluta, quaſi infracta, & domita ſucceſſu temporis ferocia morbi*". Ex Mortono Hiſt. VI.: „*Æger ... ſaltem magno ſumptu ... incuriæ Medici pœnas ſero luit*". Ex Sylvio Hiſt. VII. frequentes recidivæ, lenta Febris, Hydropes &c. conſequebantur. Ex Hoffmanno Hiſt. IX.: „*Vagum & incertum typum habentes, facile inter ſe mutabiles ... nonnullos per plures menſes detinentes*".

(*f*) „*Multos vero etiam in aliis Morbis tumores infeſtabant, maxime vero tabidos &c.* Hippocrates ibid. Hæc & reliqua, quæ habentur in textu §. 266. exſcripto, omnium Morborum, in tota hac III. Sectione enarratorum, ultimum conſtituunt affectuum conſectariorum epilogum; de quibus inferius aliqua dicturi erimus. Nunc ſit

Parallelum quinquageſimumquartum.

Quæ itaque *Epidemicæ* Intermittentes Febres poſterioribus ſæculis in Europam inceſſerunt, iisdem ſtipantur ſymptomatibus, eademque lethalitate, ac Intermittentes Epidemicæ a *Sacris* Hippocratis *Ignibus* progenitæ.

In-

Intermittentes Epidemicæ Febres ſæpiſſime Variolarum fuerunt ſoboles.

Analogia trigeſimanona.

§. 275. „ *Multa præterea alia Febrium genera populariter graſſata ſunt Tertianarum &c.*) Ad *Epidemicarum* Intermittentium *Æthiologiam*, haud quidem numeris omnibus abſolvendam, ſed in viam ſaltem reducendam, id negotii nobis impendere videtur, ut demonſtremus eas, ſicuti *Sacrorum Ignium*, ſic Variolarum eſſe conſectarias. In dubium equidem minime vocari poteſt, hoc Morbi genus haud prius Europæis nationibus innotuiſſe, quam poſt longe lateque apud nos vulgatas Variolas ſimul atque his analogos Morbillos (*§.* 268. *ſeq.*)). Si noſtri Morborum *Epidemicorum* Scriptores id penſum omnes ſibi aſſumpſiſſent, ut, qui Variolas Morbilloſque comitati, vel conſequuti ſunt, morbos accurate literis demandaſſent, noſtri forſan Propoſiti ineluctabilem haberemus demonſtrationem. Cæterum hæ prominent obſervationes, quæ, utpote ad rem maxime facientes, ingenuis veritatiſque aſſequendæ amantiſſimis viris ſatisfacere valent. *Ballonius* in ſuperius (*Hiſt. V.* §. 269.) allata Febrium *mali moris* hiſtoria, poſt illa verba „ *multis parotides apparuerunt, aliis funeſtæ, aliis non* “, ſtatim ſubdit (*a*): „ *Morbillis illo tempore prehendebantur Pueri. Nos autem obſervamus, Febres omnes eas, quæ jam grandiores natu prehendunt, Morbillis vulgo Pueros exercentibus, omnes, inquam, eas eſſe mali moris & funeſtas*, ac ſi aliquid reſipiſcerent de Febre ea, quæ Morbillis comes eſt. *Et quoniam ob cutis mollitiem* exanthemata *Pueris erumpunt, ideo funeſtam vim morborum iſtorum depellunt, alioqui deperirent. Satis autem manifeſtum erat, eas Febres, quæ in grandiores inciderunt*, ejuſdem eſſe moris cum Febribus Pueros exanthematibus obſitos exercentibus; *quod cum ſumma inquietudinis & doloris ſenſatione, ut ægri ne minimum quidem contre-*

(*a*) Epidem. & Ephem. lib. I. Conſt. IV. ann. 1571. p. 23.

Digitized by Google

trectari poſſent, *vidimus multis obortas eſſe maculas rubentes*, *mox liveſcentes cum ſumma membrorum confractione: eas Græci* ecthimata *vocant*; *Celſus papulas vertit*; quod in epidemiis multis contigiſſe vidimus, *magno ægrorum periculo* ". Celeberrimus *Proſper Alpinus* hæc poſteris tradidit (*a*): „ *Hoc itidem anno* [1601.], *quo hæc ſcripta revideo*, Venetiis & in aliis multis Italiæ locis *complures ab* epidemicis Febribus Semitertianis, Ardentibus Peſtilentialibus cum Morbillis *malignis* moriuntur ". Sydenhamus de Intermittentibus *mali moris*, de quibus ad *Brady* ſcripſerat, uti §. 267. adnotatum, alibi (*b*) hæc loquitur: „ *Anno* 1680., *poſtquam Febris hæc per autumnum omnia fuerat depopulata*, *Variolæ brumali tempore eam excipiebant ubique locorum graſſantes*. *Anno autem vertente* 1681. *ſcilicet*, Febres Intermittentes *denuo recrudeſcebant haud uſquequaque* epidemicæ, *fractis jam & ſuccifis earum viribus*, *unde etiam Variolæ* hic illic ſparſæ *una cum illis ſubpullulabant*. *Æſtate vero jam ingreſſa Variolæ* increbeſcere quotidie, *tandemque* epidemicotatæ *factæ ſtragem haud vulgarem edebant* ". Ill. *Scroeckius* (*c*), poſt vulgatas, necdum receſſas Variolas tam benignas, quam confluentes, adjicit: „ *Febres etiam ardentes* (§. 252.) *in puſtuloſas ſæpe*, *& maculoſas efflореſcentias*, *non abſque malignitatis aut contagii nota*, *cum dorſi præcipue ac capitis magno dolore in principio conjunctas*, *abeuntes: præcipue autem præter* erraticas, Quotidianæ, & Tertianæ *notabantur*, *quæ*, *quum primum invaderent*, continuarum *in aliquibus metum vehementi ſuo calore*, *cephalalgia*, *deliriis*, *ac* virium debilitate *inceſſerant* ". Cl. *Gahrliep*, graſſantibus Variolis, ſequentia ſcripſit (*d*): „ *Typus Febrium* Intermittentium non unius generis erat... *Semitertiana paulo rarior*... *Vigebant quoque Febres* erraticæ, *quæ incertis recurrebant diebus & horis*. Ambigebatur an in cenſum Febrium

Rr

(*a*) De Præſag. Vit. & Mort. Lib. I. Cap. XI. p. 30.
(*b*) Tom. I. Diſſert. Epiſtolar. ad Guillelm. Cole p. 238.
(*c*) Conſtit. Epidem. Auguſt. ann. 1697. apud Sydenh. tom. I. p. 452.
(*d*) Synopſ. Conſtit. Epidem. Uratislav. ann. 1699 apud Sydenh. tom. I. p. 201.

Digitized by Google

brium Intermittentium referri debeant etiam illæ, quæ contra communem Intermittentium indolem tragœdiam a calore ſatis intenſo auſpicabantur: *nam utut* apyrexia, quæ initio adeſſe videtur, *genium Intermittentis redoleat*; *languor tamen magnus*, *pulſus aliqua agitatio*, *& cætera ſymptomata continuitatis opinionem confirmabant*. *Eadem fere mens erat de illis*, quibus malignitas conjuncta eſt, & tamen remiſſione quadam non carent, *ſcilicet doloſo* intermiſſionis *cineri primorum dierum ſuppoſitum fuiſſe ignem continuatum*, *elucet ex eo*, *quod ſequentibus exacerbationem quidem caloris & ſymptomatum*, *non item veram remiſſionem* obſervare liceat". Ill. *Loew* de Auguſto anni 1708., vigentibus malignis variolis, *Intermittentes erraticas* (*a*) capitis dolore, ſiti, linguæ ac faucium ſqualore, viriumque debilitate moleſtiſſimas, graſſatas eſſe enarrat; anno vero 1709. (*b*) ſub *epidemicis* Morbillis, eas *terribili alvi fluxu* atque *cholera* funeſtas inſurrexiſſe ſcribit, ſubditque: „*Verſipellis hæc Febris* epidemica *quoſdam invaſit cum* exanthematibus *urticæ puncturis ſimilibus*, *quæ calore retrocedente receſſerunt*, *& calore redeunte redierunt*. *In duobus perſonis*, *una ſeptemdecim*, *altera triginta annorum obſervavi* his Febribus ſuperveniſſe apoplexias fortiſſimas lethales. Raro ſervarunt ſtata ſua tempora, *ſed quandoque decem*, *duodecim horas præponendo*, *& anticipando virulentiam ſuam ad triginta aliquot imo quadraginta horas exercuerunt*: *quandoque unus paroxyſmus excepit alterum*, *donec tandem* peregrino materiæ miaſmate *ſufficienter diſſipato*, *& extincto*, *ſeptimo aut ad ſummum octavo paroxyſmo terminatæ ſunt*, relictis poſt ſe puſtulis & fiſſuris in lingua, inflammatione faucium, abſceſſibus, *ſemper autem virium proſtratione ſumma*". Laudatus *Lanzonus* hæc probe adnotavit (*c*): „*Epidemia in infantibus tali byeme* (anni 1716.) *incœpit Variolarum*, *quæ poſtea toto anno* 1717. *miſerrime perſeverans Puerorum ſtragem multiplicavit*. *Ineunte*

(*a*) Conſtit. Epidem. Sempron. ann. 1708. apud Sydenh. tom. II. p. 497.
(*b*) Ibid. p. 499.
(*c*) Conſtit. Epidem. Ferrar. an. 1716. 1717. apud Sydenh. tom. I. p. 534.

eunte vere multæ nebulæ denſiores obſervabantur , quæ tandem in pluvias terminabant . Sequebatur , imo ſemper major fiebat Epidemia Variolarum *in Puellis ; ac nonnullæ* Malignæ Febres *obortæ ſunt , quæ in principio leves apparebant ,* progreſſu tamen temporis funeſtæ ac mortales *manifeſtabantur : ex quibus Febribus quatuor noſtri Medicinæ Doctores* (an non ex contagio ſub ægrotorum viſitationibus contracto?) *præter alios denati ſunt ... Acceſſit æſtas , cujus menſibus magna ſiccitas , & auſtrini venti calorem augebant . Sequebantur* malignæ Febres , *atque nonnullos vexabant* Tertianæ duplices *melioris notæ cum vomitibus in principio acceſſionis ,* ac dolore capitis ſævo , *qui nonniſi declinante Febre miteſcebat . Menſe Auguſto nonnullæ occurrerunt* Dyſenteriæ ... *Erat miſerandum cernere quotidie infantum cadavera variolis enecata ad tumulum deferri*". Huic ſpartæ finem ponat Ill. *Carolus Richa*, qui diſerte , quod probare cupimus , ſe cognoviſſe declarat : „ *Plurima* , inquit (*a*), *pluvia Septembris initio delapſa , mox ſubſequens horridiuſcula aura , quæ ſuperiore autumno* (anni 1720.) *perque hyemem dein , ac ante actam æſtatem ſeſe prodiderant* , exitiales Febres , Variolarum & Morbillorum , quæ facem illis prætulerant , veſtigia inſequentes , ac morem heu infandum nimis , *in fugam verterant* ; ortumque dederant Intermittentibus Febribus , *quæ jam tum proludere cœperant , lætitioremque* , ſaltem funeſtam minus, Subalpinis *futuram rerum ſcenam polliceri ... Hæ quidem utut* Intermittentium indolem ac morem *toto ſui decurſu quodammodo prætulerint ingeniumque ; attamen* quid inſolentis , quodve reipſa vulgare quidpiam ac revera divinum ineſſe iis ominabatur , *præſeferebant . Neque enim diuturniores adeo extitere , quas quiſque Medicorum jure merito ſuſpicabatur ; quaſve futuras vel ipſa quoque anni temporis conditio ſuadere poterat .* Dolor inſuper capitis intenſus , idemque aſſiduus febrilis paroxyſmi aſſecla , *eique ſæpe proludens* ; oculorum rubor , pulſus parvi humileſque , ingens corporis jacta-

(*a*) Conſtit. Epidem. Taurinenſ. ann. 1721. apud Sydenh. tom. II. §. II & IV. p. 544. ſeqq.

jactatio, quid denique in ipſo ægrotantium vultu ac urinis facile conſpicuum intuentibus; quid intime latens, aut ſuperioris forte ludentis adhuc conſtitutionis reſiduum, *aut illi* (eryſipelatoſæ) *quæ jam prope impendebat*, *antecurrens*; *quid*, *inquam*, *ab conſueto* Intermittentium Febrium *genio ac more diverſum ſubludere ſignificabat* ".

Concluſio Vigeſimaprima.

Quum ratis itaque obſervationibus demonſtratum eſſe videtur, *Epidemicas Intermittentes Febres* æqua forte Variolas atque Morbillos comitari vel ſubſequi, ac *Sacros* Hippocratis *Ignes* comitatæ vel conſequutæ ſunt; neque prius eas Europæ innotuiſſe, quam poſt horum Morborum vulgatas graſſationes; haud ſine firma ratione concludi poſſe cenſemus, hanc Febrium ſpeciem uti *Sacrorum Ignium*, ſic Variolarum atque Morbillorum eſſe progeniem.

Additio Sexta.

1. *Peracta jam in hoc noſtrum Opus Judicum animadverſio efflagitat*, *ut in medium proferamus*, *quidnam in nuperrimis Scholis Medicis de harum* Epidemicarum Intermittentium Febrium Pathologia *ſentiatur*. *Ill.* Sauvageſius *(a)* Intermittentem pleuriticam Valleſii *inter Typhodes*; *ſicuti* Algidam Mortoni *(b) inter Tertianas enumerat*, *nulla habita contagii mentione*.

2. Macbridius *(c) Intermittentem* Aſthmaticam, Caroticam, & Cardialgicam Mortoni *tamquam Tertianæ Intermittentis* varietates *intuetur*. *Febrium* remittentium *omne genus (d)* Endemium *eſſe aſſerit* in omnibus regionibus calidis, ubi ſolum paludoſum eſt cum aquis ſtagnantibus; *& ad harum* varie-

(a) Noſolog. Pathol. Sect. I. Cl. II. Ord. I. p. 131.
(b) Ibid. Ord. III. p. 135.
(c) Tom. I. Introd. Method. in Theor. & Prax. Med. Lib. I. Cap. VII. p. 57
(d) Ibid. Cap. IX. p. 59.

varietates (*a*) *reducit* remittentem peripneumonicam, quæ anno hujus ſæculi quinquageſimoſeptimo in Provincia Galliæ *epidemica* fuit; *uti ad remittentes putridas refert* (*b*) Anginoſam malignam, quæ in variis Europæ Regionibus *nonnunquam epidemica eſt*, infantibus quammaxime funeſta, ac fere *exanthemate ſcarlatino* ſtipata; *refert* (*c*) *&* Syncopalem; *refert* (*d*) *&* Caroticam, *tranſmiſſa harum omnium origine*.

3. *Cel.* Cullenius (*e*) *nullum Febrium Intermittentium principium ſufficiens præter* Miaſma paludum *agnoſcit*; *variaſque Tertianæ remittentis* differentias, *quas* Tortius comitatas *vocavit*, *nomenclationes*, *& prope XL.* epidemicas *conſtitutiones*, *a diverſis præſtantiſſimis Auctoribus*, Hippocrate, Sydenhamo, Mortono, Sylvio, Tortio, Hoffmanno, *aliiſque deſcriptas*, *accurate recenſet*. *Interim in* Primis Medicinæ Practicæ *Lineis* (*f*) *hanc vulgavit Propoſitionem*: „Miaſmata porro Intermittentes, Contagia vero Continuas Febres producere contendimus". *At Hippocrati* [*Addit. IV. num.* 11.] *eadem ſunt* Miaſmata *ac* Contagia; *&* Contagia *millies millieſque* [*a* §. 267. *ad* 275.] *Intermittentes Febres produxere*.

4. *Ill.* Burſerius, *quanquam harum Epidemicarum Intermittentium vulgatam a binis ſæculis hiſtoriam ſatis clare perſpectam habuiſſet*; *ſcripſit enim præ cæteris* (*g*): „Mercatus primus fortaſſe omnium dilucide eas (*Intermittentes*, *a Tortio comitatas dictas*) deſcripſiſſe creditur, deinde Mortonus, & Tortius... attamen veſtigia quædam harum Febrium reperiuntur apud alios tam vetuſtiores, quam poſteriores Scriptores, Averroem videlicet, Avenzoarem, Valleſium, Mercurialem, H. Saxoniam, Riverium, Sydenhamium, Epiphanium,

(*a*) Ibid. Cap. X. p. 65.
(*b*) Ibid. p. 66.
(*c*) Ibid. p. 67.
(*d*) Ibid.
(*e*) Synopſ. Noſol. Method. Cl. I. Ord. I. Sect. I. Ord. II. p. 11.
(*f*) Cap. IV. §. LXXXVII. p. 40.
(*g*) Vol. I. not. ad §. LXX. p. 84. 85.

Digitized by Google

nium, Donatum, Horſtium, Rhodium, Reſtaurandum, Sylvium, Ettmullerum &c." : *attamen de eis ſequens tulit judicium* (*a*): „ Hoc unum adjicimus, ſæpe hujuſmodi Febres quorumdam anni temporum, tempeſtatum, regionumve *proprias eſſe*, proindeque *modo epidemicas*, *modo endemicas* conſpici; quanquam interdum etiam *ſporadicas* occurrere non inficiemur. Malignas vero, ſive perniciofas, *cujuſcunque demum generis ſint*, *quum epidemice debacchantur*, *contagione in ſanos propagari perhibent* Meibomius, Lanzonius, Clegornius, Hevermannus, Lauterus, Hoffmannus. Id autem aut incertum valde, aut ſane rariſſimum eſſe crediderim; quum in *epidemica* quadam graviſſima conſtitutione, quæ *Bononiæ* anno 1729. quamplurimos occupavit, nil *contagioſi Cl. Beccarius* invenire potuerit; neque egomet ipſe in aliis ejuſmodi conſtitutionibus, quibus interfui non perfunctorie, unquam deprehenderim quidquam, ex quo certi aliquid concludi queat. Cauſſa enim, unde *quamplurimi*, *eodem tempore*, *eodem in loco*, *eodemque ſub tecto* febricitant (*hic ſupplendum*, *eadem Febre*) adeo communis eſt, ut contagione, qua ſani inficiantur, opus non videatur". *At ex Magni Hippocratis doctrina peſtilentis ſive contagioſi Morbi veluti individuus character*, *aut ſi ita malumus*, *pathognomonicum ſignum*, *eſt*, *ſub una eademque forma*, *communique modo*, *quamplurimos adoriri*. *Conf. Addit. IV. n.* 15. *Etſi enim idipſum ſæpe* Endemicis *Morbis*, *vigente plurimum eorum efficiente cauſa*, *adhuc inhæreat*; *hi tamen alia proprietate ab* Epidemicis *ſejunguntur*, *quod*, *nimirum*, *in eodem ſemper loco quovis æſtivo & autumnali tempore ſine contagio graſſentur*; *quod quidem ab* Epidemicis *Intermittentibus longe abeſt*. *Burſerius igitur Pathologiam*, *quam Nos de hiſce* Epidemicis Intermittentibus *Medicinæ Proceribus librandam ſiſtimus*, *minime nactus eſt*: *nec unquam id ſuſpicari poterat*, *dum diſertiſſimo huic viro aliud fuit* contagioſum, *quod in humano corpore gigni autumavit* [*Addit. IV. n.* 5.]; *longe aliud* Epidemicum, *quod a* Miaſmatibus, quæ a paluſtri ſolo, corruptiſque aquis erumpunt,

(*a*) Ibid. §. LXXI. p. 85. 86.

punt, aut aliunde venti quidam ad alia *loca* [*uti loquitur* (*a*)] transferunt, *derivandum eſſe putavit*.

5. *Opportunum hic nobis videtur explanare*, *an Intermittentium Febrium ſic dictæ* Epidemiæ, *a Præclariſſimo* Targionio Tozzettio *in ſuperius citata Diſceptatione relatæ*, *ad veras pertineant* Epidemicas *Intermittentes*. *Cuncta hujuſce Auctoris Commentaria in id unum verſantur*, *ut diſquiratur*, *ſi inter alias cauſas*, *quæ cujuſdam Hetruriæ Provinciæ vulgo* della Valdinievole *Aeris inſalubritatem fovent adaugentque*, *præcipuæ ſint Aquæ ſalſæ ex Fluminis vulgo* Salſero *alveis in planitiem erumpentes ſimul & ſtagnantes*, *uti probare contendit* Tozzettius *adverſus Ill. Doctorem* Nencium; *an potius Aquæ putreſcentes ex lini cannabiſque maceratione*, *quæ in Agro vulgo* Bellaviſta *quotannis conficitur*, Nencio *id aſſerente contra* Tozzettium. *Quicquid de hac re ſit*, *huic controverſiæ anſam præbuit quarumdam Febrium popularis graſſatio*, *quam operæ pretium exiſtimamus ipſius Auctoris verbis hic ſubtexere*: „ *L'ultima*, inquit (*b*), *terribile Epidemia*, *che devaſtò* la Valdinievole *nel* 1756. viene nella ſeguente maniera deſcritta, nelle relazioni ſtate traſmeſſe al Magiſtrato Illuſtriſſimo e Clariſſimo di Sanità. Nel Popolo del *Ponte Buggianeſe*, numeroſo di circa 4000. anime, fino da i primi di Giugno 1756. ſi fecero ſentire più frequenti del ſolito alcune *Febbri Terzane Doppie*, che poi ſi facevano *Maligne*, ma ſenza notabile mortalità, fino alla metà del ſeguente meſe di Luglio. D'allora in poi, e fino a'28. d'Agoſto fu notato, che non paſſava giorno, in cui vieppiù creſcendo il numero dei malati, non moriſſe una, e talvolta due perſone tra grandi, e piccole: mancanza, che non faceva grande ſpecie in così numeroſa popolazione, e nel cuore dell'eſtate, avendo riguardo alla ſituazione del luogo, confinante col *Padule di Fucecchio*, e alla

(*a*) Vol. I. Part I. not. ad §. XCVIII. p. 112. & Vol. II. Part. alt. not. ad §. CCCXLII. p. 162.

(*b*) Ragionamento ſopra le cauſe, e ſopra i rimedj dell' inſalubrità &c. Tom. I. §. LVI. p. 111. ſeqq.

Digitized by Google

la ſiccità della ſtagione. Dal 28. Agoſto fino agli 11. Settembre, crebbero a diſmiſura le Febbri, ed in numero, ed in qualità, fino a vederſi le Famiglie intiere oppreſſe dal male, ſenza chì le aſſiſteſſe; e cominciarono allora a contarſi fino a otto, e nove morti il giorno, nella ſola mentovata Cura del *Ponte Buggianeſe*. Le Febbri erano tutte d' un iſteſſo *carattere pernicioſo, e maligno più o meno*, ſecondo la qualità de' temperamenti: Nè andò eſente da queſta infezione qualunque Perſona, che venuta da altre parti, ed anco di Montagna, era ſtata a lavorare in queſto Paeſe; il che accadde in ſpecie a tutti coloro, che ſtettero per opera ad ajutare a battere i Grani ad alcuni Poderi di *Bellaviſta*, ed ai Muratori, Legnajoli, ed altri Manifattori, che travagliavano alla fabbrica di una Caſa nuova in quella Colmata. Opportunamente a queſto propoſito aveva avvertito *Monſignor Lanciſi*: *At vero qui puro e cœlo ad paluſtre ſe conferunt, eo deterius afficiuntur, quo feliciori aſſueverint, & connutriti fuerint*. Dal ſuddetto dì 28. Agoſto in poi, il numero de' malati non è ſtato meno conſtantemente di *mille il giorno*, e tra eſſi furono il Paroco, ed un Sacerdote ſuo ajuto. In queſto fracaſſo di male, furono dal Magiſtrato Illuſtriſſimo e Clariſſimo di Sanità preſi i ripari creduti più opportuni, e dai Periti deſtinati a tale incumbenza, fu procurato di mettere in chiaro la natura del male, e di applicarvi i rimedj proporzionati. Dalle replicate oſſervazioni, e dalle aperture de' cadaveri, fu concluſo, che l' indole del male conſiſteva in *Febbri putride verminoſe*, o al più alto ſegno *Maligne*, con *Petecchie*. Quei che ſi ammalavano, erano ordinariamente aſſaliti da una Febbre, che teneva in principio l' apparenza d' una *Terzana Doppia*, e di una *continua remittente*: Alla terza e quarta Febbre il male ſi avanzava all' eceeſſo, prendendo il carattere di una vera *Pernicioſa e Maligna*. Tutti erano aſſaliti da un *fiero dolor di teſta*, reſtando talmente *proſtrati, ed abbattuti di forze*, che non avevano lena di alzare un braccio. A moltiſſimi ſopraggiungeva il *Letargo*; quaſi tutti *deliravano*, ed alcuni divennero *Apoplettici*. Molti erano moleſtati da un vo-

vomito bilioſo, ed altri erano incomodati da una ſimile *Diarrea con Vermi*. Nella maggior parte ſi ſcoperſero gli *Eſantemi*, e le *Petecchie*, e in grado tale, che in alcuni ſi viddero ſimili *Macchie Gangrenoſe*, di una ſtraordinaria larghezza, per la periferia del corpo, ed a molti comparirono le *Parotidi*. Chì moriva nel quinto, ſettimo, nono, e decimoterzo giorno, e chì paſſava il ventuneſimo giorno della ſua malattia, eſſendo relativa la lunghezza del male alle forze degl' infermi, ed ai temperamenti più o meno robuſti di queſti infelici; ma tutti quelli, ne' quali comparivano certe *efflorefcenze cutanee*, di *Puſtolette marcioſe*, guarivano talvolta mirabilmente ſenza ajuto dell'arte... Notiſi, che quelli ancora, i quali non erano attaccati dal male maligno, avevano perduto affatto il naturale colorito, ed avevano certe *Faccie Ippocratiche*, in guiſa tale, che ſembravano *cadaveri* ambulanti ... Fu per altro riconoſciuto, che *la malattia non ſi comunicò a quelle Perſone, che abitavano in luoghi di aria ſalubre, con tutto che aveſſero in caſa degli Ammalati, i quali per aver dimorato qualche giorno nel Piano, erano ſtati attaccati dal Male Epidemico*. Laonde è coſa indubitata, che *queſte Infermità non furono contagioſe*, e fuori che nella Pianura, o nelle Perſone che vi avevano dimorato qualche tempo, ed avevano incorporato l'aria cattiva, non furono ſcoperte tali Malattie". *Hæc Tozzettius*. *Idipſum & Ill. Nencius retulit* (*a*), *ubi ait*: In Valdinievole non ſi è trattato di contagio, ma di Febbri *Epidemiche*, prodotte dai Miaſmi delle Colmate". *Sub hac itaque Febrium multitudine non defuerunt* popularis graſſatio, *&* multorum interitus, *quæ* Galeno *ſatis eſſe viſa ſunt* [*S*. 215.] *ad decernendam Peſtim*. *Adfuerunt* magna ulcera gangrænoſa, *Febrem* peſtilentialem contagioſam *ex* Swietenio [*S*. 37.] *producere valentia*. *Præſto fuit plurimorum ægrotorum in unum locum concurſus*, *qui* Macbridio [*Add. IV. n.* 2.], Cullenio [*ibid. n.* 3.], Burſerio [*ibid. n.* 5.], Equiti Roſa [*ibid.*], *aliiſque efficiens eſt ac potentiſſima*

S s

(*a*) Apud Tozzett. ibid. tom. II. §. LXXXIII. p. 632.

ma gignendi contagii *cauſa*. *Adfuerunt varia Cutis* exanthemata, petechiæ, puſtulæ, maculæ, parotides, *maligna reliqua fere ſymptomata* , *quæ* Peſtilentes *morbos comitari ſueverunt* : *Attamen* Peſtilentes *minime fuerunt* , *utpote quod contagione deſtitutæ fuerint* . Tozzettium *ipſum Judicem cordatum hac de re inclamamus* . *Equidem Clariſſimus hic Auctor*, *ut aquas ex lini cannabiſque maceratione putreſcentes*, *a culpa*, *quam eis* Nencius *iuurerat*, *efficiendi* peſtilentes *Morbos*, *liberaret*, *in medium attulit* (*a*) *ſequentem* Diemerbroeckii *textum*: „Aquas vero ex immaceratione cannabis vel lini putreſcere , & venenatas evadere concedimus, *peſtilentes tamen non fieri inde docemur*, *quia non ſunt contagioſæ* , nec alios lædunt , quam qui illas bibunt , aliove modo intra corpus aſſumunt; imo impune eas nudo corpore abſque ulla noxa tractare licet, dummodo per os corpus non ingrediantur "; *utitur & auctoritate* Pauli Peredæ, *hæc præ cæteris ſcribentis* (*b*) : „ Valentia anno 1523. & 1530. maxima Peſte fuit correpta, quo tempore ne ſerebatur quidem cannabis, nedum macerabatur : ab anno tamen 1530. ad hæc uſque tempora magna vis cannabis alitur & mollitur, nec *Peſtilens conſtitutio* genita eſt"; quia videlicet peſtilens conſtitutio ſine contagio nulla eſt . *Conf.* §. 20. *Ab* Tozzettio *igitur deſcripta popularis Intermittentium Remittentiumque Febrium graſſatio ad* Epidemicarum *Intermittentium ſpeciem haudquaquam pertinet* , *ſed recte ad* Endemicum *Morborum Genus* [*a* §.23. *ad* 26.]; *& inconſulta Hippocratis doctrina* [*Addit. IV. n.*11.] Epidemiæ *nomine paſſim ab omnibus donata hactenus fuit*.

6. *Æquiſſimus hujuſce noſtri Inſtituti Diſquiſitor* (*c*) *hæc loquitur*: „Qui Febrim vidit natam Intermittentem, mox vero factam continuam, ac tandem alvi excretionibus integre judicatam; num dubitare poterit primæ illius Febris, Intermittentis nempe, cauſſam *abdominales ſordes extitiſſe*? ". *De Febre Ardente*

(*a*) Ibid. p. 365.
(*b*) Ibid. p. 370.
(*c*) Lib. II. Inſtit. Med. Partis poſter. &c. Sect. I. §. 309. p. 87.

Digitized by Google

dente & Hemitritæa, *quas ſub Tertianæ titulo exponit*, *habet* (*a*): In hac quum *fomitis in Abdomine putreſcentis præſentia non deſit*, & talis ut acutam Febrim excitare valeat, alternis tamen diebus acerbiorem; accedit ipſi inflammatoria ſpiſſitudo ſanguinis, haud parvam periculi, quod ea Febris infert, partem conſtituens. — Præſentiam quidem *ejus vitioſi fomitis in Abdomine* in dubium revocari non poteſt; quum nullus Medicorum extiterit, qui inter præcipuas criſis vias in hac Febri, non conſtituerit *alvi excrementa bilioſa*, *olida*, *copioſa*". *Quotidianam Febrim proximius quam reliquæ Intermittentes ad continuitatem accedere aſſerit* (*b*) ob dictam toties fomitis morboſi incaleſcentiam interiorem. *De Intermittentibus vero malignis ſic fatur* (*c*): „ Venenatas ejuſmodi ſubſtantias *intra vivens corpus naſci a collectis paullatim ſordibus* omnino certum eſt [320. & ſeqq.]. Quippe etiam malignæ Febres per conſuetas aliis omnibus vias judicantur. — Earum tamen ſubſtantiarum non idem ſemper potentiæ gradus eſt: ſunt enim aliquando activiſſimæ, & cito lethales; interdum vero mitiores, & invincibili pertinacia funeſtæ. — Quandoque ſtimuli vices gerunt, at mordicus partibus hærentis, quas obſedere, eaſdemque convellentis; quandoque vero atoniam potius, & languorem progignunt. Hinc Febres *apoplecticæ*, *paralyticæ*, *ſyncopales* &c., illinc vero *aſthmaticæ*, *dyſentericæ*, *cholericæ* &c." *Harum contagionis apud Cl. hunc Auctorem nulla invenitur mentio*.

7. *Vetuſta igitur Epidemicarum Intermittentium origo*, *hactenus a nemine*, *quantum ſcimus*, *explanata fuit*. *Quod ſi quandoque probatum iri fas erit*, *eaſdem a Varioloſo*, *Morbilloſoque* Miaſmate *ortum ſuum ducere*; *rationi erit apprime congruum*, *extinctis Variolis*, *& ipſas extingui neceſſum eſſe*.

§. 276.

Multos vero etiam in aliis morbis tumores infeſtabant, *maxime vero tabidos*. *Maxima autem & graviſſima erat tabes*;

Ss 2

(*a*) Ibid. §. 395. 396. p. 113. 114.
(*b*) Ibid. §. 420. p. 122.
(*c*) Ibid. §. 428. ad 431. p. 125.

Digitized by Google

bes; & plures occidit. Nam multi per hyemem incipientes, partim decumbebant, partim erecte obambulabant. Ante ver autem plerique ex decumbentibus moriebantur: Aliorum vero tuſſes nihil defecerunt; verum æſtate remiſerunt. At ſub autumnum omnes decubuerunt, & multi mortui ſunt, plurimi vero horum diu ægrotaverunt &c. Ex §. 266.

§. 277. *Multos vero etiam in aliis morbis tumores infeſtabant maxime vero tabidos.*] Novam & hic Hippocratem aſſumere hiſtoriam aliquorum conſectariorum Morborum, qui *Sacros Ignes* conſequuti ſunt, id quidem demonſtrat, quod quovis integri anni tempore illos contigiſſe refert. *Tumores*] In græco textu *Ædemata*: Superius §. 183. adhuc in textu græco *Hydropes*, de quibus §. 213. abſoluta eſt comparatio. Si qui vero hæc ædemata non tanquam *Sacrorum Ignium* propagines, ſed *Epidemicarum* Intermittentium Febrium velint conſectaria, habeant ex Sylvio, præter adnotata *Obſ.VII* §. 271., quæ ſequuntur (*a*): „*Plurimi a præcedente Morbo & infirmi permanebant, & Febre lenta vel quotidie, vel incertis diebus afficiebantur.* -- Frequentiores *fuere in quibuſvis corporis partibus* tumores, *nunc* œdematoſi, *nunc ſeroſi, in facie, pedibus, cruribus, & quandoque univerſo corporis habitu* leucophlegmatiam *veram, hoc eſt, pituitoſam, vel ſeroſam, quæ* Anararca *quibuſdam in ſpecie nominatur, conſtituentes: quin non pauci facti ſunt* Aſcitici, *tumore crurum aliquando præcedente, aliquando ſequente Abdominis tumorem*": Habeant ex *Loew* (*b*) Intermittentes *mali moris* Febres, *accedente Cachexia*, & *Hydrope multis* exitioſas extitiſſe: Habeant ex *Werlhoffio* hæc (*c*): „*Comitata ſunt eas, vel imperfecte curatas exceperunt, mala hinc præcipue oriunda plura, vomitiones enormes, anxietates intolerabiles, Diarrhææ, Dyſenteriæ, Cardialgiæ, Colicæ, Icteri,* Cachexiæ, Hydropes, *Hepatitides*".

§. 278.

(*a*) Append. Tract. X. §. XLIX. & LV. p. 525.
(*b*) Conſtitut. Epidem. Sempron. anni 1709. apud Sydenh. tom. II. p. 500.
(*c*) Obſervat. de Febrib. Sect. I. §. VIII. p. 27.

§. 278. *Maxima autem & graviſſima erat Tabes, & plures occidit &c.*] Alter ex *Sacrorum Ignium* conſectariis Morbus *Tabes* fuit. De ea §. 178. ſcripſit: *Per hyemem quidem ſani degebant, exceptis Tabidis, de quibus ſcribetur*; dein §. 183. ait: *Tabidi multi*; quorum textuum Analogia extat §. 182. & 214.: nunc ſubdit: *Maxima autem & graviſſima erat Tabes, & plures occidit*. Equidem exquirere hic aliquis poſſet, undenam ſub *Sacrorum Ignium* graſſatione tam maximus, graviſſimus, plurimuſque extiterit *Athenis* Tabidorum proventus; & quænam unquam inter Sacros Ignes, & noſtras Variolas hac ſuper re poterit intercedere Analogia, dum ſub varioloſa Peſte tabificus Morbus noſtris diebus rariſſimus obſervatur? Hujus quæſiti ſolutionem quiſquis veritatis inquiſitor repetere valet ex iis, quæ §. 74. & 176. innuimus; præſertim ſi illis adjiciat Aphoriſmum (*a*): „*Juvenibus autem Sanguinis ſpuitiones, Tabes, Febres acutæ, comitiales, & alii morbi, maxime vero prædicti*“. Athenis porro tunc temporis univerſa hominum turba *Sacris Ignibus* primum irruentibus patuit: Juvenum igitur, ætatiſque conſiſtentis plurimi ex *Sacris Ignibus* haud perfecte expediti in Tabem, illorum ſobolem, inciderunt: Apud nos vero, poſt innumeras Variolarum excurſiones, magna adultorum parte ſub pueritia hac Peſte defuncta, ſoli fere infantes ac pueri, minime ad Tabem proni, ejus tyrannidi ſubmittuntur. Cæterum & noſtris temporibus non deſunt exempla plurium ex Variolis Tabidorum. Ex *Hoyero* enim jam §. 212. hæc exſcripſimus: „*Reliquos* (qui a Variolis ſupervixerant) *Tabes ſenſim conſumebat*; & ex *Huxhamio* §. 236.: „*Qui quidem evadunt, Furunculis & ulceribus maxime vexantur, ſæpe hectica Febre*. Confer. §. 182. & 214.

§. 279.

Cœpit igitur plurimis horum derepente ex his afflictio: Frequentes horrores erant; ſæpe Febres continuæ, acutæ; ſudores intempeſtivi, multi, frigidi perpetuo. Multa frigiditas, & vix rurſus recaleſcebant. Alvi variæ, adſtrictæ, & rur-

(*a*) Sect. III. Aphor. XXIX. p. 81.

Digitized by Google

rurſus humeſcentes. Et quæ circa pulmonem erant, omnia infra diſtribuebantur. Multitudo urinarum non bonarum; colliquationes malæ. Ex §. 266.

§. 280. *Cœpit igitur plurimis horum &c.*] Tabidorum nimirum, & quidem plurimis, non omnibus; quorum præcipua ſymptomata circa Febrium malum morem; ſudores non criticos; alvi, pulmonum, & veſicæ morboſas excretiones, aliaque hujuſmodi enumerat; quibus adſtruit Tabidorum excidii rationem: longe abactis, quæ nunc nos obruunt, & quibus recentiorum Medicorum libri ſcatent, phyſiologicis, pathologiciſque Phœnomenum ſpecioſis explanationibus.

§. 281.

Tuſſes autem aderant quidem perpetuo multæ, & multa educentes matura, ac liquida, non autem valde cum doloribus. Sed etiamſi aliquantulum dolerent, valde tamen leniter omnibus purgatio a pulmone fiebat: Fauces non valde mordaces, neque ſalſugines quicquam infeſtabant. Viſcoſa tamen, & alba, & liquida ac ſpumoſa multa de capite deſcendebant. Magnum autem malum & hos, & alios comitabatur, Ciborum faſtidium, velut præſcriptum eſt. Nam neque potum cum cibo libenter ſumebant, ſed valde ſine ſiti degebant. Gravitas corporis. Soporoſi. Plurimis ipſorum tumor, & ad hydropem deveniebant. Horridi: Deliri circa mortem ". Ex §. 266.

§. 282. *Tuſſes autem aderant quidem perpetuo* multæ, *& multa educentes matura &c.*] Ambigere hîc aliquis poterit, utrum hæ multæ Tuſſes perpetuo ægrotos divexantes, alium conſtituerint *Sacrorum Ignium* Morbum Conſectarium, adhuc & frequentiſſimam noſtrarum Variolarum progeniem, cui *Itali*, *Morbi Vervecini*, *Galli*, *Coqueluche* nomen, ſub nova ejus in Europam recurſione, indiderunt; an Tabidorum, quibus individui ſunt comites, fuerunt Tuſſes, & quidem multæ, quia Tabidi multi. Nos Hippocratis indubia, plana, aperta ſectantes, & ex noſtro Inſtituto pro virili contentiones removere cupientes, his non immoramur. Hujus Epidemicæ Tuſſis *Sacrorum Ignium* etiam Conſectariæ ſatis enucleata hiſtoria apud Hippocratem extat *Popular. VI. Sect.*

Sect. VII., de qua nos in *Secunda hujus Operis Parte*. Nunc Tabidorum Sympromatῶn deſcriptionem haud abſolutam animadvertentes, has Tuſſes pro Tabidorum pathemate accipimus: ſicuti & ipſorum plurimos ciborum faſtidium, ſitis abſentiam, corporis gravitatem, ſoporem, tumores œdematoſos & anaſarchicos, horrores atque delirium; ſymptomata §. 281. enumerata, paſſos fuiſſe credimus.

§. 283.

Forma Tabidorum erat levis, ſubalbida, lentis colorem referens, ſubrubra, rava; pituita alba referti, ſcapulas alarum modo eminentes habentes; & mulieres ſic. Atrabilis item forma, & ſubſanguinea, Febres ardentes, & Phrenitides ac Dyſenteriæ hos tentabant. Teneſmi juvenibus: longa alvi profluvia, acreſque ſeceſſus & pingues billoſis". Ex §. 266.

§. 284. *Forma Tabidorum erat levis &c.*] Magnus *Hippocrates*, qui ex repetitis ratiſque obſervationibus generalia condidit Medicinæ præcepta, ſicuti noverat (*a*): „ *Naturarum alias quidem ad æſtatem, alias vero ad hyemem bene, aut male ſe habere*, ita & hîc ſub multiplicium morboſorum *Miaſmatum*, & quidem *contagioſorum* graſſatione, ſolerter adnotare non omiſit, quænam ipſorum omnes indiſcriminatim, vel quoſdam; juvenes magis, quam viros; atrabilarios & ſanguineos, quam pituita vel bili ſcatentes, magis impeterent. Unde properans ad tot *Epidemicorum* Morborum ab una principe Matrice, *Sacris* nimirum *Ignibus*, productorum, hiſtoriæ finem, refert *tabifica Miaſmata* cunctos fere homines invaſiſſe, *glabros* ſcilicet, *ſubalbidos*, *lentiginoſos*, *ſubrubros*, *cæſiis oculis donatos*, *pituitoſos*, *ſcapulas alarum modo eminentes habentes*, atque *mulieres*: Quæ vero Febres ardentes & phreniticas ſimul & Dyſenteriam concitarunt, *atrabilarios* & *ſubſanguineos* magis arripuiſſe; & dyſenterica quidem in *pituitoſis juvenibus* teneſmos, in *bilioſis* autem longa alvi profluvia, acreſque ſeceſſus & pingues excitaſſe. Nihil enim in Medicina certius, quam unam eamdemque morbificam cauſam in diverſis individuis, ſub varia temporum con-

(*a*) Sect. III, Aphor. VII. p. 77.

Digitized by Google

conſtitutione, varioque regionum ſitu, admodum diverſa provocare ſymptomata, etiamſi eumdem *Epidemicum* Morbum in omnibus efficiant. Hæc vero ad noſtrum Inſtitutum non ita pertinent, ut operoſam expoſtulent Analogiam, quam certe feracem haberemus, ſi plurima Recentiorum Scriptorum pars *Hippocraticam* in obſervando diligentiam adhibuiſſet.

§. 285.

Erat autem omnibus præſcriptis graviſſimum quidem ver, & multos occidit. Æſtas autem facillima, & pauciſſimi perierunt. Autumno vero & ſub Pleiada rurſus multi moriebantur quartanarii". Ex §. 266.

Analogia quadrageſima.

§. 286. *Erat autem omnibus præſcriptis &c.*] *Sacros* videlicet *Ignes ſine*, & cum *parvis Puſtulis*; *Tabem*; *Hydropem* ſive Anaſarcam; *Febres ardentes & phreniticas*; *Ophthalmias*; *Dyſenterias*, & *Intermittentes Febres Epidemicas* patientibus, erat omnibus graviſſimum ver, & multos occidit. Non aliud quidem ver, quam illud, de quo §. 183. ſcripſit: „*Ante ver autem ſimul cum orientibus frigoribus, Sacri Ignes multi, quibuſdam cum occaſione, quibuſdam non, atque hi maligni multos peremerunt*"; & inferius ibidem: „*Plerumque igitur plurimis accidit Sacer Ignis vere*": quorum textuum Analogiam a §. 195. ad 199., & §. 247. dedimus. Hinc eruendum venit, generale illud *Hippocratis* effatum (*a*): „*In autumno morbi acutiſſimi, & omnino mortiferi: Ver autem ſaluberrimum, & minime lethale*, pro *Sporadicis*, & forſan *Endemicis*, *Conſtitutionalibuſque* Morbis, haud vero pro *Epidemicis* ſtatutum eſſe. Idipſum ſub noſtris contingere Variolis, quæ ſequitur Cl. *Hoyeri* demonſtrat obſervatio: „*Exiſtimabam*, ait (*b*), *profecto cœli & tempeſtatis ſingularem clementiam, qua tum verno tum æſtivo tempore gaviſi eramus, Variolas hucuſque nobis conſer-*

(*a*) Aphor. IX. Sect. III.
(*b*) Differt. Epiſt. de Mulhuſin. territ. &c. Conſtit. Epidem. an. 1700. apud Sydenh. Tom. I. p. 491.

Digitized by Google

ſervaſſe benignas ; niſi annus præteriti ſæculi 1679. *contrarium me edocuiſſet. Licet enim annus citatus* pari, ſi non majori cœli clementia rideret; nihilominus Variolæ *Brunſvigæ & Hafniæ*, eodem tempore æſtivo graſſantes, genii malignioris erant; *ipſiſque Hafnienſibus imprimis adeo infenſæ, ut* plus mille hominibus, atque inter eos plurimis primariis, & ipſis juventutis principibus epicedia pararent: *Autumnalibus vero menſibus anni citati, præſertim menſe octobri, brumali frigore ingruente, prorſus evaneſcerent. Ut hinc* in aprico ſit, neque a temporis & atmoſphœræ ſtatu Epidemicam Conſtitutionem *unice derivandam* ".

§. 287. *Æſtas autem facillima, & pauciſſimi perierunt.*] Non illa quidem æſtas, de qua *Thucydides* §. 66. ſcripſit: „*Æſtate autem ineunte*... Morbus *Athenienſes* primum *aggredi cœpit* ", funeſtis excidiis (§. 157.) infamata; ſed tertii anni ab incœpta Morbi graſſatione (§. 174.), ſub qua Athenienſes magna ex parte *Sacris Ignibus* functi erant; ſolumque per biennium iiſdem intacti corripiebantur; unde ab *Hippocrate* ſcriptum fuit §. 246. „*Plerumque plurimis accidit Sacer Ignis vere: conſequebatur autem & per æſtatem, & ſub autumnum* ", decreſcente quidem iis peculiari pabulo.

§. 288. *Autumno vero, & ſub Plejada rurſus multi moriebantur quartanarii.*] Quartanarii, ex Ardentibus, phreniticiſque Febribus, ſimul & Epidemicis Intermittentibus qui evaſerant.

Δοκέοι δέ μοι προσωφελῆσαι κατὰ λόγον τὸ γενόμενον θέρος. τὰς γὰρ θερινὰς νούσους χειμὼν ἐπιγενόμενος λύει· καὶ τὰς χειμερινὰς θέρος ἐπιγενόμενον μεθίστησι. καί τοι αὐτό γε ἐπὶ ἑωυτοῦ τὸ γενόμενον θέρος, οὐκ εὐσταθὲς ἐγένετο, ἀλλ᾽ ἐξαίφνης θερμὸν, καὶ νότιον, καὶ ἄπνοον· ἀλλ᾽ ὅμως πρὸς τὴν ἄλλην κατάστασιν μεταλλάξαν, ὠφέλησεν. μέγα δὲ μέρος ἡγεῦμαι τῆς τέχνης εἶναι, τὸ δύνασθαι σκοπεῖν καὶ περὶ τῶν γεγραμμένων ὀρθῶς. ὁ γὰρ γνοὺς καὶ χρεόμενος τούτοις, οὐκ ἄν μοι δοκέῃ μέγα σφάλλεσθαι ἐν τῇ τέχνῃ. δεῖ δὲ καταμανθάνειν ἀκριβῶς τὴν κατάστασιν τῶν ὡρέων ἑκάστην, καὶ τὸ νόσημα. ἀγαθὸν, ὅ, τι κοινὸν ἐν τῇ καταστάσει, ἢ ἐν τῇ νούσῳ κακὸν, ὅ, τι κοινὸν

ἐν τῇ καταστάσει, ἢ ἐν τῇ νόσῳ. μακρὸν, ὅ, τι νόσημα καὶ θανάσιμον· μακρὸν, ὅ, τι καὶ περιεκτικόν. ὀξὺ, ὅ, τι θανάσιμον, ὀξὺ, ὅ, τι περιεκτικόν. τάξιν τῶν κρισίμων ἐκ τούτων σκοπεῖσθαι, καὶ προλέγειν ἐκ τούτων εὐπορεῖσθαι εἰδότι. περὶ τούτων ἔστιν εἰδέναι, οὓς καὶ ὅτε, καὶ ὡς δεῖ διαιτᾷν.

Dilucidius eruitur, temporis tempeſtatumque conſtitutionem, Epidemicorum Morborum cauſam efficientem minime producere poſſe, ſed ſolummodo iiſdem favere, vel obeſſe.

§. 289.

Videtur porro mihi æſtas illa, quæ tunc fuit, juxta rationem commoditatem attuliſſe. Nam æſtivos Morbos hyems ſuccedens ſolvit: & hyemales æſtas ſuccedens tranſmutat. Quanquam ipſa in ſeipſa quæ tunc erat æſtas, non ſtabilis erat: ſed derepente calida, & auſtrina, & ſine ventis. Attamen ad aliam tempeſtatem tranſmutata profuit. Magnam vero artis partem eſſe arbitror, etiam de his, quæ ſcripta ſunt, recte poſſe conſiderationem facere, ac judicare. Qui enim hoc novit, & his utitur, non videtur mihi in Arte multum falli poſſe. Oportet autem exacte perdiſcere unamquamque temporum conſtitutionem, & ipſum morbum: Et quid boni communis ſit in conſtitutione, aut in Morbo: & quid mali communis ſit in conſtitutione, aut in Morbo: & quid mali communis ſit in ſtatu, aut morbo; & qui morbus longus ſit, & lethalis; & qui longus, & non perniciosſus ad vitam: & qui acutus, ac lethalis: & qui acutus, & ſupereſſe ſinens. Ex his enim ordinem dierum judicatoriorum conſiderandi, ac prædicendi facultas datur. Et harum rerum gnaros ſcire contingit, quibus, & quando, & quomodo victum præſcribere oportet". Hactenus Hippocrates l. c. p. 728.

§. 290. *Videtur porro mihi æſtas illa &c.*] Ex *Thucydide* §. 157. exſcripſimus hæc: „ *Quum enim non eſſent ædes, ſed in taguriolis æſtuoſis* ob anni tempus *habitarent, ſtrages edebatur, nullo ordine; quin etiam alii ſuper alios morientes, mortui jacebant, & in viis circa fontes omnes, aquæ deſi-*

deſiderio, *ſemimortui volutabantur*. Quam igitur Hiſtoricus deſcripſit conſtitutionem, ſub qua *ſtrages edebatur*, æſtuoſa fuit; Fuit adhuc & æſtuoſa quam enarrat *Hippocrates*: „*derepente calida & auſtrina*, *& ſine ventis*“; attamen fuit *facillima*, *& pauciſſimi perierunt*. Si æſtuoſa temporis conſtitutio, & maxime auſtrina *Epidemicos* excitaret Morbos, nulla adeſſet ratio, ob quam Hippocratis æſtas facillima, minimeque lethalis evaſerit: præſto vero adfuit, & longe ab aeris conſtitutione, lethalitatis, a *Thucydide* adnotatæ, cauſa, nimirum contagium, ut §.158. 159. & 160., ſimul & minimæ mortalitatis, ab Hippocrate recenſitæ, uti §. 287.

§. 291. *Æſtivos Morbos hyems ſuccedens ſolvit*: *& hyemales æſtas ſuccedens tranſmutat*.] *Tranſmutat*, non *ſolvit*. Deficientibus *Sacris Ignibus* ob deficientem ipſorum pabulum, eorumdem conſectarii Morbi non defuerunt; unde §. 259. ſcribitur: *Carbunculi per æſtatem multi*, *& aliæ*, *quæ ſeps vocantur*, *puſtulæ magnæ*“; ſic & *Dyſenteriæ*, *Tabes*, & *Epidemicæ* Intermittentes Febres per æſtatem atque autumnum vulgatæ ſunt: ſic §. 266. legitur: „*At ſub Autumnum omnes decubuerunt*, *& multi mortui ſunt*“; & : „*Æſtas facillima*, *& pauciſſimi perierunt*. Generale igitur Hippocratis effatum: *Æſtivos Morbos hyems ſuccedens ſolvit*, *& hyemales æſtas ſuccedens tranſmutat*, in Morbis *omnibus communibus ex magna temporum mutatione*, ſive brevius, *Conſtitutionalibus*, *Endemicis*, atque *Sporadicis*, teſte experientia multam vim habet: in *Epidemicis* vero per ipſam experientiam haud inconcuſſum eſſe videtur. Equidem *Hippocrates*, quum hæc ſcriberet, nondum trigeſimum ſecundum ſuæ ætatis annum exceſſerat (§. 67.): *Epidemici* Morbi eo tempore per Europam & forſan Aſiam tam inſolentes erant, ut quos ipſe deſcripſit *Hippocrates*, auctore *Thucydide* (§. 76.) vel Medicis Athenienſibus ignoti advenerunt: magnum itaque obſervationum cumulum, quo Medicinæ univerſalia ſternuntur præcepta, hac ſuper re habere non potuit; quin etiam *Epidemicorum* Morborum aliud fortaſſe ei defuit exemplum; unde perquam ſapienter, veluti hærens & dubius ſcripſit: „*Videtur porro mihi æſtas illa*, *quæ tunc fuit*, *juxta ratio-*

tionem commoditatem attuliſſe; haud vero aphoriſtice, uti ei mos fuit, loquutus eſt.

§. 292. *Magnam vero Artis partem eſſe arbitror, etiam de his, quæ ſcripta ſunt, recte poſſe conſiderationem facere, ac judicare. Qui enim hoc novit, & his utitur, non videtur mihi in Arte multum falli poſſe* ". Digna Hippocratis ſententia: Magni ac Sapientiſſimi Artis Medicinæ Conditoris ineluctabile judicium: Summi viri probitas atque ingenuitas ea quidem eſt, legentium animos incendere, ut iis, quæ ab eo ſcripta ſunt, ſuum velint adjicere calculum, eaque lance librare. Nec ſatis id habuit. Ut magis ad id faciendum legentes incitaret, adjecit, non aliam eſſe viam, qua Medici multos in Arte exercenda errores declinare valeant, quam aliorum ratis obſervationibus recto judicio uti.

§. 293. *Oportet autem exacte perdiſcere unamquamque temporum conſtitutionem, & ipſum Morbum: Et quid boni communis ſit in conſtitutione, aut in Morbo, & quid mali communis ſit in conſtitutione, aut in Morbo: & quid mali communis ſit in ſtatu, aut Morbo &c.* "] Hæc & quæ ſequuntur, ut §.289, generalia ſunt Hippocratis præcepta callendæ Artis ſtudioſis tradita. Temporum, tempeſtatumque tam regulares quam perturbatas Conſtitutiones; unde Morbi *omnibus communes*, ac *Sporadici* oriuntur, atque *Endemici* ſæpiſſime graſſantur, ipſe magnus Senes recenſuit *Aphoriſmorum Sectione III.*, & luculentius in *libro de Aeribus*, *Aquis & Locis* a num.xxv. ad xxx., & ab unaquaque ipſarum quinam exoriuntur Morbi prædixit, nullo *Epidemicorum* Morborum interjecto verbulo. Morborum genera & mores, ex perſpectis ipſorum efficientibus cauſis, adipiſcendi ſtudium, ubique ſuorum monumentorum *Hippocratem* tradidiſſe, quæ § 8. 10. 18. 19. 20. 27. 29 & 31. adnotata ſunt, ejus præcepta clare docent. *Et quid boni* (malive) *ſit in conſtitutione, aut in Morbo.*] Ad hoc inſtitutum plurimos condidit Aphoriſmos, ut ille (*a*): „ *Æſtivæ Quartanæ plerumque ſunt breves*: *Autumnales vero*

(*a*) Sect. II. Aphor. XXV. p. 74.

ro longæ, & maxime quæ ad hyemem pertingunt". Et quid mali communis ſit in ſtatu, aut morbo.] Sic probe de Morbis *Endemicis* adnotavit (*a*): „*Et ſiquidem æſtas ſicca fuerit, citius ſedantur Morbi; ſi vero pluvioſa, diuturni fiunt". Et qui Morbus longus ſit & lethalis; & qui longus & non pernicioſus ad vitam: & qui acutus ac lethalis; & qui acutus & ſupereſſe ſinens.*] In hunc textum ſpectant Aphoriſmi (*b*): „*Exacerbationes & conſtitutiones indicabunt Morbi & tempora anni, & circuituum inter ſe collata incrementa, ſive quotidie, ſive alternis diebus; ſive per amplius temporis intervallum fiant. Sed ex apparentibus indicia fiunt, velut in Pleuriticis, ſi ſputum ſtatim appareat incipiente Morbo, ipſum abbreviat: ſi vero poſterius appareat, producit: Et urinæ, & alvi egeſtiones, & ſudores apparentes indicant & ægre & facile judicandos; & breves & longos Morbos*". Alius (*c*): „*Quicunque pleuritici facti in quatuordecim diebus non repurgantur, his ad ſuppurationem tranſitio fit". Ex his enim ordinem dierum judicatoriorum conſiderandi, & prædicendi facultas datur.*] *Ex his*, ex aſſequuta nimirum efficiente Morborum cauſa; temporis favente, vel adverſa conſtitutione; benigno vel maligno Morborum more; eorumque acuto vel diuturno circuitu, ſolerti Medico facultas datur dies criticos apte cognoſcendi, criſimque prædicendi. Hìc *Britannicæ*, *Batavæque* Medicinæ florentes Proceres enixe rogamus, ut, poſtquam a §. 253. ad 277. abſolutas Analogias inter Epidemicas Ardentes phreniticaſque, ſimul & mali moris Intermittentes Febres, *Athenis Hippocratis* diebus graſſatas, & illas ejuſdem generis ſub *Sydenhami*, *Sylvii*, *Huxhamii*, aliorumque ætate, *Britanniæ*, *Lugduni Batavorum*, Europæque ubique locorum ad hæc noſtra tempora vulgatas, juſta lance libraverint, accurate judicent, num ſuorum nonnulli rei medicæ Peritiſſimi merito Criſeω̃s dierumque Criticorum *Hippocratis* do-

(*a*) Lib. de Aerib. Aqu. & Loc. n. III. p. 330.
(*b*) Sect. I. Aphor. XII. p. 70
(*c*) Sect. V. Aphor. VIII. p. 90.

doctrinam parvipenderint, non aliam ob rationem, quam quia *Britannica Batavaque* Atmoſphæra a *Græca* longe diſpar ordinatos Morborum motus, atque criticos ab *Hippocrate* obſervatos excitare non valuerit: quaſi rerum parens Natura ex datis efficientibus iiſdem cauſis conſtantes effectus minime producat; contrarium evincente experientia. De Diebus criticis *Hippocrates* egit *Sect.II. Aphor.XXIV.*; *Popular.I. Sect.II. pag.*668.; *Ibid. Sect.III. p.*672.; *Lib.de Diebus Judicatoriis, & de Judicationibus*, & ubique ſuorum Monumentorum. Tanti habuit Criſium Doctrinam ad Artem bene exercendam. *Et harum rerum gnaros ſcire contingit, quibus, & quando, & quomodo victum præſcribere oportet.*] En axin, circa quem tota quanta eſt vertitur *Hippocratica* Medicina. Optime quidem noverat magnus Senex ægrotantia corpora minime pharmacis opprimenda, vel inedia eſſe deterenda, ſed opportuna victus ratione, quæ ſex res nonnaturales dictas comprehendit, ſublevanda; unde ſcripſit (*a*): „ *Morborum Naturæ Medici. Invenit Natura ipſa ſibi ipſi aggreſſiones, non ex præmeditato: partim velut eſt nictare, partim vero & ea quæ lingua ſubminiſtrat: & quæcumque alia hujuſcemodi, non edocta Natura, & nullo Magiſtro uſa, ea, quibus opus eſt, facit* “. Inde tot præcepta circa ciborum in acutis Morbis exhibitionem, præſertim in *I. Aphoriſmorum Sect.*, & *libr. de vict. Acutor.*: Inde tot locis repetitum lethale Prognoſticon ex Ægrotantium ciborum averſatione, ut §. 207. 252. 266. videre eſt.

Concluſio vigeſimaſecunda.

Dum igitur *Sacrorum Ignium* ab *Hippocrate* deſcripta hiſtoria, temporum doctrina (§. 67. 68. 71. 173. 177. 182. 247. 287. & 290.) atque diligenti Phœnomenum, Symptomatumque comparatione, imo vel verborum ſyntaxi (§. 197. 200. 201. 202. 203. 204. 206. 208. 217. 219. 220. 222. 223. 224. 231. 249. 251.) cum *Morbi* Athenienſis *Thucydi-*

(*a*) Popular. VI. Sect. V. p. 809.

didiana deſcriptione adamuſſim conveniat ; dumque nullum eſt in his hiſtoriis Phœnomenon vel Symptoma, quod Variolarum Phœnomenis atque Symptomatibus exacte non reſpondeat (a §. 74. ad §. 286.) ; rite inferri poſſe videtur, *Sacros* Hippocratis *Ignes*, & Thucydidianum *Morbum* unam eamdemque fuiſſe Peſtim, & quidem *Varioloſam*, tunc primum ab *Æthiopia* (§. 69. ad 82.) hominum *contagio* in Europam invectam.

§. 294. Non deerunt fortaſſe, qui dicent, nos, conquiſitis undique membris, tale conflaſſe corpus, cujus integræ partes nullo nexu, nulla coordinatione inter ſeſe aptari, jungique poſſint. Ut igitur & hi vel inviti veritatem agnoſcere faterique cogantur, tres, præcipuis numeris abſolutas, Variolarum hiſtorias, cum Athenienſium hactenus evoluta Varioloſa Peſte, ſignatis, brevitatis gratia, ſolummodo paragraphis, examuſſim conſentientes, hic attexere æquum putamus ; utque Veritatis Studioſis vel uno intuitu extricata hucuſque Analogia magis perſpicua firmiorque evadet.

Præcipuis numeris abſoluta, atque ineluctabilis Athenienſium Peſtis cum Variolis comparatio.

Analogia quadrageſimaprima.

Hiſtoria X. ex Hoffmanno (a).

Variolæ Halæ Magdeburgi Epidemicæ anni 1698.

§. 295. „Irruebat (*ſic fatur Magnus Hoffmannus*) hoc anno (1698.) menſe Septembri *maxima cum vehementia* (§. 66.) Variolarum Morbus & *infantes*, *pueros*, *adultos*, *utriuſque ſexus*, *gravidas item*, *puerperas*, *atque nutrices*, *inquilinos ac hoſpites* adoriebatur (§. 89. 139. 183.), ut non facile immunis maneret unus, *qui non prius Morbo hoc de-*

(a) Tom. IV. M. R. S. Part. I. Sect. I. Cap. VII. p. 85. ſeqq.

defunctus (§. 139.); & Varioloſorum numerus fere ad bis milleſimum in noſtra hac urbe aſcenderet (§. 139. 183.). Nonnullis ſine, plurimis *ex contagio* accidit (*ibid.*). Ex illis fuerunt potiſſimum improbo victui, intemperantiæ, & compotationibus dediti, iracundia commoti, terrore & *aſpectu ægrotantium maxime aut mortuorum perculſi*, timentes & horrentes morbum, necnon qui, *circumeuntibus jam Variolis*, *præſertim in domo*, *quæ ipſas tenebat*, purgantibus illarum incurſum arcere ſuſceperunt (§. 139.). *Contagium vero penetrans maxime & efficax fuit*, *quod ex ſanie jam ſuppurantium Puſtularum venit*; idque non tantum in *eadem domo* commorantes infecit (*ibid.*), ſed in *alias ædes*, quin in *remotiora etiam loca* tranſlatum (§. 172.) pernicialem ſuam vim in diſpoſitis corporibus exſeruit (*ibid.*): infeſtum potiſſimum perſonis conſtitutionis ſanguineæ, phlegmaticæ, pituitoſæ, ſpongioſi & mollioris corporis habitus. Sic autem inceſſit, & ſic decurrit *Epidemica* hæc Variolarum lues (§.183.). Antequam in conſpectu prodiret *Exanthema*, omnes fere conqueſti ſunt de *dolore dorſi*, *capitis*, *laſſitudine corporis*, *calore* (§. 89.), intercurrente horripilatione, cum *pulſu frequenti*, *appetitus proſtratione* (§.183.), & *ſomno inquieto* (*ibid.*). In nonnullis infantibus, raro in adultis, incœpit enormibus *vomitionibus* (§. 89.), quæ per aliquot interdum perſtiterunt dies. Qui non vomuerunt, continuum tamen perſenſerunt *conatum vomendi*, *nauſeam*, & *anxietates præcordiorum* modo graviores, modo mitiores (*ibid.*). In adultis quibuſdam & infantibus *alvus fluxa* (*ibid.* & §. 183.), eruptionis tempore iterum conſiſtens: in aliis primum adſtricta, & tertio vel quarto die demum aliquoties *ſine damno fluens* (§.183.). Frequens etiam multis *mingendi ſtimulus* (*ibid.*); paucioribus urina ſine damno tamen per aliquot dies ſuppreſſa. Tenelli, & lactantes inter continuos ejulatus, pavoribus in ſomno, alvi adſtrictione vel *profluvio* (§. 89.), *corporis calore* (*ibid.*), & circa finem tertii diei levioribus quandoque *epilepticis inſultibus* fuerunt affecti (*ibid.*). Seroſis ſolemnis fuit *ſomnolentia* (§.183.); *pruritus corporis ardens* & pruriginoſus, *palpebrarum dolor*, *illa-*

illacrymatio, & *ſternutatio* [§. 89.] Multis *compunctorius in dorſo & pectore ſenſus* [*ibid.*] . Pueris circa tertium diem nares ſæpe ſanguinem ſtillarunt. Ex his etiam primis diebus magnam aſcaridum copiam excreverunt, nonnulli ſine, nonnulli cum periculo. Adulti mirum fuerunt *impatientes* [*ibid.*]; *ſubinde aliena multi loquuti delirarunt plane* [§.183.]; quod tamen ſufficienti narium ſtillicidio mitigatum, inſufficienti vero adauctum. *Hæc pathemata præceſſerunt ut plurimum benignas*. Ubi vero *pejoris indolis* ſuberant, alia adhuc fuerunt præſto. In infantibus clamores intenſiſſimi; *nulla requies* [§. 89.]; *tremores*; extremarum mox frigus, mox *intenſus calor* [*ibid.*], cum inſueto languore in peſſimis fuerunt. In adultis *dolor artuum immanis* [*ibid.*]; necnon *lumborum*, nephriticum & iſchiaticum mentiens; gravis *præcordiorum angor* [*ibid.*]; *delirium cum diarrhœa* [*ibid.*]; *punctorius exquiſitus in pectore, vel hypochondrio ſenſus* [*ibid.*]; tremores, horrores, *membrorum incurvatio & contractura* [*ibid.*]: *Virium* autem a primo ſtatim inſultu notabilis *proſtratio* [§.139.]; *vertigo*; *vigilia aſſidua* [§.89.]; ſub erecto ſitu lipothymiæ; pulſus debilis & frequens; effuſus ſudor; *copioſa urina* [§.183.]; ſalivatio & inſolita muci e naribus ejectio, malignam plane prodiderunt indolem; licet interdum *nec calor notabilis* [§. 89.] ; nec anxietas, *nec ſitis adeſſent* [§. 183.] . Intra tertium & quartum diem in benignis contigit eruptio. Nox antecedens plerumque gravis extitit, & inquieta anxietatibus, tremoribus, phantaſiis, hæmorragiis, quin etiam nonnunquam *Epilepticis commotionibus* [§.89.]: quidam etiam *bis vel ter dejecerunt* [*ibid.* & §. 183.]. Tunc comparuerunt primum *maculæ rubræ* [§.89.], magnitudine differentes, quandoque *exiles*, *& ſucceſſive increſcentes* [§. 183.]; quandoque *latæ* in *diſtinctas poſtea puſtulas coeuntes* [§. 89. 183.]. Factum id primum in *ſuperioribus* [*ibid.*]; poſtea *manibus*, *pedibuſque* copioſiſſime [*ibid.*]; tum *cruribus*, *pectore*, ac *dorſo* parcius, & in *abdomine* [*ibid.*] parciſſime. Cum iis in facie effloruerunt ſimul in *faucium* & *laryngis internis labiis*, *& lingua* [*ibid.*]: tumque obortus *dolor*, *ardor*, *pruritus* & *tenſio* harum partium [§.89.].

 In

In ipſis quidem oculorum tunicis vidimus nullas, ſed in *ſuperciliis* & *palpebrarum interna æque ac externa facie collectim* confidentes; unde *acerbus oculorum dolor*, *pruritus* & *ardor*: & ſexto die accedente *faciei intumeſcentia* eorum occluſio ad ſuppurationem uſque durans [§. 89. 183.]. Interim prompte ſatis ſucceſſit eruptio; & ubi pauciores quinto, ubi copioſiores ſexto die penitus fuit abſoluta, ſymptomata vehementiam poſuerunt, pulſus autem concitatiſſimus, nunc *tranquillus*, *æqualis*, & *fere naturalis* [§. 183.]; ſomnus placidus, mens ſibi conſtans, & pectus ab angore liberum redditum. Malum autem fuit quando protinus vel in principio tertii diei Variolarum apparuerunt *in facie veſtigia* [*ibid.*]; vel his interjectæ Puſtulæ varos referentes; vel etiam *Exbantema miliare* rubrum, aut album: & viciſſim quando ſeptimo demum vel octavo die novæ eruperunt, ob materiæ copiam & naturæ imbecillitatem, variolæ. Malæ etiam fuerunt, quæ non rubicundæ, ſed *lividæ*, *pallidæ*, aut *fuſcæ*, *ſeſſiles* item, *duræ* & *aridæ* [*ibid.*], cum fovea in medio. Peſſimæ, quæ, facta eruptione, *ſymptomatum non attulerunt levamen* [*ibid.*]. Seri præterea copioſa effuſio ſive per ſudorem, ſive *per urinam* [*ibid.*], in adultis *per alvum* [§. 89. 183.], ſive ſalivationem cum morbo incipiens, & ſub eruptionis æque ac ſuppurationis tempore durans, ut plurimum obſervata *funeſta* [*ibid.*]. *Mictum tamen cruentum, frequens alias malignarum ſymptoma, non adnotavimus*. Sanguinem autem ex ſiniſtro oculo, mirum ſtatim tumeſcente, in puero quinto die mortuo manaſſe novimus. Quibus prævia horripilatione, ſub erecto corporis ſitu, vel ob animi commotionem, *diſparuerunt Variolæ*, ingens accidit anxietas, corporiſque debilitas, & *baud leve vitæ periculum* [§. 183.]. Qui mortui, *quinto*, *ſexto* vel *ſeptimo die obierunt*, *vel delirio* cum convulſione, *vel ſopore* cum convulſione, aut tetano, poſtquam prævio notabili horrore *evanuiſſent cuncta ferme Exanthemata* [§. 89. 183.]... Nonnunquam in adultis complicata frequens ſalivæ ejectio; in infantibus *diarrhœa*, ut quotidie ter, quater dejicerent, interdum purulenta plane, *ſine damno tamen* [§. 183.]. In vigore

gore ſuppurationis, in iis maxime, quibus alvus per aliquot dies clauſa, prodierunt *aphthæ cum ardore & dolore inflammatorio*, & viſcoſorum humorum in os confluxu [*ibid.*] externis utplurimum tempeſtive diſcuſſæ. Contra, ea mali ominis fuit, quando *Puſtulæ non elevatæ*, nec ſanie repletæ, ſed depreſſæ manſerunt, vacuæ, inſtar corticis piſi; item ſi lividæ, cinereæ, & virideſcentes, aut in medio foveola nigricante conſpicuæ [*ibid.*]: Quod poſtremum quidem non ſemper lethale indicium fuiſſe notavimus, aliis benignis ſymptomatibus concurrentibus: minimum tamen alieni coloris *Papulæ profundius ſubjectam cutem eroſerunt* [§. 89. 183.]. Periculoſum dein animadvertimus ſi in facie vel manibus tumor exiguus, aut plane nullus, *aut plane ſubito iterum diſparens* [§. 183.]; quando ſaliva non bene fluxit, ſed viſcoſa fuit, & circa decimum vel undecimum diem pectus cum ſuffocationis metu oppreſſit. Neque minus in ancipiti verſati, quibus ſaliva a primo morbi inſultu eo uſque copioſe effluxit; quibus, licet rarius id factum, *Diarrhœa accidit*, cruentus vomitus, *aut Alvi ſeceſſus* [§. 89. 183.]. Maximum periculum imminuit a *graviori inflammatione*, acerbiori dolore ſicco, tenſione, pulſu cito, *intenſa inquiete* & *anxietate* ſtipata [*ibid.*]: tanto certius quando frigore, & horrore interpolate, ægri *de interno ardore*, & *ſiti* [§. 89.], & externo frigore conqueſti, inflammatio hæc ut plurimum mortis fuit cauſa [*ibid.*]. Febrem enim accendit maxime *æſtuoſam*, *delirium fecit*, *vigiliam perpetuam*, *inquietudinem maximam*, & *corporis in lecto jactationem* [§. 89. 183.], quæ demum excepit horror notabilis puſtulas albas reddens, ac demum *convulſio lethifera* [§. 89.]. Factum id maxime in adultis *die nono* [*ibid.*], undecimo, aut decimoquarto. Infantes autem plerumque perierunt ſuffocatione, procul dubio quod *fauces interius copioſis puſtulis obſeſſæ*, & varioloſi humoris acrimonia ipſos nervos pneumaticos tunicaſque nerveas in ſpaſmodicam exitialem adduxit contractionem [§. 89. 183.]. Ex *ſingularibus obſervatis* fuit, quod ſanguis ex papulis ſuppuratis ſtillare viſus in binis infantibus, uno trium, altero octo annorum; illo evadente, hoc decimo ſexto die

mortuo, poſtquam die quinto *cutis utriuſque manus*, & die nono *crurum*, *colorem ex atro brunum contraxiſſet*, in luculentum ſanguinis ſubſiſtentis in *ſphacelum* proni indicium [*ibid.*]. Duo etiam alii ſervati, qui non debita perfuncti ſuppuratione, ſed *ingentem copiam furunculorum ardentium loco hujus in univerſo corpore nacti* [*ibid.*, & 229.], *ſimul paſſim efflo-reſcentibus maculis latis*, *rubicundis*, *ardentibus* [§. 183. 252.]. Qui *ſuppurationem* ſuperarunt, in iis, ſi clementes Puſtulæ nono; ſi copioſiores, undecimo; ſi copioſiſſimæ, decimoquarto die detumuerunt iterum partes, ardor imminutus, pulſus ſedatior, ſomnus quietus, Puſtulæ ſanie turgidæ factæ *maturuerunt* [§. 183.]; & vel ſponte dehiſcentes, vel perforatæ pus fuderunt coctum [*ibid.*]. Quod quo citius confectum, eo minus *ſubjecta cutis exeſa eſt*, & *foveis deformata* [§. 89. 183.]; Quo tardius, compactis in unum cruſtis, extus aridis, ſubtus *ſaniem putridam* [§. 183.] habentibus, eo magis *nævi*, & *cicatrices deformantes* ſuperfuerunt [§. 89. 183.]. Contigit id maxime in iis, quæ tempore ſuppurationis & exſiccationis cinereæ, & virideſcentes apparuerunt; nec non ex ægrotis, qui ſcalptu intempeſtivo minus maturas lacerarunt, earumque debitam exſiccationem impediverunt. Abſoluta exſiccatione orti in quibuſdam *furunculi* [§. 252.] & *Abſceſſus minuti*, omnem corporis ambitum cum *dolore*, ardore, & febrili calore obſidentes [*ibid.*]. Aliis accidit temporaria manuum, pedumque imbecillitas, vel contractura [§. 89. 183.], balneis, & linimentis ſpirituoſis prompte in plurimis quidem abacta; in nonnullis tamen cacochymicis, & maturam opem negligentibus tranſiens *in ulcera circa articulorum epiphyſes* (*ibid.* & 252.) *egerrime ſanabilia*; quæ incongruis remediis in *peſſimas* & *tabificas* fiſtulas degenerarunt [§. 183. 252.]. In ſeroſis & catarrhoſis ſucceſſerunt *tumores glandularum*, in primis colli, inſignes, duri, & renitentes [§. 183. 259.] ... Infantibus præſertim & adoleſcentibus *poſt Variolas frequens fuit malum Epiphora*, *ſive continuum lacrymarum ſtillicidium cum dolore*, *rubore & luminis intolerantia* [§. 183. 252.]: Cui niſi cito occurſum, *turbidi redditi oculi & tenues* in cornea enatæ tunicæ, *viſum*

ſum

Digitized by Google

ſum quodammodo imminuentes [§. 89. 252.] ... Jam in debellanda *Epidemica* hac lue ita ſum verſatus: incurſum quidem ipſius arcere, qui nondum experti, *per remedia fuit irritum* [§. 139.]; *optimum fuga tantum* contagii [*ibid.* & 170.] ... Neque univerſalis fuit illa Variolarum copiam arcendi Methodus, quam poſt *Sydenhamum Valdſchmidius*, aliique celebres in *Haſſia Medici* dilaudarunt, per crebriorem ſpirituum mineralium acidorum, bene præparatorum, *ante infectionem*, vel etiam primis Morbi diebus, uſum, ſub temperato tantum regimine. *Non enim potuit hoc remedium, vel quidpiam aliud, omni etiam diligentia adhibitum, extinguere malignitatem* in nonnullorum ſanguine, nec variolas numeroſas declinare" [§. 139.] &c. *Hactenus Hoffmannus, cujus dolemus haud quidem opportunam noſologicam diligentiam, qua Epidemicas Ardentes, ac mali moris Intermittentes Febres, relatam Variolarum graſſationem comitatas atque conſequutas, in alia tranſtulit capita* (a); *unde nobis, perfectam hujus Varioloſæ Peſtis cum Thucydidis Morbo, atque Hippocratis Sacris Ignibus analogiam conficiendi, facultatem præripuit.*

Analogia quadrageſimaſecunda.

Hiſtoria XI. ex Loew (b).

Conſtitutio Epidemica Sempronienſis anni 1699.

§. 296. „ Japones, *inquit Cel. Loew*, & Sinæ liberis dotati, ubi interrogantur quot ſoboles alant, regerunt totidem, *quot Variolis jam laborarunt* [§. 139.]: reliquorum enim vitam in ancipiti locant, ideoque inter permanentes proles non numerant (*ibid.*). Idem reſponſum fere a nobis hoc anno nonageſimonono tuliſſent curioſi, ſi ex uno alterove

(a) Tom. IV. M. R. S. Part. I. Sect. I. Cap. IV. §. I. & II. p. 54, & ibid. cap....

(b) Conſtitut. Epidem. Sempron. ann. 1699. apud Sydenham. Tom. IX. p. 468. ſeq.

rove quæſiviſſent , quot filios aut filias habeat? tot nempe quot jam Variolarum virulentiam ſuperarunt. Etſi enim apud nos Variolæ non adeo aliquando obſerventur funeſtæ , hac tamen *hyeme* (§.183.) *auſtrali tepidiori* ac humidiori plus minus exiſtente (§. 178.) , illæ *Peſtis inſtar* in infantes & adultiores *furere* cœperunt, eoſque pro diverſitate tempeſtatum, magiſve vel minus maligni ætheris , nec non humorum in corpore exiſtentium *varie* affecerunt (§. 183.). Incœperunt modo cum horrore , quem excepit *calor* intenſus (§.89.); pulſus fortis; *oculi turbidi*; *ſitis intenſa*; aliquando *jactatio inquieta*; *ſternutatio frequens* (*ibid.*). Nonnunquam jam primo, aut ſecundo ebullitionis die, apparuit una vel altera *Puſtula in facie, ac dorſo* (*ibid. &* 183.); utplurimum vero ſub finem tertii aut quarti diei eruperunt Variolæ, primum *rubræ*, *exiles* (*ibid.*), rotundæ, figura nempe, colore, & magnitudine regulari, *cum Febris*, Symptomatumque, etiamſi hactenus fuerint *graviſſima* (§.183.) atque *nervoſo generi* periculoſiſſima (§.89.), *remiſſione*, aut notabili diminutione (§. 183.). Hæ turgidæ *maturuerunt* brevi [*ibid.*], juſtoque tempore exaruerunt jam incruſtatæ. In quibuſdam ſubjectis Puſtulæ fuerunt admodum raræ; ſolito tamen majores, hinc inde ſparſæ, *valde diſcretæ*, ita quidem, ut iiſdem affecti in lecto vix contineri potuerint, quin deambulare voluerint, ſi ipſis conceſſum fuiſſet: quæ Variolæ mitiſſimæ ac benigniſſimæ fuerunt (§.183). *Diarrhæa*, hæmorrhagia narium diebus ebullitionis ſuborta, *omnibus ſaluti fuit* (*ibid.*). Notavimus e contra ſpiritus a *miaſmate* hoc varioloſo diebus jam ebullitionis obrutos, ac fere oppreſſos, ut amplius ſeſe ſufficienter expandere nequiverint, *multo minus inquinamenta varioloſa excutere* potuerint (*ibid.*). Remanſit ergo *miaſma* virulentum in maſſa ſanguinea, quam ad coagulum diſpoſuit. Tingebatur quidem *cuticula rubedine quaſi eryſipelacea* (§.89. 183.), ac *tumore afficiebatur*, *nulla tamen, aut fere perpauca apparuere variolarum veſtigia* (§. 183.): potius loco harum tertia jam die maculæ in facie, dorſo, natibus, pedibus effloruerunt purpureæ, quæ exacte morſus pulicum aliquo modo obſoletos repræſentarunt, copioſæ: aut die-

diebus ebullitionis, quarta nempe, antequam ulla adhuc comparuit Puſtula, aut ante plenam & ſufficientem Variolarum eruptionem, quæ ſemper manſerunt *parvæ*, *ſeſſiles*, *depreſſæ*, *confluentes*, *duræ*, *ſeptima die lethales* (§.89.183.); obſervabatur in his *pulſus debilis*; catarrhus ſuffocativus ob nervos affectos; *inſultus epileptici*; *ſubſultus tendinum*; *deliria* (*ibid.*); maculæ purpureæ latiſſimæ *ad nigredinem* ſpatio aliquot horarum tendentes, ante aut poſt mortem largiſſimum ſanguinis *per alvum profluvium* (*ibid.*)... Reliqui omnes his petechiis purpureis laborantes, etiamſi ex methodo medendi ordinaria & optima . . . tractati fuerint, mortui ſunt. Sine dubio a veneno *varioloſo peſtifero ſanguinis compages nimis fuit ſoluta* (§.183.); & jam in *fluorem converſa*, in primis ſerum acre virulentum redditum atque diſpoſitum, non ſolum viſceribus, ſed & *partibus externis* mediante efflorefcentia *necroſim induxit funeſtam* (§.89.183.). Neque gravidæ, licet alias naturæ conſilio a Morbis *epidemicis* immuniores ſunt, quam alii, ab hoc Variolarum *contagio* fuere immunes (§.139.) imo decubuerunt peſſime. Hæ ſemper ſexta aut ſeptima die abortum paſſæ ſunt cum magna uteri hæmorrhagia. Variolæ *malignæ* ut plurimum incœperunt *cum lumborum* & *abdominis doloribus* [§.89.], qui ſi cum erupturientibus jam puſtularum notis remiſerunt, boni; ſin minus, mali fuerunt ominis. Ut plurimum enim in his Variolæ *aut non ſufficienter eruperunt* (§.183.); aut ſi prodierunt, *confluxerunt*, & *tempore maturationis depreſſæ manſerunt*; *ſæpe refugerunt* (*ibid.*); *& in fauces*, *gulamque copioſæ incubuerunt*, catarrhumque lethalem, *imprimis circa Morbi ſtatum* induxerunt (§.89.183.). In permultis ſalivationem in eruptione, & poſt eruptionem obſervavimus copioſam, qualis a mercurio aſſumpto oriri ſolet. *Diarrhœa diebus maturationis oborta* peſſima fuit (§.89.). Natura enim jam debilitata, & in negotio maturationis impedita, deducendo alіorſum materiam varioloſam ſuccumbere debuit, *Variolis nempe non bene maturatis*, *quin potius collapſis* (§.183.), aut catarrhus, aut *convulſiones* ſupervenerunt funeſtæ (§.89.). *Reſpiratio anxia*, interrupta, vel ſublimis, *imprimis in Morbi ſtatu*, *ſemper fuit convulſiva* (*ibid.*), & indubi-

Digitized by Google

dubitatum ſignum malignitatis, quæ *nullis medicamentis expelli potuit* (§.139.); quin potius humores in ſuo motu impedivit, atque ſic lethalitatem intulit ... Menſe Aprili, & Majo notabantur Morbilli ... Fuerunt *Exanthemata* hæc morbillorum *mali moris* ... Menſe Aprili, Majo, Junio frequentes fuerunt *Febres petechiales Malignæ*, quæ invaſerunt cum *horrore levi* (§.252.), nec manifeſta ſanguinis æſtuatione; ſed *calore mitiori* [*ibid.*]. Acceſſit *anxietas præcordiorum* (*ibid.*); ſitis immanis; *capitis dolor*; *vigiliæ*, ſcabrities; *deliria* (*ibid.*), aliaque ſymptomata. Quicunque *a purgantibus*, credentes vitium hærere in ventriculo, curam incœperunt, *ad unum omnes deceſſerunt*, & in illis *maculæ obſervatæ ſunt longe majores ac* latiores (*ibid.*)... Circa ſolſtitium menſe junio Morbus hic fuit peſſimus, multiſque exitiales (*ibid.*)" &c. *Hactenus Loew. Hic probe adnotandum, Ardentes Febres exſcriptam Variolarum excurſionem ſequutas, Petechiis quæ in allatis Ardentibus Sacrorum Ignium Conſectariis* (§.252.), *nullæ, ſed earum loco plurima adfuerunt alia Exanthemata* (*ibid.*), *ſtipatas fuiſſe; aſt in II. hujus Operis Parte habebimus ex ipſo Hippocrate haſcemet Ardentes Epidemicas Febres Petechiis non deſtitutas.*

Analogia quadrageſimatertia.

Hiſtoria XII. ex Gahrliep (a).

Conſtitutio Epidemica Uratiſlavienſis anni 1700.

§. 297. „ In Januario (*ſic loquitur Cl. Gahrliep*)... præter Morbos ſuperiori anno (1699.) enumeratos (*quos inter Variolæ & Morbilli Epidemici præſto fuere*) Variolæ *graſſabantur* (§.183.), & quidem multo frequentius diſtinctæ quam confluentes. Primis ab invaſione diebus, ſeu tempore ebullitionis, nunquam non *Febris acuta* aderat (§.89.183.), cujus

(a) Conſtit. Epidemic. Uratislav. anni 1700. apud Sydenh. Tom. I. pag. 205. ſeq.

cujus exacerbationes ſatis incertæ, niſi quod tertio die recurrentes aliquibus Tertianæ Febris ſuſpicionem moverent. Præcedebat fere *laſſitudo* & *gravitas corporis*, pandiculationes, & oſcitationes, *dorſi lumborumque dolores* (§. 89.); pulſus ad ſpinam dorſi, & ſenſus pruritus ac punctionis in cute: ſed horror & rigor, præſertim recurrentes, rarius vulgo. *Frequentes vomitus* a primo Morbi inſultu fatigabant, iique interdum *immanes*; aut, ſi hi abeſſent, *præcordiales anxietates graviſſimæ, cum inani vomendi conatu conjunctæ*, ægris negotium faceſſebant [*ibid.*] *Alvi fluxus* rariores obſervati [*ibid.* & 183.]. In pluribus alvus ſine damno ad aliquot dies adſtricta: in pauciſſimis etiam urina ſuppreſſa. Vix viſi qui ſæpe ſe ad reddendam urinam urgeri conquererentur. *Urina varia erat*; quorumdam *flammea* & intenſe *rubra*; nonnullorum *turbida*, *opaca*, qualis jumentorum eſſe ſolet, quæ poſt eruptionem Variolarum interdum clarior reddebatur; interdum vero per aliquot dies a protruſione *adhuc turbida* excernebatur; aliorum autem *pallida*; in uno alterove cruenta (§. 183.). Nares frequenter ſanguinem ſtillabant. Propenſio in ſudorem ingens. Nonnulli præcipue qui erant temperamenti phlegmatici, *dormituriebant* (*ibid.*): Alii de turbulentis conquerebantur inſomniis, ac ſæpe expaveſcebant ac altos ſubinde in illis tollebant clamores. *Capitis dolores* jam gravativi, jam punctorii cum temporum pulſationibus moleſti (.89.). *Facies tumebat*, *atque maxillæ rubebant*; *Oculi prurientes*, *rubentes*, ac *ſplendentes*; quinimo *aqua ſuffuſi* (*ibid.*). Palpebræ ac Nares dolore pruriginoſo vexabantur. *Anhelitus difficultas*; *vox rauca*; *tuſſis ſicca*;; *cordis palpitationes*; & tandem etiam deliquia non raro obſervabantur (*ibid.*, & 183.). In aliquibus habitu corporis denſiori præditis etiam ſaliva in majori quantitate rejiciebatur. Pars magna ægrorum corpus varie *jactabat* (§. 89). In *genere muſculoſo ſubinde motitationes*, minime etiam raro teneriores invaſerunt *motus convulſivi*, iique vel *particulares* in labiis, oculis, vel magis *univerſales* (*ibid.*). In multis *deliria* (§ 183.). Ordinario die quarto prorumpebant, in quibuſdam tardius, vel citius, *ſubrubræ Puſtulæ*, tenuiſſimarum acicularum pun-

ƈta æquantes (§.89. 183.); ſenſim dein ſubeunte humore agebantur in altum, & evadebant *faſtigiatæ* ac *diſtinctæ*, quæ multo erant tutiores ſi in baſi eſſent *rubræ*, ſupra autem *albæ*; *eminentes* & *molles*; quam illæ, quæ in *latum exporrigebantur* [*ibid.*]. *Mali ominis* erant, quamquam non adeo frequentes, *lividæ*, *violaceæ*: *certi* vero *lethi* prænunciæ, quæ *macula nigra* in medio deformabantur [§.183]. In quibuſdam cacochymicis corporibus notatæ fuerunt in interſtitiis Variolarum Petechiæ, *aliæque maculæ*; nonnunquam etiam *veſiculæ aqueæ*, cum funeſti ut plurimum eventus præſagio (§. 183.252.). Nonnulli, etiam poſt eruptionem, nihilominus *Febri*, *ſpirandi difficultate*, *anxietate*; *cruciatibus inſignibus* circa *lumbos* vexabantur (§.89.183.). Atque hi non erant extra periculum conſtituti. Evaſere nihilominus plerique, modo abeſſent *inexpugnabiles vigiliæ*: *phrenitis*, crebra deliquia, palpitationes cordis, *motus convulſivi*, *urina nigra*, vel hæmorrhagiæ enormes, *alvi profluvium* (*ibid.*). In aliquibus, admiſſo frigore, alioque incommodo regimimine, *retrocedebant non ſine ſummo diſcrimine vitæ* (§.183.). Circa octavum diem in facie intervalla Puſtularum, prius alba, *incipiebant* in *tumorem attolli*, & dolore tenſivo affici; *extendebantur palpebræ*, & ut *veſica inflata* haud raro *oculos claudebant*: proxime dein *intumeſcebant manus*, digitique diſtendebantur (§. 89. 183.). Calamitoſum ſi *Puſtulæ ſubito iterum conciderent* [§.183.]. Tandem *pus* fundebant *coctum*, quod ſenſim exſiccabatur; Variolæque circa diem decimum quartum decidebant (*ibid.*). Variolis exſiccatis *majores tumores*, *&* *abſceſſus ſubinde in artubus obſervati*, *pus acerrimum plorantes*, & niſi in tempore occurreretur, *venas exedentes*, *carnes conſumentes*, *ac ipſa oſſa vitiantes*, *membriſque omne robur adimentes* (§.89.183. 252.). Variæ morborum ſpaſmodicorum ſpecies eodem tempore, ac convulſionum non unum genus viſum ... Erat etiam hiſce diebus *odontalgia* non paucis moleſta (§.183.)... Sub initium hujus trimeſtris (*vernalis*) *Febres petechiales* quadantenus remittebant; ac in *Quotidianas*, *Tertianas*, aliquando etiam, ut ut paulo rarius, *Quartanas* degenerabant [§.252. 266.]. Paſſim vero tum

Digitized by Google

tum temporis *Eryſipelate* infeſtabantur præ primis ſanguinei, & ſanguineo-cholerici, rarius ſanguineo-phlegmatici (§.266.)... Purpura alba ſolito frequentius hiſce diebus infantes, pueros ac fœminas, & in primis puerperas cholerico-ſanguineas &c. corripiebat... Qui iſto tempore in ætate puerili fuerant immunes ab *Exanthematibus*, ſub finem veris *Achoribus*, *tinea* infeſtabantur (§.183.)... Hoc tempore (*æſtivo*) *graſſabantur Febres continuæ Intermittentes*, cum dolore hypochondrii dextri [§.266.]; pleuritides ſpuriæ; in infantibus corporibus excretio miliaris, notabantur. Multos cholera, *diarrhœa*, ac *dyſenteriæ* fatigabant [§.252.]. Multi catarrhis obnoxii degebant & *pertinaciſſimis tuſſibus* concutiebantur (§. 266.). Vidimus etiam in æſtate *motus quoſdam Febriles*, *qui nullum typum obſervabant*, *neque ſtatis exacerbabantur periodis* (*ibid.*). Mirabilis in iſtis *viciſſitudo eſt*, *eaque ſatis crebra*: *Qui hac hora ex anguſtia cordis gemit & trepidat*, *de fatigatione ſumma conqueritur*, *poſt unius alteriuſve horæ ſpatium erecti animi eſt & frontis exporrectæ* (*ibid.*). *Non carent hæ inordinatæ Febres ſuis ſymptomatibus*; *nam & anxietates graviſſimæ præcordia premunt*, *languor totius corporis*, *& oſſifraga omnium membrorum laſſitudo invadit*; ac interdum alii *graves impetus ac tumultus* corpus affligunt [*ibid.*]: Partes autem maculis obſideri ſolitas dolor tenſivus, gravativus, imo & *rigor* occupat [*ibid.*]: Adeſt vertigo; non raro æſtuantem calorem ſequuntur *horripilationes* (*ibid.*), pulſus fere magnus eſt; interdum aliquo modo inæqualis & parvus. *Urina* fere *craſſa* eſt, & ſtatim, poſtquam reddita eſt, *conturbatur*, ac deponit corpora rotunda inſtar arenularum, & ſuperior ſubſtantia nihilominus *craſſa* manet, & quaſi pinguedo quædam vitri parietibus adhæret: vix poſt ſumpta cathartica, ut alias fieri ſolet, clareſcit, ſed *turbida* manet (*ibid.*)... Viciſſim eodem tempore excruciabantur aliqui dolore artuum *ſtatis horis*, *ſingulis diebus*, *per aliquot ſeptimanas redeuntibus*, ſine ullo Febris ſigno. In *Cortice Peruviano* inventum eſt remedium. Viri quidam & Mulieres fervido cælo de tormentis pruritus interdum ad lipothymiam uſque, interdum certis tantum in partibus, *præſertim ano & pudendis*,

 fue-

Digitized by Google

fuerunt conqueſti [§. 252.]. Quædam gravidæ cum *aliquibus exanthematibus tortorem hunc* per multas ſeptimanas ſuſtinuerunt. Qui non tam ab humoribus acribus, *quam a vermium morſu excitatus fuiſſe videtur, præſertim quod remedia anthelmintica præ cæteris conduxerint, ut topica amara in vino decocta*. Cælo ſereno & calenti *frequentiſſimæ erant ſternutationes, & jungebantur hæ etiam Morbis tum graſſantibus* [§. 89.] ... Multi ſub hac Aeris conſtitutione [*autumnali*] *Tuſſi infeſtabantur* [§. 266.]: .. Alii *lienteria* corripiebantur (§. 252.); & ægregie ſtomachicis ſublevabantur, præ primis ex mentha & abſynthio paratis; niſi, quod aliquando eveniebat, cum Ictero, *hydrope*, *Febribus tertianis lentis eadem* complicaretur [§. 266.]. Quidam *cœliaco* laborarunt *Fluxu* [§. 252.]; atque iiſdem remediis ſanabantur". *Hactenus Gabrliep; & quidem anno poſt Loew ſecundo, poſt Hoffmannum vero tertio, ut ſimul pateſcat, Variolarum Peſtim nullo interjecto vel temporis momento ab una in alteram, quinimo plurimas Europæ Regiones perpetua circuitione tranſiluiſſe, ac eſſe graſſatam.*

Concluſio vigeſimatertia.

Quum itaque [§. 295. 296. 297.] integra *Morbi* Athenienſis a *Thucidide*, & *Sacrorum Ignium* ab *Hippocrate* deſcripta hiſtoria, phœnomenis, ſymptomatibus atque Morbis conſectariis, apprime reſpondeat integris Variolarum hiſtoriis, ab *Hoffmanno*, *Loew*, ac *Gabrliep* memoraris; clare liquet, Athenienſium *Morbum* & *Sacros* Hippocratis *Ignes* non aliam fuiſſe, quam Peſtim varioloſam.

§. 298. Ne vero huic noſtro inſtituto analogiſmo aliquid vel minimum deſit, quominus integrum abſolutumque evadat, hæc duo, quæ ſuperſunt, inquiramus oportet; & quidem primum, an Variolæ ſub Peſtis *bubonicæ* ſpeciem vetuſtis illis temporibus ſeſe obvelare potuerint? Alterum, undenam ut tot ſæculorum teſtimoniis famoſa Athenienſium lues, nunc *bubonicæ* Peſtis nomen amittere debeat? Binis hiſce quæſitis ut ſatisfaciamus, nil aptius nobis occurrit, quam

quam *bubonicam* Peſtim cum Variolis comparare, ſimul & inſpicere, quænam inter ipſam & Athenienſium *Morbum* diſcrimina interceſſerunt. Haud facile erit, quin inter omnes *bubonicæ* Peſtis hiſtorias hactenus evulgatas, & excidiorum immanitate, & annorum, quibus graſſata eſt, diuturnitate, & Hiſtoricorum, a quibus deſcripta fuit, nominis claritate, primum tribuamus locum *Conſtantinopolitanæ*, quam Ill. *Hovvelus* ex Cel. *Procopio*, cultiori calamo, & pleniori omnium pathematum expoſitione contraxit. Hujus igitur *bubonicæ* Peſtis hiſtoria ex *Hovvelo* cum adjectis Præcl. *Freindii* adnotationibus, apud ipſum Freindium [*a*] ſequens eſt:

Conſtantinopolitana bubonica Peſtis cum hactenus evolutis Variolarum phænomenis atque Symptomatibus una paragraphorum citatione comparatur.

§. 299.

Utrum Medicus, inquit Freindius, *fuerit Procopius necne, haud amplius immorabor: illud autem affirmare auſim certum quemdam ab eo* Morbum *haud minori cum artificio & accuratione depictum eſſe, nec ſtylo minus medico expreſſum, quam ſi ex profeſſo Artem noſtram exercuiſſet. Loquor de* Peſte, *quæ* Conſtantinopoli *anno Domini DXLIII. graſſata eſt. Quoniam vero ejus hiſtoria & exquiſite delineata eſt, & utiles multas obſervationes continet ad* Morbum *ipſum ſpectantes, eam* Hovveli *verbis, pauca inſuper animadvertens, proponam.* „ Peſtis hæc, [*ſic fatur Hovvelus*], genus humanum abſumſit, cujus nullam aliam fuiſſe cauſam putat *Procopius*, niſi Dei voluntatem. *Neque enim unam dumtaxat Orbis partem invaſit* [§. 82.]; *neque una aliqua anni tempeſtate* deſæviit [§. 174.]: quod ſi feciſſet, a ſublimibus ingeniis id, ut ille ait, cauſis quibuſdam *artificioſe prætextis* adſcribi poterat. Univerſum autem terrarum Orbem perculit, & *omnia hominum genera* corripuit, utcumque *diverſæ naturæ, & differentis eſſent habitus; neque ætati ulli*.

(*a*) Hiſtor. Medic. pag. 40. ſeqq.

li, *neque temperamento parcens* [§.94. 139.]. Hominum varietas quoad eorum vel habitandi locos, vel rationem victus, vel corporis conſtitutionem, vel animi ſtudia, vel aliam quamvis rem, *nihil quicquam contra Morbum hunc valebant* [*ibid.*]. Quoſdam *æſtate*, alios *aliis tempeſtatibus* oppreſſit [§.174.]. *Peluſii* cœpit in *Ægypto*, dein ab una parte *Alexandriam*, totamque *Ægyptum* pervaſit: ab altera vero *Paleſtinæ partes Ægypto conterminas* occupavit [§.83.]. Inde ad ultimos orbis fines quaſi *ſtatis itineribus* pervenit, omnia deſtruens, *omnes Inſulas*, *antra*, *montes*, quacumque homines verſarentur *populans* [§.82.83.]. Nam ſi regionem aliquam præteriiſſet, *revertebatur* illico, *parique* ac cæteras *ſtrage* affligebat [*ibid.*]. In *ora* ſemper *maritima incipiens ad interiores* penetrabat regionum *partes* [§.82.]. Anno ab ejus ortu ſecundo *Conſtantinopoli*, ubi tum *Procopio* eſſe contigit, circa ver medium apparuit. Mortuorum *ſimulacra* ſub humanis cujuſcumque generis formis *plurimi* videbant, & ab iis in aliqua corporis parte ſeſe percuſſos putabant [*a* §. 95. *ad* 100., *& ubique locorum*]. Nam ſtatimac ſimulacrum ejuſmodi conſpexiſſent, *Morbo* tentabantur [*ibid.*]. Quum in eo primum incidebant, divina quædam proferebant nomina, & in templa ſeſe proripiebant; neque tamen ita magis tuti ab eo erant. Poſtea Amicorum compellationem veriti intra cubicula ſe auribus obturatis concludebant. Quidam *in ſomnis monſtra his ſimilia conſpicere*, quidam *vocem audire* viſi ſunt, quæ nuntiaret, eos in numero eſſe morti deſtinatorum [*ibid.*]. *Pleroſque vero ſine ulla præmonitione Febris continuo* invaſit [§.94.]; *neque tamen ulla vel caloris immutatio*, *vel ardoris ſenſus aderat*; nam uſque ad veſperam *adeo tenuis inhærebat Febricula*, ut neque æger, neque ex pulſu Medicus quicquam diſcriminis vereretur (§.106.). Quibuſdam vero eodem die, alios craſtino, alios multo poſt *Bubo* occupavit aut in *inguine*, aut in *alis*, aut pone *aurem* aut in *alia parte*. Hæc pariter omnibus ſymptomata contigerunt, quicumque Morbo tentati ſunt. Sed & alia quoque *in diverſis diverſa acceſſerunt*: id an e *corporum varietate*, an ex Dei voluntate evenerit Auctor noſter affirmare metuit

(§.195.

(§.195. 196. 197.). Quoſdam *ſomnolentia*, *& in ſtuporem propenſio* oppreſſit (*a* §. 95. *ad* 100.). Alii *mente graviter emoti ſunt* (*ibid.*). Qui in ſoporem ferebantur, eos *omnium rerum cæpit oblivio* (§.129.): quorum ſi qui curarentur, ii cibum ſumebant. Alii *e ſuis neglecti* (§.152.) fame interierunt. Qui mentis alienatione laborarunt, ſimulacris infeſtabantur, perpetuoque clamitabant homines adeſſe, qui necem iis intentarent; atque ideo *fugam capeſſere moliebantur* (§.151.). *Eas* vero *moleſtias curatoribus ſuis* præbebant, ut *hi non minus*, quam ægri *miſericordiam moverent* [§.154.]. E tactu vel decumbentium, vel mortuorum, neque Medicus, neque alius quiſquam contagionem ſuſcepit. Multi enim mirandum in modum immunes reſtabant, licet ægris jugiter aſſiderent, defunctoſque ſepelirent: Multique, qua ratione neſcientes, ea correpti ac ſubito perempti ſunt. Plurimi *in aquam*, plurimi *in mare* deſiliebant, ſiti nulla vexati [§.110.]. Quibuſdam ſine ſopore, aut mentis alienatione *Bubo in gangrænam abiit*; hique ſæviſſimo cum cruciatu animam expirabant [§.126. 222. 223.]: quem etiam phreniticis non abfuiſſe credibile eſt, quanquam, utpote mente capti, nulla proderant ejus indicia. Propterea Medici quidam venenum, fontemque Morbi in peſtilentibus his ulceribus deliteſcere ſuſpicantes, cadavera mortuorum aperuerunt; atque ipſa ulcera perſcrutantes magnum repererunt intus *carbunculum* (§.205.). Quicunque corpus *puſtulis nigris magnitudine lenticulæ* diſtinctum haberent, ii intra primum diem fato cedebant [§.295. 296. 297.]. Multi *ſanguinem per vomitum effuſo peribant* [§.295. 296.]. Quidam ab optimis Medicis deplorati, *inopinato convaluerunt* [§.124.]: Alii de quorum ſalute non dubitaretur, *ſubita morte* ſublati ſunt [§.232.]. Nullam hujus Morbi *cauſam* ratione quiſquam aſſequi potuit [§. 134.]. Aliis *profuit*, aliis *offecit* balneum [§. 145.]. Multi curationis *defectu obierunt*, multi *ſine ea ſuperſtites* manſerunt [§.143.]. *Nulla* denique *incolumitatis via* apparebat, vel cavendo, vel medendo affectui, quum in eo *ignoraretur* æque & invaſionis, & deceſſionis *cauſa* [§.134.]. Quæcumque Fœminæ *prægnantes* tentarentur, *eæ omnes aſſumptæ ſunt*;

Digitized by Google

ſunt; harum aliquæ *abortum paſſæ* [§.296.]; aliæ partum enixæ poſtea cum eo perierunt: Tres ſolum *puerperæ* convaluerunt, fœtu tamen amiſſo; atque una obiit, cujus evaſit infans. Quibus ulcera ampla erant, *multumque humoris effundebant*, ii ad *ſanitatem* redierunt: Siquidem hoc modo *deferbuit Carbunculi furor*, atque id erat *indicium Salutis certiſſimum* [§.229.242.296.]. Quibus vero ulcera in *eodem* ab *initio ſtatu permanebant*, *hi morte* ſunt abrepti [§.232.295.296.]. In quibuſdam *femora emarcuerunt*, ubi in his orta ulcera nihil ſaniei emittebant [§.233.]. Quidam vixerunt cum imminutione *linguæ*, & uſque ad mortis diem balbutientes, aut ſonos indiſtinctos proferentes permanſerunt [§. 202.]. *Conſtantinopoli* Peſtis hæc per quatuor menſes in totum, perque horum tres *maximo cum furore* deſæviit [§.295.296.297.]. In initio *haud ita multo plures*, quam ex conſuetudine *moriebantur*, dein *increſcente* ejus *violentia* quinque, ac poſtremo ſupra decem millia hominum in ſingulos dies rapta ſunt [§.74.75.]. Primo cadavera ſedulo *humabantur*, poſtea vero *omnibus rebus perturbatis*, plurimi *ſine ſepultura* jacuerunt, ſervi abſque heris relicti, ac divites miniſtris indigebant [§.135.161.]. Per deſolatam civitatem nihil fere aliud conſpiciendum erat præter *vacuas domos*, & *clauſas* ſine commercio tabernas (§.153.). Inter hæc valde ſollicitus, uti par erat, Imperator (*Juſtinianus*) pauperum curam *Theodoro* commiſit, uno e Referendariis, qui Imperatoris reſponſa ad ſupplicationes ſubſcribere ſolebant: Iſque egenis pecuniam ex ærario diviſit. His adjicit *Procopius*, multos metu, ſcelerata vitæ conſuetudine immutata, ſe ſe Deo conſacraſſe; multoſque, ſublato periculo, ad priſtinam impietatem rediiſſe. Hæc eſt Peſtilentiæ ipſius deſcriptio ab eo tradita: „ *Hovvelus autem* (hæc Freindii verba ſunt) *hæc amplius ſubjicit*: „Licet ea *Conſtantinopoli* per quatuor tantum menſes duraverit, tamen *Evagrius*, qui cum omni domo hac laboravit, per *duos* & *quinquaginta annos* ſæviſſe prodit; idque ita graviter, ut univerſum prope Orbem aſſumpſerit. Quum igitur ultra *Procopii* mortem perſeveravit, haud mirum videri debet, ſi per ita longum tempus in diverſis adeo cælis

ac

ac regionibus ſymptomata apparūerint diverſa quodamm odo ab iis, quæ ejus ætate viſa ſunt. Tamen *Evagrii* deſcriptio haud multum ab iſta differt. Affirmat autem hanc quibuſdam rebus *Peſti Athenienſi*, a *Thucydide expoſitæ*, ſimilem, *in aliis vero longe diſſimilem fuiſſe*; in *Æthiopia* ſicut *illam* cœpiſſe; omnes vero priores ſævitia exſuperaſſe; ac tempus, quo inhæſeret, & regiones, quas ultro, citroque *commeando* occupaverit, in mentem revocans, miratur *Philoſtratum* pro ſtupenda re habuiſſe Peſtem, quæ ſua ætate *per quindecim annos* continuata ſit ". *Hactenus Howelus apud Freindium l. c.*

Ulterior Conſtantinopolitanæ Peſtis cum Variolis comparatio.

§. 300. *Mortuorum ſimulacra ſub humanis cujuſcunque generis formis plurimi videbant... nam ſtatimac ſimulacrum ejuſmodi conſpexiſſent, Morbo tentabantur &c.*] Puerorum ejulatus, juvenumque terrores atque vociferationes in ſomnis, ingruente Variolarum Morbo, uti & frequentiſſima Variolatorum deliria, a ſpectris, monſtroſis imaginibus, atque mortuorum ſimulacris, illorum phantaſiæ ſeſe exhibentibus, promanare, norunt Phyſiologi; etiamſi id curioſe Clinici non adnotaverint. Perquam vero rarum hoc *bubonicæ* Peſtis Pathema Variolis quandoque ſocium ſe præbuiſſe videtur. His enim *Uratiſlaviæ*, menſe Julio anni 1699., epidemice graſſantibus: „ *Obvenere* (ſic fatur laudatus Gahrliep (*a*)). *etiam quædam melancholicæ Fœminæ, trigeſimum ætatis annum ſupergreſſæ, mœſtæ, alta ſuſpiria ducentes, taciturnæ, a communi hominum conſortio ſe ſubtrahentes, & ad neſcio quem ſtrepitum expaveſcentes, ac mirabilibus ſuſpicionum procellis jactatæ, levique cauſa in Epilepſiam hyſtericam devolutæ* ". Si ſtat, uti probatum credimus, varioloſa *Miaſmata* multiformes poſt ſe trahere vel diriſſimos morbos, alie-

(*a*) Synopſ. Conſtit. Epidem. Uratislav. ann. 1699. apud Sydenh. Tom. I. pag. 203.

num a ratione non erit, eadem per id temporis vigentia huic melancholico affectui producendo cauſam præſtitiſſe, quum nulla his tunc eſſent aptiora.

§. 301. *Quibuſdam vero eodem die, alios craſtino, alios multo poſt* Bubo *occupavit aut in inguine, aut in alis, aut pone aurem, aut in alia parte*]. Variolas non ſemel *bubones, anthraceſque* excitare, quæ §. 203., 205., & 261. allatæ ſunt obſervationes, evincunt; ſed nunquam eodem die, craſtinove, uti contingit in Peſte *bubonica*: qua de re fuſius infra.

§. 302. *E tactu vel decumbentium, vel mortuorum neque Medicus, neque alius quiſquam contagionem ſuſcepit*]. Hanc *Procopii* nimium potius infirmam credulitatem, quam diligenti perquiſitione ratam obſervationem laudatus *Freindius* ſequentibus ab hac hiſtoria expunxit: *Una res*, ait (*a*), *in hiſtoria hac magnam attentionem meretur: ea de* contagione *eſt. Neque Medicus, neque alius quiſpiam*, Procopio *referente, contrectatione ægrotantium, aut mortuorum* (*ob eam ſolam cauſam hoc, ut opinor, intelligi vult*) *vitio correptus eſt; plurimique mirandum in modum integri permanſerunt, quanquam infectos curare ac ſepelire non deſiſſent. Illud etiam ſubjicit* Evagrius „Licet id magna ex parte contagioſum fuerit, quoſdam tamen, qui juxta decumbentes vitam peroſi hærerent, neque morti, neque Morbo excipi potuiſſe". *Ac profecto in Morbis omnibus* Epidemicis, *quantacumque demum iis* contagio *ſubſit, exempla adduci poſſunt, quæ hanc* non ad ſingulum quemque *pertigiſſe demoſtrant. Ipſe etiam* Procopius *Peſtem illam per* contagionem *fuiſſe propagatam cenſuit; uti liquet ex iis, quæ poſtea ſubjicit* „hanc, *ſcilicet*, ſemper juxta mare initium ſumpſiſſe, atque inde diffudiſſe ſe in regiones mediterraneas". *Quæ res omni ratiocinatione fortior eſt ad probandum illud, quod* Morbus hic *per commercium & communicationem & a longinquo aſportari, & in longinquum diſpergi poſſit: Et hæc quidem vulgaris fuit in primis ætatibus opinio*". Hæc *Freindius*, cujus

(*a*) Hiſt. Medic. pag. 43.

Digitized by Google

jus accuratiſſimo calculo fidem faciunt & illa *Procopii* ipſius verba „ *Alii e ſuis neglecti fame interierunt* “ ; contagionis enim metu vel a propinquis neglecti fuerunt.

§. 303. *Multi enim mirandum in modum ea immunes reſtabant, licet ægris jugiter aſſiderent, defunctoſque ſepelirent*]. „ *Nullam*, inquit Ill. Swietenius (*a*), *tam ſæva Peſtis, ut omnes ad internecionem deleverit. Multi enim, licet continuo Peſtis contagio afflarentur, manſerunt immunes* “. Hoc ipſum autem contingere ſub Varioloſa Peſte & hic diſertiſſimus Auctor hiſce demonſtrat (*b*): „ *Memini me curaviſſe hoc Morbo decumbentem vetulam jam plus quam ſexagenariam, quæ ridebat me dum Variolas erupturas brevi præſagiebam. Probe enim conſcia erat ſe cum fratribus, & ſororibus hoc morbo laborantibus comediſſe, bibiſſe, imo in eodem conclavi dormiviſſe per plures ſeptimanas... ſana tamen perſtiterat, & poſtea frequenter Variolis laborantibus præſtiterat opem... Novi ſatis quoſdam inveniri quandoque, licet raro, qui tali* idioſyncraſia *præditi ſunt, ut millies contagio varioloſo expoſiti nunquam inficiantur. Celeberrimum Medicum novi, qui ſeptuagenario major mortuus eſt, & numeroſiſſimam praxim exercens millenos ægros hoc Morbo decumbentes tractaverat, nunquam infectus ipſe. Notum eſt & inter illos, quibus per* inoculationem *Morbum hunc excitare conantur Medici, paucos quoſdam non affici ab hoc contagio ... Plures ſimiles caſus apud* Stalpart-van-der Wiel, *& alios leguntur ... Certe* Diemerbroeckius *de ſe ipſo teſtatur quod jam fere ſeptuagenarius millenos viderit & curaverit hoc Morbo decumbentes, tetrum hujus Morbi fœtorem ſatis diu perpeſſus fuerit, ægrorumque ulcera tractaverit, ſemper immunis: ſed & patrem & patruum fere nonagenarios, aviam octogenariam, cognatos duos octogenarios, & nonnullos alios ex ſua familia recenſet, qui nunquam Variolis tentati fuerunt* “.

§. 304. *Multi qua ratione neſcientes ea correpti, ac ſubito*

(*a*) Tom. IX. in Boerhaav. §. 1406. pag. 125.
(*b*) Ibid. §. 1381. pag. 6. ſeqq.

bito perempti ſunt]. Id ſummum malorum, etſi perquam raro, adhuc tamen Variolas intentaſſe, liquet ex obſervationibus §. 116. appoſitis.

§. 305. *Quicunque corpus puſtulis nigris magnitudine lenticulæ diſtinctum haberent, ii intra primum diem fato cedebant*]. Innumera occurrunt ſub Varioloſa Peſte hujus lethaliſſimi pathematis exempla, ut §. 295. 296. 297., & alibi paſſim videre eſt. Ut vero *Procopii* textum vel ad verbum cum Variolis comparemus, quæ ſequuntur, exſcribamus oportet: „ *Sanguineæ Puſtulæ*, inquit *Meadius* (*a*), *non uno modo protruduntur. Vidi enim quum* in ipſo Morbi principio *tubercula minuta, ſanguine atro turgida repræſentarent, qualia* in cute forcipe compreſſa *evenire ſolent. Has autem maculæ purpureæ* lividæque *interſperſæ*, cujuſmodi in vera Peſte deſcribunt Medici, *mox exceperunt. Sæpius autem accidit, ut Puſtulæ confertim erumpentes tertio vel quarto poſt die, quum jam matureſcere deberent*, lividæ *& ſubcruentæ evadant*, maculis nigris per totum corpus ſparſis, quæ intra diem unum, aut alterum mortem adventantem *prænuntiant. Hæ enim veræ ſunt gangrænæ. Sæpiſſime hoc tempore ſanguis tenuis non ex ore tantum, naribus & oculis emanat, ſed per cunctos etiam corporis meatus, maximeque Urinæ itinere perfluit, quo etiam primis ægritudinis diebus nonnunquam egreditur* ". *Huxhamius* de Januario anni 1735. hæc fatur (*b*): „ *Variolæ ſunt maxime epidemicæ; quædam valde malignæ, utpote quibus* non raro *accedunt hæmorrhagiæ ex omnibus fere corporis partibus, &* Petechiæ lividæ, & nigræ. Vix unum *vidi his correptum affectibus ſervatum* ". Tandem ingenuus *Sydenhamus* ſic loquitur [*c*]: „ *Eſt etiam ubi in hoc Morbo* (varioloſo) *perinde* atque in Peſte, *laxata inflammationis vi Sanguinis compage*, maculæ purpureæ *ſe oſtentant Puſtulis* interſperſæ, mortis *fere ſemper prænunciæ* ".

§. 306. *Multi Sanguine per vomitum effuſo peribant*]. Horreſcentem nunc me ſubit illius variolati Pueruli (pag. 7.), pene

(*a*) Oper. Medic. de Variol. cap. II. pag. 37.
(*b*) Tom. II. de Aer. & Morb. Epidem pag. 103.
(*c*) Tom. I, Sect. III. Cap. II. pag. 44.

Digitized by Google

pene inter manus meas ex hæmoptoe expirati pallida imago, atque domeſticis animi mei mœroribus novam aggerit triſtitiam. Præſto tamen mihi adeſt ſolatium, quod ipſius inopinatum excidium primum mihi præbuit incitamentum ad genuinam varioloſæ Peſtis originem aſſequendam; quonam eventu æquis Medicinæ Præſulibus decernendo. Pereitas ex omnibus corporis meatibus a Variolis hæmorrhagias jam §. 305. retulimus; Sanguinis vero per os ejectionem ſequentes teſtantur obſervationes: „ *Recentes Germanorum Ephemerides*, ait Drelincurtius (*a*), *poſt variolas ſanatas*, *pure tamen edaci non penitus retuſo*, *&* hæmoptoen, *& Sanguinis Fluxum per interſtitia digitorum utriuſque pedis mirabiliter obſervant* ". „ *Qui ſanguinem* (ſunt verba Diemerbroeckii, ubi de Variolis (*b*)) *vomitu aut tuſſi rejiciebant*, *aut urinas cruentas mingebant*, *illi* fere omnes moriebantur, *& ex* ſexcentis talibus vix unum *evaviſſe novimus* ". His vetuſtior *Ballonius* hæc ſcripſit (*c*): *Equitis* Torquati D. de Rochefort *Filio annos duodecim nato erumpunt* Exanthemata (Variolas intelligit). *Quum deſæviiſſe viderentur*, ſpuit & expectorat cruentum, *nec non meit cruentum*, *idque abunde*. *Coguntur Medici etiam præſentibus* Exhantematis *venam aperire*. *Evacuato per viam urinarum Sanguine tandem* moritur ". Supremum in hac paragrapho ſit locum Celeberrimo Variolarum Scrutinatori *Sydenhamo*: „ *Utraque vero*, ait (*d*), *hæmorrhagia hæc* (Pulmonis nimirum atque Veſicæ) *ſub Morbi initio plerumque contingit*, *puſtulis nondum erumpentibus*, *vel ſi in quibuſdam locis ſe oſtendant*, *in pleriſque tamen aliis adhuc ſub cute denſæ latent*; *atque ejus ſunt generis*, *quæ in maxime confluentes adoleſcerent*, niſi jam dictum Symptoma ægri morte Morbum finierit ". *Et alibi* (*e*) ſcripſit: „ *Inter ea fatendum eſt* Sanguinis Mictum, & Maculas purpureas, quæ ita certe mortem prænunciant, *quandoque accidere* vix ullo adhuc comparente Variolarum indicio, vel etiam pau-

(*a*) Apud Manget. Tom. IV. B. M. P. pag. 667.
(*b*) Apud Manget. ibid. pag. 722.
(*c*) Epidem. & Ephem. lib. II. pag. 202.
(*d*) Tom. I. Sect. III. Cap. II. pag 45.
(*e*) Ibid. Differt. Epiſtol. ad Guilielm. Cole 239.]

pauciſſimis Puſtulis erumpentibus. *Hæc vero ut Variolas denſo agmine confluentes ut plurimum comitantur, ita aliquando* tam præpropere invadunt, ut ægrum ante plenam eruptionem e medio tollant, *ſicut jam præmonuimus* ".

§. 307. *Quæcunque Fœminæ prægnantes tentarentur, eæ omnes aſſumptæ ſunt, harum aliquæ abortum paſſæ*]. „ *Ex ſexu muliebri*, inquit *Cl.* Gerbetius (*a*), *Utero gerentes præ aliis impegerant*; *utpote communiter* abortum paſſæ, *& retractis a lochiali Fluxu ad interiora exanthematibus* (varioloſis). *Idem fere puta de eis Mulieribus, quibus mox in* Mali *principio, aut ſub ipſa exanthematum eruptione Menſtrua proruperunt* ". Laudatus *Swietenius* hæc ſcribit [*b*]: „ *Raris caſibus felicem hanc* (uterogerentium) *curam adnumero, probe gnarus, quod plures viderim gravidas, quæ Variolis correptæ* abortiverunt, & perierunt. *Hinc facile accedo ſententiæ clarorum Virorum* (Hoffmanni & Manninghami), *qui ingens periculum imminere gravidis credunt, ſi Variolis corripiantur* ". Inclitus denique *Rammazzinus* ſic fatur (*c*): „ *Gravis hæc morborum tempeſtas omnino deſiiſſet, ni Variolæ quo magis ambientis calor tepeſcebat, eo ferocius ſæviiſſent: quum non ſolum puellarum ætatem demeterent, ſed etiam grandævos*, ac præcipue uterogerentes *quotquot hoc Morbo laborarent* ". *Conf.* §. 296.

§. 308. *Aliæ partum enixæ poſtea cum eo perierunt &c.*] Nondum, quantum ſcimus, a Medicis perquiſitum eſt, num Fœtus in utero degentes, Peſte *bubonica* quandoque una cum Matribus correpti fuerint, & an opportuno tempore in lucem editi, *bubonum anthracumque* in materno carcere perpeſſorum veſtigia in cute retulerint: Nondum enim Medicorum aliquis in eam venit ſententiam, ut efficientem *bubonicæ* Peſtis cauſam menſtrui Sanguinis quiſquiliis; ſucco ſpermatico, vel atrabilario; aceſcenti lacti; liquori in obſtructis tu-

(*a*) Conſtit. Epidem. Labacenſ. anni 1715. apud Sydenh. Tom. I. p. 528.
(*b*) Tom. IX. in Boehraav. §. 1396. p. 73.
(*c*) Differt. II. de Conſtit. anni 1691. apud Sydenh. Tom. I. §. XXXIV. pag. 152.

Digitized by Google

tubulis medullæ Spinalis, vel Sanguini in umbilicali funiculo reſtitanti, aliiſque id genus hypotheticis cauſis, tribuere auſus ſit. Si id unquam eveniſſet, procul omni dubio, hactenus elaboratas *bubonicæ* Peſtis diſſertationes plurimis obſervationibus, a præconceptis opinionum figmentis fabrefactis, refertiſſimas haberemus, Fœtuum, nimirum, in utero Matris, a *bubonica* Peſte ſuperſtitis, hac lue perfunctorum, *bubonum anthracumque* ſtigmatibus ſignatorum; ſicuti habemus Variolarum pertractationes infantium hiſtoriolis ornatas, qui vel hoc Morbo undique conſperſi, vel ejus notis ac cicatricibus defœdati in medium prodierunt. Quicquid de hiſce obſervationibus credere velimus, Cl. *Cotunnius* (*a*) treſdecim Variolatorum cadaverum accuratis extiſpiciis evictum dedit, *Variolas natura ſua nullas corporis partes, a libero Aeris attactu remotas, invadere, nec occupare ſueviſſe* Perit itaque Partus tam *bubonica* Peſte, quam Variolis arreptarum Mulierum, vel quia in lucem egreſſus ſubito his impetitur Morbis, vel quia febrilem certamen in utero paſſus, vitam nequit producere.

§. 309. *Quidam vixerunt cum imminutione linguæ, & uſque ad mortis diem balbutientes, aut ſonos indiſtinctos proferentes permanſerunt*]. *Nuperum ocEennem*, ait Drelincurtius(*b*), *ſeptica Variolarum labe elinquem, ſed loquentem ſtupuit* Academia Salmurienſis, *ſtupuit & univerſus terrarum orbis; ſtupebunt & ſeri nepotes* ".

Concluſio vigeſimaquarta.

Quum, examuſſim comparatis vel omnium diriſſimæ Conſtantinopolitanæ *bubonicæ* Peſtis Symptomatibus atque Phœnomenis cum iis, quæ Varioloſa affert Peſtis, illius nullum inveniatur tam inſolens, quod hæc aliquando non æquet, & in reliquis longe illam exſuperet, facillimum fuiſſe fatendum eſt, Variolas ſub prima ipſarum in Athenas incurſione haud aliam

(*a*) Syntagm. de Sedibus Variolar. §. LXX. pag. 124. ſeqq.
(*b*) Apud Manget, Tom. IV. B. M. P. pag. 660.

Digitized by Google

aliam triſtiorem hominibus excitaſſe notionem, quam ab iiſdem jampridem cognitæ bubonicæ Peſtis, ac poſthabita *Thucydidis* illarum deſcriptione, ſub hujus nomine Poſteris fuiſſe memoratas.

Inter Athenienſium Morbum a Thucydide & Hippocrate deſcriptum atque omnium lethaliſſimam Conſtantinopolitanam bubonicam Peſtim maxima & plura interceſſerunt diſcrimina.

§. 310. Diſcrimen I. Ex Tucydide §. 89. habemus: „*Oculorum rubores & inflammatio ... guttur & lingua continuo cruenta erant... Raucitas... corpus... ſubrubrum, lividum, parvis Puſtulis, & ulceribus efloreſcens*". Ab Hippocrate §. 183. „*Sacri Ignes multi... Multi fauces doluerunt. Voces vitiatæ... Ora ulcere fervido affecta... Multis Ignis Sacer... ex vulgaribus & valde parvis ulcuſculis, in toto corpore... circa caput... in ipſa curatione inflammationes magnæ fiebant; & ſacer ignis multus, brevi undique depaſcebatur*". Ab Howelo ex Procopio §. 291.: „*Quibuſdam eodem die, alios craſtino, alios multo poſt Bubo occupavit aut in inguine, aut in alis, aut pone aurem, aut in alia parte... Quidam vixerunt cum imminutione linguæ.*„ Hujus pathematis adhuc meminit *Diemerbroechius* (*a*) ſub Peſte bubonica Noviomagenſi a quibuſdam paſſi ob Carbunculum in lingua enatum.

§. 311. Diſcrimen II. Ex Thucydide l. c. „*Plerique intra nonum, aut etiam ſeptimum diem propter internum ardorem interibant... aut ſi, hoc temporis ſpatio præterito, mortem vitaſſent... poſtea propter debilitatem interibant*". Ex Hippocrate l. c.: „*Quibus vero inflammatio quidem, & Ignis Sacer diſceſſit, talem autem nullum abſceſſum fecit, horum multi perierunt... Quibus autem nihil horum accidiſſet, verum obſcure diſparuiſſent* (Ignes Sacri), *hi lethales erant*". Ab Howelo l. c.: „*Multi qua ratione neſcientes ea*

(*a*) Apud Manget. Tom. I. B. M. P. Annot. ad hiſtor. XXXVI. pag. 76.

Digitized by Google

ea correpti ac ſubito perempti ſunt… Quicunque corpus puſtulis nigris magnitudine lenticulæ diſtinctum haberent, ii intra primum diem fato cedebant… Alii, de quorum ſalute non dubitaretur, ſubita morte ſublati ſunt ".

§. 312. Diſcrimen III. Ex Thucydide l. c.: „ *Morbus, qui primas in capite ſedes collocarat, per totum corpus, initio a ſummis partibus ducto, pervadebat. Et ſi quis ex maximis illis periculis evaſiſſet, extremæ tamen corporis partes, quæ captæ læſæque remanebant, eum hoc Morbo laboraſſe teſtabantur* ". Ab Hippocrate l. c. „ *Quibus circa caput horum quid fieri contigit, his glabricies totius capitis ac menti fiebat, & oſſium denudationes ac elapſus, & multæ fluxiones* ". Hujus partium & præſertim Faciei deturpationis, apud *Howelum* nulla fit mentio.

§. 313. Diſcrimen IV. Ex Thucydide l. c.: „ *Nam in ipſa quoque pudenda, & in ſummas manus, ſummoſque pedes prorumpebat* (Morbus): *multique his membris capti mortem vitarunt, nonnulli etiam oculis amiſſis* ". Ab Hippocrate l. c.; „ *Plurimis ipſorum abſceſſus ad ſuppurationes contigerunt: carnium & nervorum ac oſſium elapſus magni… Multis brachium & totus cubitus defluxit: Quibuſdam vero hæc affligebant latera, aut anteriorem aut poſteriorem aliquam partem: Quibuſdam autem, totum femur, vel tibiæ denudabantur, & totus pes. Erat autem ex talibus omnium graviſſimum, ubi circa pubem, & pudenda accidiſſet… Multa vero turbatio quibuſdam, & circa fauces tubercula, & linguæ inflammationes, & abſceſſus circa dentes: Voceſque multis ſignificationem de ſe præbebant, quod eſſent vitiatæ ac impeditæ, & involutæ* ". Et ex §. 252. „ *Ora multis ulcere fervido affecta, ulceroſa. Fluxiones circa pudenda multæ, ulcerationes: Tubercula foris, intus, circa inguina. Lippitudines humidæ, longæ diuturnæ cum doloribus: Eruptiones palpebrarum foris, intus, multorum oculos corrumpentes, quas ficus vocant. Erumpebant etiam in aliis ulceribus multa, & in pudendis* ". Ex Howelo l. c.: „ *Quibuſdam ſine ſopore, aut mentis alienatione Bubo in gangrænam abiit, hique ſæviſſimo cum cruciatu animam expirabant… Medici…*

 ca-

cadavera mortuorum aperuerunt , atque ipſa ulcera perſcrutantes magnum repererunt intus carbunculum... Quibus ulcera ampla erant , multumque humoris effundebant , ii ad ſanitatem redierunt . Siquidem hoc modo deferbuit Carbunculi *furor... In quibuſdam femora emarcuerunt , ubi in his orta ulcera nihil ſaniei emittebant . Quidam vixerunt cum imminutione linguæ* ". Nulla cœcitatis mentio apud Howelum, ſed neque apud reliquos *bubonicæ* Peſtis Scriptores, uti §. 128. adnotavimus.

§. 214. Diſcrimen V. Ex Thucydide §. 139. : „ *Illi tamen, qui evaſerant, & eum, qui moriebatur , & eum, qui laborabat , magis miſerebantur ; tum quod hoc* Malum *prius experti cognoſcerent, tum etiam quod ipſi in tuto jam eſſent. Hic enim* Morbus *eumdem bis non corripiebat , ita ut eum etiam interimeret . Et ab aliis beati cenſebantur* ". Nihil de hoc Phœnomeno apud *Howelum*. Conf. §.155. & 156.

§. 315. Diſcrimen VI. Ex Thucydide §. 174. : „ *At hyeme ineunte* Morbus *Athenienſes iterum invaſit, qui nunquam quidem omnino ſedatus fuerat, ſed tamen quædam ejus quieſcentis intermiſſio facta fuerat. Quum autem eos rurſus eſt aggreſſus, non minus anno integro apud eos immoratus , prius vero vel per biennium eſt graſſatus* ". Ex Hippocrate §. 183.: „ *Plerumque plurimis accidit Sacer Ignis vere, conſequebatur autem per æſtatem , & ſub autumnum* ". Ex Howelo l. c.: „ *Conſtantinopoli Peſtis hæc per quatuor menſes in totum , perque horum tres maximo cum furore deſæviit.* „ Conf. §. 175.

§. 316. Diſcrimen VII. Ex Hippocrate §. 183. : *Ante ver...* Sacri Ignes *multi... in pudendis* tubercula... carbunculi... *Erat ex talibus omnium graviſſimum, ubi circa pubem & pudenda accidiſſet . . . Plerumque plurimis accidit* Sacer Ignis *vere, conſequebatur autem &* per æſtatem, *& ſub autumnum* ". Et §. 252.: „ *Fluxiones circa pudenda multæ , ulcerationes*: Tubercula *foris, intus, circa inguina... Erumpebant autem in aliis ulceribus multa, & in pudendis*. Carbunculi per æſtatem *multi, & aliæ, quæ ſeps vocantur, Puſtulæ magnæ* ". Ex Howelo l. c.: „ *Quibuſdam eodem die, alios*

alios craſtino, *alios multo poſt* Bubo *occupavit aut in inguine*, *aut in alis*, *aut pone aurem*, *aut in alia parte*... *Quicunque corpus* Puſtulis nigris *magnitudine lenticulæ diſtinctum haberent*, *ii intra primum diem fato cedebant*". Sub *Sacris* igitur *Ignibus* & *Anthraces*, & *Bubones*, ut in allatis græcis Hippocratis textibus, multis contigerunt circa inguina, in pudendis, inque aliis corporis partibus; ſub *bubonica* vero *Byzantina Peſte* aliquibus *Puſtulæ nigræ* magnitudine lenticulæ acceſſerunt. At ſicuti hæc *Exanthemata*, Variolas referentia, nihilum effecerunt, quominus *Conſtantinopolitana* Lues haud Varioloſæ, ſed *bubonicæ* Peſtis nomine, cujus individuum princeps *Exhantema Bubo* extitit, inſignita fuerit; ita nec *Anthraces*, neque *Bubones*, *Exanthemata Sacris Ignibus* ſupervenientia, pro Peſte *bubonica* eoſdem definire quiverunt, quorum individuæ perpetuæque comites *Puſtulæ parvæ* (§.310.) toto corpore effloreſcentes, Varioloſam conſtituerunt Peſtim. Qui huic hominum vaſtatrici Tabi operam medicam navavit, inficias ire nequiverit, fere omnes, qui ex confluentibus Variolis decedunt vel evadunt, plurimis *Carbunculis Bubonibuſque* mulctari atque torqueri. Conf. §. 203. 205. 261., & præſertim §. 107., ubi demoſtratum, a *Thucydide*, primam Athenienſium *Morbi* graſſationem deſcribente, nullam factam eſſe *Bubonum*, vel *Anthracum*, qui illum comitati fuerint, mentionem.

Concluſio vigeſimaquinta.

Si igitur Athenienſium *Morbus*, a *Thucydide* & *Hippocrate* monumentis Poſteritati conſignatus, nec citis repentiniſque mortibus (§.311.), nec *anthracibus bubonibuſque*, præcipuis pathematibus, *bubonicæ* Peſtis propriis (§.316.), comitatus fuit; & e contra, parvis Puſtulis a capite ad calcem effloreſcentibus (§.310.); obſeſſarum partium & Faciei cicatricibus (§.313.); cæcitate (*ibid.*) omnium fere corporis partium vaſtatione (*ibid.*); eumdem hominem bis non corripiendi conditione [§.314.]; & plurium annorum continua graſſatione (§. 315.), proprietatibus a *bubonica* Peſte prorlus diſſitis, ſtipatus inceſſit;

rationi conſentaneum eſſe videtur, ut, poſtabita vel plurium ſæculorum ab Hiſtoricis atque Medicis accepta hujus Peſtis traditione, veritati locus tandem concedatur: idque Morbi genus, *bubonicæ* Peſtis nomine exutum, Varioloſæ inſignietur; hoc evincente ipſius cum Variolis hactenus abſoluto (Concluſ. XXIII.) omnium Phœnomenῶn atque Symptomatῶn Analogiſmo; præſertim quod hæc a veteri nuncupatione receſſio magnam humano Generi utilitatem erit allatura, uti in Secunda hujus Operis Parte demonſtrabitur.

Partis Primæ Finis.

Quæ in hanc primam Operis Partem irrepſerunt

ERRATA SIC CORRIGENDA.

Fol. 6.	8. Aſclepiades	Aſclepiadas
7.	11. mirum,	nimirum.
8.	29. adacta,	adactam.
24.	33. veneratæ,	venenatæ.
ibidem	35. adaugentque majores,	adaugentque.
25.	32. (§. 15.)	(§. 14).
38.	(a) lib. de Humor. n. 6.,	lib. de Humor. n. 8.
69.	7. judicari,	judicare.
70.	20. indigeni,	indigenæ.
ibidem	34. probatur,	probantur.
72.	5. monſtruoſoque,	monſtroſoque.
117.	20. Aſclepiades	Aſclepiadæ
176.	30. extirpatamque,	expurgatamque
182.	12. diſcrepantes æque,	diſcrepantes, quales fuerunt in Hippocratis *Epidemiorum* libris recenſiti, æque
205.	15. (ibidem)	§. 130.
268.	23. omittendum	omittendam
283.	7. phymata, epiphyſes, anthraces.	phymata, anthraces.
287.	9. Pag. 129.	Pag. 179.
300.	16. non attulerint!	attulerint!
301.	18. quin	ut
303.	2. paulopoſt.	poſt
344.	15. exitiales	exitialis
357.	24. Scrutinatori	Scrutatori

Reliqua hiſce leviora Lectorum ſagacitati emendanda committimus.

Digitized by Google

PRIMÆ PARTIS

PERTRACTATARUM RERUM

ELENCHUS.

Scribendi occaſio. *a pag.* 1. *ad* 7.
Hunc laborem deſerendi cauſa. 62.
Novus ad laborem reſumendum impulſus. 62. 63.
Variolarum Doctrina implicatiſſima. 8.
Genuinarum Variolarum deſcriptio. 10. 12.

Repulſæ de Variolis Hypotheſes.

I. Variolæ veteribus Medicis tam Græcis, quam Latinis fuerunt notæ. 13. 15.
II. Variolas Hippocrates nec Galenus, neque Latini antiqui Medici perſpectas habuerunt. 15. 16.
III. Variolæ hominibus ſunt connatæ. 16. 18.
IV....... ab occulto Aeris maligno ſtatu ortum ducunt. 18. 47.
V........... Febrium Synocharum ſunt veluti criſes. 47. 48.
VI........ ab aliqua cauſa ſemel a parentibus contractæ, hæreditaria propagatione in filios traſmittuntur. 49.
VII......... a depravatis Atmoſphæræ conſtitutionibus promanant. 50.
VIII........ a manifeſtis atque ſenſibilibus ſex rerum nonnaturalium vitiis, ſive a concurſu variarum Cauſarum, abſque ullo in humanis corporibus, neque in ipſis cauſis præexiſtente contagio, naſci poſſe videntur, & ſemel ſic ortæ dein per contagium quamlatiſſime diffundi poſſunt ac multiplicari 51. 58.
IX. Variolarum cauſa Aer eſt, non quatenus purus, ſed miaſmatibus in centro terræ ſucceſſu temporis ſenſim genitis, & tempore, quo illæ in homines inceſſerunt, eruptis, inquinatus. 58. 61.
X. Variolæ ab inviſibilibus animalculis per Aerem volitantibus, ſeſeque generatione multiplicantibus, proficiſcuntur. 61. 62.

Totius Operis unica Propoſitio demonſtranda.

Epidemici Morbi omnes tam acuti, quam diuturni toti Europæ nunquam indigenæ, ſed exotici fuerunt, uti etiamnum exiſtunt. Iidem cauſa haud generica, ſed tantum ſpecifica inter ſeſe differunt, & ut in phœnomenis ſaltem præcipuis omnes conveniunt, ſic unum poſſident commune & *infallibile* prophylacticum præſidium. 70.

Propoſitiones demonſtratæ.

I. Cunctarum Hypotheſium circa Variolarum Pathologiam inter ſeſe aperta eſt contradictio. 12. 62.
II. Epidemicum idem ſonat ac contagioſum. 24. 26.
III. Contagium eſt Miaſma quod fere in infinitum ſe propagare, & in corpore ſano receptum, Morbum ſibi proprium producere valet. 26. 28.
IV. Hippocratis Morborum generica Diviſio in *Epidemicos*, *Endemicos*, *Pancoinos* ſive *Conſtitutionales*, & *Sporadicos*, haſtenus a nonnullis Pathologis ſubverſa fuit. 29. 47.
V. Populariter ſive communiter graſſari omnibus convenit Morborum Generibus. 29. 30.
VI. Unicuique Morborum Generi ſuus eſt proprius atque individuus character, ſuaque cauſa. 30. 43.
VII. Qui Athenienſes mulctavit, Morbus, a Thucydide & Hippocrate deſcriptus, haud bubonica, uti antehac creditum, ſed Varioloſa fuit Peſtis, tunc primum ab Æthiopia in Græciam contagio invecta. 74 232.
VIII Athenienſis Morbi Puſtularum eruptionem præcedentia Symptomata, iis, quæ Variolas præcedunt, ſimillima fuere. 97. 105.

Digitized by Google

IX. Morbi Athenienſis Puſtularum eruptio, uti in Variolis, a capite in omnem corporis ſuperficiem prorepſit. 106. 108.

X. Excidii tempus in Athenienſium Morbo, Variolis, haud bubonicæ Peſti, fuit proprium. 112. 116.

XI. Athenienſium Morbus ex Thucydidis deſcriptione nec Bubones, neque Anthraces excitavit. 118. 119.

XII. Athenienſium Morbus perpetuas maculas notaſque, tanquam ſuæ feritatis teſtes, extremis Corporis partibus illorum, qui ex eo evaſerant, inuſſit, oculoſque, ſicut Varioloſus, perdidit. 121. 123.

XIII. Oculorum amiſſio ſæpiſſime ſub Varioloſa, nunquam ſub bubonica Peſte contigit. 127. 128.

XIV. Peculiare adverſus Athenienſium Morbum nullum inventum eſt remedium, uti nec adverſus Variolas. Qui tamen ab illo evadebant, iterum non corripiebantur, quod Variolis magis, quam bubonicæ Peſti proprium. 137. 157.

XV. Peloponneſii, Morbi Athenienſis metu, poſthabito bello, ab Attica diſcedunt; ſicuti Taurici, ac Japones, Varioloſam Peſtim pertimeſcentes, dulcia Sanguinis pignora derelinquunt. 168. 169.

XVI. Sacri Hippocratis Ignes, & Athenienſium Morbus, a Thucydide narratus, unam eamdemque conſtituerunt Peſtem, & quidem Varioloſam. 176. 233.

XVII. Temporis, tempeſtatiſque conſtitutio ex Hippocratis mente Epidemicos Morbos diverſimode temperat ac moderatur, minime vero producere efficereque valet. 178. 183.

XVIII. Sacri Hippocratis Ignes a T. Lucretio Caro, Virgilio, & Columella Puſtulæ lethales, & contagioſæ definiuntur. 191. 193.

XIX. Ophthalmia contagioſa Sacros Hippocratis Ignes & Variolas comitatur atque conſequitur. 199. 200.

XX. Et Sacri Hippocratis Ignes, & Variolæ Anaſarcam poſt ſe trahunt. 206. 207.

XXI. Tabes Sacrorum Hippocratis Ignium atque Variolarum ſæpius eſt conſectaria. 207. 209.

XXII. Sacri Hippocratis Ignes, ſicuti Variolæ, a parvis ulcuſculis circa caput incipientes, in totum corpus prorumpebant. 213. 215.

XXIII. ...., uti Variolæ, poſt eorum deceſſionem maculas atque cicatrices affectis partibus inurebant. 215. 219.

XXIV. Repentinæ Sacrorum Ignium receſſiones, Variolarum more mortem inferebant. 222. 225.

XXV. Quæ Sacrorum Ignium fuerunt conſectariæ, Ardentes atque phreniticæ Febres, præcipuis phœnomenis ſimul ac ſymptomatibus cum illis adamuſſim convenire comperiuntur. 235. 237.

XXVI. Quæ ab una in aliam regionem contagio tranſilientes, per totam Europam perpetuo circumeunt Ardentes Febres ac Phreniticæ, quemadmodum a Sacris Hippocratis Ignibus, ita & a Variolis, Morbilliſque originem ſuam trahere videntur. 247. 254.

XXVII. Varia Exanthemata Sacrorum Ignium conſectaria, ab Hippocrate raptim ſignata, Variolas ſimul conſequi demonſtrantur. 280. 283.

XXVIII. Epidemica Dyſenteria & a Sacris Hippocratis Ignibus, & a Variolis ſæpiſſime ortum ducit. 283. 289.

XXIX. Intermittentes Epidemicas Febres, quas recentiores Medici Pernicioſas atque Malignas vocarunt, Hippocrates perſpectas habuit, uti Sacrorum ignium conſectarias. 296. 298.

XXX. Intermittentium Malignarum Febrium origo hucuſque incomperta: nec ipſarum contagium bene exagitatum fuit. 293 301.

XXXI. Intermittentes Epidemicæ Febres inclinante ſæculo decimoſexto per Europam ſatis aperte vulgabantur. 301. 308.

XXXII. Epidemicæ Intermittentes Febres, quæ ſæculo decimo ſexto Europæ inclareſcere cœperunt, Epidemicis Intermittentibus, a Sacris Hippocratis Ignibus genitis, adamuſſim reſpondent. 308. 311.

XXXIII. Intermittentes Epidemicæ Febres ſæpiſſime Variolarum ſunt ſoboles. 312. 316.

XXXIV. Dilucidius eruitur, temporis tempeſtatumque conſtitutionem Epidemicorum Morborum cauſam efficientem minime producere poſſe, ſed ſolummodo iiſdem favere vel obeſſe. 330. 332.

XXXV. Præcipuis numeris abſoluta, atque ineluctabilis exhibetur Athenienſium

Digitized by Google

ſium Peſtis cum Variolis comparatio. 335. 348.
XXXVI. Conſtantinopolitanæ bubonicæ Peſtis, ſæculo ſexto graſſatæ, cum Variolis Analogia. 349. 353.
XXXVII. Ulterior Conſtantinopolitanæ Peſtis cum Variolis comparatio. 353. 359.
XXXVIII. Inter Athenienſium Morbum, a Thucydide & Hippocrate deſcriptum, atque omnium lethaliſſimam Conſtantinopolitanam bubonicam Peſtim, maxima, & plura interceſſiſſe diſcrimina demonſtratur. 360. 364.

Abſoluta Parallela.

I. Ex quibus liquet, Variolas, perplurimis orbis terrarum regionibus jamdiu ignotas, cum Athenienſium Morbo exeidiis ac novitate convenire. 80.
II Variolæ identidem Medicorum penuriam, uti Athenienſium Morbus, pariunt. 81.
III.......... cum Athenienſium Morbo contagione conveniunt. *ibid.*
IV....... ab Athenienſium Morbo cauſæ ignoratione non differunt. 83.
V........ idem detitent ſui ortus domicilium, Æthiopiam ſcilicet, ac Athenienſium Morbus habuit. 85.
VI........ graſſandi, ſeſeque propagandi ratione, Athenienſium Morbum adamuſſim imitantur. 88.
VII........ Rhazis diebus, attenta majorum traditione, tanquam Morbus in Arabiam recenter advectus, ſicuti ille a Thucydide deſcriptus, habebantur. 90.
VIII.......... ſub Aeris ſalubritate, uti Athenienſis Morbus, graſſantur. 96.
IX.......... reliquos Morbos, ſicuti a Thucydide deſcriptus, in ſuam ditionem trahunt. 97.
X....... ſaniſſima corpora, velut Athenienſium Morbus, adhuc opprimunt. 99.
XI..... ſymptomatibus, earum eruptionem præcedentibus, iiſdem ac Athenienſis Morbus ægrotos aggrediuntur. 105.
XII....... malignæ exteriore corporis conditione a Thucydide deſcriptum Morbum æmulantur. 106.
XIII. Athenienſium Morbus, corporis colore, atque parvarum Puſtularum & ulcerum conferta eruptione, noſtras Variolas æquavit. 108.
XIV. Variolæ Malignæ, uti Athenienſium Morbus, interno ægrotos exagitant æſtu. 109.
XV......... clamoſa ſiti, & totius corporis incendio, a Morbo Athenienſium ne latum unguem diſtant. 110.
XVI......... eadem inquietudine, perpetuaque vigilia ac ille Morbus ſtipantur. 111.
XVII......... ut Morbus Athenienſis, ægrotos valentibus viribus morti tradunt. 112.
XVIII. Athenienſium Morbus, ſicuti repentinis ac citis exeidiis deſtitutus a bubonica Peſte recedit, ita cladis genere ac tempore Variolas adamuſſim exprimit. 116.
XIX........... cadaverum flexibilitate Variolas exacte imitatus eſt. 118.
XX............ & capitis invaſione, & Puſtularum eruptionis ordine Varioliferum Morbum preſſo pede eſt ſequutus. 119.
XXI. Et Athenienſis Morbus, & Variolæ, poſt ſeptimum ac nonum diem alvi profluvio ægrotos perdunt. 121.
XXII. A Thucydide deſcriptus Morbus ſuperſtitum extremas corporis partes notis cicatricibuſque, uti a Variolis uſuvenit, fœdavit. 123.
XXIII. . . . . . non minus quam Variolæ mortalium verenda afficit. 125.
XXIV. . . . . . pari virulentia ac Variolæ varia, quinimo fere omnia corporis membra non ſolum deturpavit, ſed & prorſus perdidit. 127.
XXV. Variolæ ſicuti Athenienſium Morbus, ægrotos obliviosos non ſemel linquunt. 129.
XXVI. . . . . ut ille Morbus, occultam hucuſque habuerunt cauſam. 133.
XXVII. . . . . . cadavera tam abominabili ut plurimum inficiunt fœtore, ut alites quadrupedeſque, non minus quam Athenienſium Morbo interemptorum cadavera, in fugam verterent, ſi ad ipſa adeundi illis daretur locus. 134.
XXVIII. . . . . . . bruta animantia pari vi, ac a Thucydide enarratus Morbus, contagio afficiunt interimuntque. 135.
XXIX. . . . . . tam enormi ſymptomatum

Digitized by Google

tum atque ſupevenientium malorum multitudine ſtipantur, ut ſicut Athenienſis Morbus a Thucydide haud exacte, ita ab aliquo vel diſertiſſimo nunquam abſolute deſcribi paſſæ ſint. 138.

XXX. Nec ſub Morbo primum in Athenas irruente, nec ſub malignis Variolis, de ulla certa Medicina hactenus conſtitit. 143.

XXXI. Sub Athenienſi pariter ac Varioloſo Morbo adhibita præſidia in ægrotorum perniciem vertuntur. 144.

XXXII. Et Athenienſis Morbus, & Variolæ, nulla alia prophylaxi declinari poſſunt, quam ſola contagii fuga. 147.

XXXIII. A Thucydide narratus Morbus, & Varioloſus, magnum ſui incuſſit hominibus timorem. 150.

XXXIV. . . . . . . iiſdem contagii modis, quos poſſident Variolæ, populariter graſſatus eſt. 151.

XXXV. Variolæ non ſecus, ac Athenienſium Morbus, haud ſemel integras familias exhauſerunt. 152.

XXXVI. . . . . . cladibus ſuis cum illo Morbo apprime conveniunt. 175.

XXXVII. Sacri Hippocratis Ignes ſuo ſuæ eruptionis tempore, tam qui parvis ulcuſculis toto corpore diſperſis, quam qui confertim contigerunt, pari paſſu ac noſtræ Variolæ incederunt, ſimileſque exitus conſequuti ſunt. 197.

XXXVIII. . . . . Faucium dolores, ac voces vitiatas, uti Variolæ attulerunt. *ibid.*

XXXIX. Febris ardens, phrenitis, ſerpentia oris ulcera, pudendorum tubercula, lippitudines, carbunculi, alvi perturbatio, ciborum averſio, ſitis ipſiuſve abſentia, urina turbulenta copioſaque, ſopor atque vigilia, Sacris Hippocratis Ignibus ſimul & Variolis Symptomata ſunt communia. 204.

XL. Et Sacris Hippocratis Ignibus, & Variolis, ſolutiones vel prorſus interceptæ, vel ægre obveniunt. 206.

XLI. Aquæ inter cutem, ac Tabes, Sacrorum Hippocratis Ignium pariter ac Variolarum ſunt Morbi conſectarii. 209.

XLII. Popularis Sacrorum Ignium graſſatio, ab ipſiſque patrati interitus a Variolis non ſejunguntur. 213.

XLIII. Parva ulcuſcula toto corpore efloreſcentia, inque ſenibus caput præcipue impetentia, ipſiſque ſupervenientes magnæ inflammationes, vehementeſque exulcerationes, & Sacris Ignibus & Variolis ſunt propriæ. 215.

XLIV. Sacri Hippocratis Ignes variis abſceſſibus, membrorum mutilationibus, gangrænoſo ichore, capillorum ac barbæ defluvio, atque Faciei perpetua deformitate, quam Peſtis bubonica nunquam produxit, Variolas æquarunt. 219.

XLV. Et Sacri Ignes, & Variolæ, abſceſſus ſuppurationeſque ſortiuntur, modo præſente, modo fugata Febre, ad ſalutem vel interitum. 221.

XLVI. Quæ Sacrorum Ignium receſſionem abſque externo decubitu ſequuta fuere hominum excidia, multorumque membrorum abſceſſus, eadem ratione & Variolarum receſſionem conſequuntur. 225.

XLVII. Sacri Hippocratis Ignes, uti Variolæ, una cum Febribus, aut ante Febrem, aut etiam poſt Febres inciderunt. 227.

XLVIII. . . . . . per puſtularum ſuppurationem, vel criticum alvi Fluxum, aut urinarum probarum profluvium, æque ac Variolæ ſalubriter ſolvebantur. 230.

XLIX. . . . . ſine ulla ſolutionis ſignificatione evaneſcentes, æquali vi ac Variolæ mortem intulerunt. 231.

L. . . . . . eaſdem, ac Variolæ, ſervarunt irruptionis atque graſſationis periodos. 232.

LI. Tam Sacri Hippocratis Ignes, quam Variolæ Febres Ardentes & peſtilentes producunt, poſtque ſe trahunt. 239.

LII. Febres ardentes atque phreniticæ, quemadmodum Sacrorum Ignium, ita & Variolarum Morbillorumque ſæpiſſime ſunt ſoboles. 253.

LIII. Epidemica Dyſenteria Sacrorum Hippocratis Ignium ſimul ac Variolarum & Morbillorum eſt progenies. 289.

LIV. Quæ Epidemicæ Intermittentes Febres poſterioribus ſæculis in Europam inceſſerunt, iiſdem ſtipantur ſymptomatibus, eademque lethalitate, ac Intermittentes Epidemicæ a Sacris Ignibus progenitæ. 311.

Evi-

Digitized by Google

Evicta Concluſiones.

I. Juxta Variolarum antiquitatem aſſerentium judicia, incertum videtur, num Variolæ Græcis atque Latinis vetuſtis Medicis notæ fuerint. 15.

II. Abſurdum eſt Variolarum Cauſam hominibus connatam opinari. 18.

III. Dum Variolarum Morbus perpetuo eſt epidemicus, perpetuum erit & contagioſus; quum autem hoc contagium haud aliis modis propagari queat, quam præſente corpore vivo vel extincto ſuis miaſmatibus infecto, aut fomitibus eodem contaminatis, vel ex ipſius domicilio tanquam ex naturæ penu ſponte eductum, quod Europæ nuſquam extitit; perſpicuum eſt Variolas ab occulto Aeris Europæi maligno ſtatu, ſive ab occulta Aeris craſi vel textura nequaquam produci, neque earumdem contagem Aeri inhærere poſſe. 47.

IV. Quum, ipſo *Swietenio* ſanciente, nullis certis conſtet obſervatis, Variolas ſponte & abſque contagio in Europa natas fuiſſe; & veroſimilius ſit per contagium ab aliis regionibus ad nos eſſe delatas; quumque nulla totius Europæ vel paludoſa morbidsque loca aliquem unquam contagioſum Morbum generare potuerint; manifeſtam implicat contradictionem, Variolas a manifeſtis atque ſenſibilibus ſex rerum non-naturalium vitiis, ſive ab ignorato aliarum cauſarum concurſu, ſponte & abſque ullo in humanis corporibus, neque in ipſis cauſis præexiſtente exotico contagio, apud Europam unquam exoriri poſſe. 58.

V. Athenienſium Morbus a Thucydide exaratus, etiamſi numeroſa mortalium clade infamis pro vulgari Peſte ab omnibus acceptus ſit, quum tamen repentinis ac citis mortibus, a bubonica Peſte patrari ſuetis, omnino deſtitutus fuerit, hac ſaltem ratione bubonicæ Peſtis nomine haud vocari meretur; ſed potius varioloſus decernendus, quia inter ſeptimum & nonum diem, uti hic, ut plurimum fuit lethalis, quinimo ipſa Peſte bubonica vel magis mortiferus. 114.

VI. Dum Athenienſium Morbus Anthracibus, Bubonibuſque, vulgari Peſti cognatis, prorſus fuit deſtitutus, bubonicæ Peſtis ſpeciem minime conſtituit. 120.

VII. Quum nullis conſtet obſervationibus, bubonicam Peſtim inter ſua feralia producta cæcitatem unquam attuliſſe, & contra perpetua experientia demonſtratum maneat, Variolas ſæpenumero cæcitatem advocare; ſatis firma ratione inferri poſſe videtur, Athenienſium Morbum, qui oculos adhuc perdidit, haud bubonicam, ſed Varioliferam fuiſſe Peſtim; vel id confirmante ejus cum Variolis hactenus conſpicua in reliquis phœnomenis comparatione. 128.

VIII. Quum dilucide demonſtratum ſit, Variolas ſimillima afferre ſymptomata, ac quæ Athenienſium Morbus attulit; dum Thucydides hunc, qui peroptime cum Varioloſo comparari potuiſſet, inexplicabilem definivit, apertum evadit, Varioloſum Morbum Athenis, ante illam graſſationem nunquam fuiſſe vulgatum. 130.

IX. Thucydides, dum Athenienſium Morbum & narratu difficillimum, & tolleratu atrociorem declaravit, potius Variolas ſibi prius non perſpectas, quam jam vulgatam bubonicam Peſtim, innuit. 132.

X. Quum repetita experientia demonſtratum ſit, dari nonnullos, qui, poſtquam bubonicam Peſtim ſemel ſuperaſſent, iterum atque tertio ab ipſa correpti fuerint; atque ſatis perſpicue per eamdem conſtet, eumdem hominem fere nunquam bis genuinas Variolas paſſum fuiſſe; rectiſſime concludi poſſe videtur, Athenienſium Morbum, qui eumdem bis non corripuit, haud bubonicam fuiſſe Peſtim, ſed illam, quæ Variolas eructat. 157.

XI. Athenienſium gaudium a ſuperato Morbo non obſcure oſtendere videtur, ipſum non bubonicam, ſed Varioliferam fuiſſe Peſtim. 158.

XII. Sub ferventiſſima Aeris conſtitutione Bubonica Peſtis ut plurimum extinguitur; Variolæ vero perpetuo exacuuntur; Athenienſium itaque Morbus, qui æſtivo tempore mortes auxit, ad Variolas potius, quam ad Peſtim bubonicam eſt referendus. 162.

XIII. Vel a jam vulgato ante Morbi irruptionem apud Athenienſes quodam Carmine eruitur, eumdem, haud vulgaris Peſtis ſpeciem, ſed Varioliferam conſtituiſſe. 166.

XIV. Quum in tota Morbi Athenienſium hiſtoria a Thucydide confecta, juxta abſolutam ejuſdem phænomenon, atque ſymptomatum cum Variolis comparationem, nullum ex iis reperiatur, quod Variolas adamuſſim non referat; & multa in eo ſint, quæ a bubonicæ Peſtis natura longe recedunt; clarum eſt id Morbi genus Varioloſum fuiſſe. 168.

XV. Athenienſium Morbus prius per biennium, dein integro anno populariter graſſatus, omnino Variolis, minime bubonicæ Peſti reſpondet. 174.

XVI. Ubi ſtet, uti ſtare debet, Athenienſium Morbum Varioloſam fuiſſe Peſtim, ſponte fluit, hoc Morbi genus hominibus minime eſſe connatum, quum ad Thucydidis uſque tempora ignotum extiterit; nec ab occulta Aeris Europæi diatheſi, vel ejuſdem terræ miaſmatibus noviter genitis, exortum fuiſſe, utpote quod ſub aeris ſaluberrimo ſtatu contigerit; ſed ab uno Æthiopico contagioſo ſeminio tunc temporis Athenas aſportatum, & extinctum; dein a Saracenis in noſtras Regiones invectum, perpetua ſui generatione longe lateque hominum commercio diffuſum, & ad noſtros uſque dies fuiſſe propagatum. 176.

XVII. Sacri Hippocratis Ignes, eamdem Peſtim, quam ſub Morbi nomine Thucydides deſcripſit, conſtituentes; ex Lucretio mortiferi, & per omnes Corporis ſuperficiem repentes; Virgilio, ardentes excitantes papulas, lethales, & ſummopere contagioſi; Columella, Puſtulæ inſanabiles, quæ, niſi intra primam iiſdem correptam pecudem compeſcuntur, univerſum gregem contagione proſternunt, procul omni dubio Variolæ fuerunt. 193.

XVIII. Quum Febres putridæ nervoſæ, Carcerum, Noſocomiorum, Navium, Caſtrorumque Thyphus, aliæque hujuſmodi variis nomenclationibus donatæ Febres, phænomenis atque Symptomatibus apprime reſpondeant Febribus Ardentibus Phreniticiſque, Sacrorum Ignium ac Variolarum, imo & Morbillorum Conſectariis; ſupervacaneum eſſe videtur, noſtrum ingenium torquere, ut illarum efficientem cauſam eruamus a putidis corruptiſque enumeratorum locorum effluviis, contagium nunquam efformare valentibus, vel ex aliis id genus nimium hypotheticis cauſis, dum Europæ, ubique locorum, Variolarum, Morbillorumque exotica ſimul & epidemica Miaſmata proſtant, quæ varia ſecum circumducunt contagioſa Miaſmata, varios productura Morbos; vel id teſtante lugubri harum Febrium nuperis hiſce ſæculis apud nos inundatione, frequentiori in ſaluberrimis Civitatibus graſſatione, altoque de iiſdem ante Variolarum in Europam perennem recurſionem Medicorum omnium ſilentio. 253.

XIX. Quum apud Europam ubique locorum perpetua modo ſtet, inexhauſtaque maneat Dyſenteriæ Epidemicæ aperta turpiſque Matrix, Variolarum nimirum ac Morbillorum lues; immerito ex innocuis cauſis ſporadicis, ſive conſtitutionalibus eam repetere contendimus. 289.

XX. Quum Intermittentes Epidemicæ Febres vel ad noſtri ſæculi uſque initium haud tam aperte Europæis Medicis innotuerint, ut eorum plurimi eaſdem plane non ignoraverint; dumque poſt Hippocratem tam Græcis, quam vetuſtis Latinis Medicis minime notæ fuerunt; vel ex hoc ipſo ſat rationi conſonum eſt decernere, eas origine haud fuiſſe Europæas, ſed omnino exoticas. 301.

XXI. Quum ratis obſervationibus evictum maneat, Epidemicas Intermittentes Febres æqua ſorte Variolas atque Morbillos comitari vel ſubſequi, ac Sacros Hippocratis Ignes comitatæ vel conſequutæ ſunt; neque prius eas Europæ innotuiſſe, quam poſt horum morborum vulgatas graſſationes; haud ſine firma ratione concluditur, hanc Febrium ſpeciem, uti Sacrorum Ignium, ſic Variolarum atque Morbillorum eſſe progeniem. 316.

XXII. Quum igitur Sacrorum Ignium

ab

ab Hippocrate deſcripta hiſtoria, temporum doctrina (§. 67. 68. 71. 173. 177. 182 247. 287. & 290.), atque diligenti Phænomenum, Symptomatumque comparatione, imo vel verborum ſyntaxi (§. 197. 200. 201. 202. 203. 204. 206. 208. 217. 219. 220. 222. 223. 224. 231. 249. 251.) cum Morbi Ateníenſis Thucydidiana deſcriptione adamuſſim conveniat; quumque nullum eſt in his hiſtoriis Phœnomenon vel Symptoma, quod Variolarum Phœnomenis atque Symptomatibus exacte non reſpondeat (a §. 74. ad §. 286.), rite inferimus, Sacros Hippocratis Ignes, & Thucydidianum Morbum unam eamdemque fuiſſe Peſtim, & quidem Varioloſam, tunc primum ab Æthiopia (a §. 69. ad 82.) hominum contagio in Europam invectam. 334.

XXIII. Quum integra Morbi Athenienſis a Thucydide, & Sacrorum Ignium ab Hippocrate deſcripta hiſtoria, phœnomenis, ſymptomatibus, atque Morbis conſectariis apprime reſpondeat integris Variolarum hiſtoriis, ab Hoffmanno, Loew ac Gahrliep (§. 295. 296. 297.) memoriæ traditis; clare liquet, Athenienſium Morbum & Sacros Hippocratis Ignes non aliam fuiſſe, quam Peſtim Varioloſam. 348.

XXIV. Quum, examuſſim comparatis cunctis vel omnium diriſſimæ Conſtantinopolitanæ bubonicæ Peſtis ſymptomatibus atque phænomenis cum iis, quæ varioloſa Peſtis affert, illius nullum inveniatur tam inſolens, quod hæc aliquando non æquet, & in reliquis longe illam exſuperet; facillimum fuiſſe fatendum eſt, Variolas, ſub prima ipſarum in Athenas incurſione, haud aliam triſtiorem hominibus excitaſſe notionem, quam ab iiſdem jampridem cognitæ *bubonicæ* Peſtis, & ſub hujus nomine poſteris fuiſſe memoratas. 359.

XXV. Si Athenienſium Morbus a Thucydide & Hippocrate monumentis poſteritati conſignatus, nec citis repentiniſque mortibus (§. 311.), nec anthracibus bubonibuſque, præcipuis pathematibus bubonicæ Peſti propriis, (§ 107.) comitatus fuit; & contra, parvis Puſtulis a capite ad calcem efflorescentibus (§. 310.); obſeſſarum partium & Faciei cicatricibus (§. 313.); cæcitate (*ibid.*); omnium fere corporis partium vaſtatione (*ibid.*); eumdem hominem bis non corripiendi conditione (§. 314.), & plurium annorum continua graſſatione (§. 315.), proprietatibus tam longe a Peſte bubonica diſſitis, quam propius Varioloſæ individuis, ſtipatus inceſſit; rationi conſentaneum eſſe videtur, ut, poſthabita vel plurium ſæculorum ab Hiſtoricis atque Medicis accepta hujus Peſtis traditione, veritati locus tandem concedatur; idque Morbi genus, bubonicæ Peſtis nomine exutum, Varioloſæ inſignietur; hoc evincente ipſius cum Variolis hactenus abſoluto (*Concl. XXII.*) omnium phænomenōn atque ſymptomatum Analogiſmo: præſertim, quod hæc a veteri nuncupatione receſſio magnam humano generi utilitatem erit allatura, uti in ſecunda hujus Operis parte demonſtrabitur. 363.

Additiones Nuperrimæ.

Prima, Variolarum Inſitionis in Rempublicam damna adjicit, ex quodam Ill. Michaelis de Roſa Commentario. 146. 147.

Secunda, Recentiſſimos Medicinæ Præſules contagioſæ Ophthalmiæ genuinam originem ut hactenus involutam reliquiſſe demonſtrat. 200. 202.

Tertia, Diſcrimen inter Hecticam ſimplicem & contagioſam hucuſque haud circumſcriptum fuiſſe evincit. 209. 211.

Quarta, Contagioſarum Ardentium Febrium Æthiologiam, omniumque Morborum Genericam Hippocratis Diviſionem & Pathologiam, ex recenti Medicorum Doctrina magis ſubverſas, tenebriſque obtectas fuiſſe manifeſtat, Hippocraticamque Noſologiam dilucidius confirmat. 254. 279.

Quinta, Epidemicæ Dyſenteriæ ortum exoticum a Recentioribus minime aſſequutum declarat. 289. 294.

Sexta, Contagioſarum Intermittentium Febrium phyſicam rationem haud probe hodienum a Medicis introſpectam eſſe concludit. 316. 327.

Digitized by Google

526164

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Legatoria GIUDICE CONCETTA - Via Fuori Porta S. Gennaro, 1
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google